ex libris
R. Sordomenici

EPISTOLARVM CENTVRIÆ DVÆ

Perillustris Reu.^mi Domini

IOANNIS BAPTISTÆ LAVRI
PERVSINI

S. D. N. VRBANO VIII.
à Cubiculo.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM KINCKIVM sub
Monocerote, M. DC. XXIV.
Permissu Superiorum.

Perilluſt.ri ac Reuerend.mo D.no

D. IOAN. BAPT.

LAVRO

VRBANO VIII. P. M.

Ab intimo Cubiculo.

CENTVRIAS *binas ſelectarum* EPISTOLARVM *tuarum, Reuerendiſſ. ac Clariſ. D.ne, concinnas, viuidas, & floſculis ſiue ſententiarum, ſiue verborum elegantiſſimè reſperſas, Germanis noſtris, atq; adeo ipſis Belgis, omni ſcientiarum genere excultis, ad miraculum vſque ſuſpexere, I. LipsI, Mureti, Manulij & Politiani epiſtol.*

† 2 *ſanè*

ſanè nitidæ & elegantes, ſæpius lectitatæ ac repetitæ nauſeam quibuſdam parere occeperant. Ilicet opportunè ab Vrbe Vrbium ROMA, CENTVRIAE *tuæ ſubmittuntur, ex quibus primæ togæ iuuenes, & adhuc ſub ferula tremuli, ſcitè, latineq; dicta, apicularum inſtar, ſedulò colligerent: ſeuerioris diſciplinæ homines, ſalutaria documenta deſumerent: omnes denique ex ea, tanquam reconditioris doctrinæ penu, quæ vellent, depromerent. Enimuero, quia paucula exemplaria in haſce prouincias ab Italia importata, famelicum Lectorem ſatiare non poterant, vt omnium ardentibus votis fieret ſatis, multis eruditionum conſpicuis viris, ac imprimis amico noſtro communi* HIERONYMO ROCCO, *itidemq;* FRANCISCO SVVERTIO *placuit conſilium meum de* CENTVRIIS *tuis* SELECTIS, *felicibus omnino auſpiciȳs denuo euulgandis, ipſiq; Autori inſcribendis. Lauda conatus & molimina noſtra, Clariſſ.* LAVRE: *Optamus, imò*

volu-

volumus, nomen tuum per vniuerſam Italiam celeberrimum, per omnes vtriuſque Germaniæ prouincias quoque inclareſcere, & ex hoc facto meo voluntatis meæ perpetuum teſtimonium habe. Si quid aliud eſt hac Orbis luce dignum, ex doctiſſimo pectoris tui ſcrinio profectum, prælum meum tibi ſacro ac deuoueo.

Coloniæ, anno reconciliationis humanæ cIↃ. IↃcxxiv. XX. Martij.

Æternum tuus.

IOANNES KINCKIVS.

AD

LECTOREM.

CENTVRIAS habes, amice Lector, inter Aulæ fumos ac ſtrepitum à nobis tumultuariò collectas: ſtylus tamen Aulæ delicias & licentiam, opinor, minus reſipit; quemadmodum & ſcribentis mores ab ea diſsidebant. Deprehendes hic, velut in ſpeculo, indolem, ſenſum, & genuinam mentis huius imaginem. Conſcij enim quantum ingeniorum otium aulicum vel corrumpat, vel abrumpat; illud ad honeſta traducere ſtuduimus, qui in ampliſsimo Orbis Theatro, vmbratilem & quietam vitam ſequimur, aliqua & conſequimur, poſiti animo extra forenſem ſplendorem, & auerſantes, eruditam artificio ſimulationis, timidam Ambitionem. Sed leuia, inquies, ſunt, quæ ſcribimus, ac meritò mauis ſeria, digna diſerto hoc ſæculo, digna poſteris. Haud ego quidquam magis impenſè cupiam, Lector; rationeſque priuatim meas eiuſmodi ſciebam eſſe, quales putantur Niobes Filij, Andromaches

maches Mater, & id genus nugæ. Præstigium oculis tuis non obieci: in familiari atque extemporali scripto me expressi ipsum, neque publicam iudiciorum in Scenam personatus veni, qui negotiorum faciem meorum in diuersum non refinxi; cum nec alia forma, quam dedit natura, pingi sustineam, nec Syri faciem non amem, si habere nequeam Mitionis. Illud vnum cogites etiam atque etiam velim; quàm non eodem omnes scribant genio; quàm multi adhibeant pannos, multi phaleras & pigmenta: tum Lucubrationum aliæ lucernam oleant, aliæ vinum; complures hircum, perpaucæ myrothecia. Quare candoris tui fuerit, ingenue Lector, non continuò te iniquum præbere nostris; nisi ipse aut excudisti meliores, aut non potes pares.

IN IOAN. BAPT.

LAVRI PERVSINI

VRBANO VIII.

P. M. ab intimo cubiculo

SCRIPTA.

O Felix nimium, & victoribus inclyta ramis
Scipiadas Mariosq; & belli fulmina Pyrrhos,
Condecorans LAVRVS, neque fulminis arma tremiscens
Qua cælum petit, atque coma vernante perennat,
Et tibi, qua LAVRO debetur gloria LAVRE,
Gloria, non crudis Mauortis parta triumphis,
At septem Musis, & Apolline digna trophæa,
AEternos iubet esse tuos Germania fœtus;
Id quoque concordi Voto tibi Belga precatur.
LAVRVS es, illa Ioui semper gratissima vernat.
Inuidia nil tela time, nec cede liuori.

FRANCISCVS SVVEERTIVS
Antuerp.

IN

IN CLARISS.

IOAN. BAPT. LAVRI SELECTARVM EPISTOLARVM Centurias.

SI docti ingenium LAVRI nouisse voluptas,
Si mores niueos, pectus & ingenium:
SELECTAS lege, dia, ô Dij! monumenta, TABELLAS.
His in litterulis LAVRVS & ipsus inest.

CONSTANTINVS SVVEERTIVS
Francisci Fil.

BIBLIOPOLA LECTORI.

AMICE Lector, Epistolam SS. D. N. Vrbani PP. VIII. ad Autorem iam antè scriptam, hîc addere placuit, atque te fessum subinde lectione Epistolicâ, recreare venustissimis LAVRI versibus, quos mihi communicauit Clariss. ac Doctiss. D. Franciscus Swertius: vt videas ac mireris, quæ duo rarò in homine concurrunt; in Carmine ac Prosa felicitatem. Vale.

MAPHÆVS CARD.^lis^ BARBERINVS

Qui 11. August. 1623. in Summum Pont. assumptus,

VRBANVS VIII. EST.

Io. Baptistae Lavro.

Reddita nuper pluribus, mi Laure, nominibus acciderunt tuæ mihi litteræ perincundæ, me certiorem faciunt, quid egeris post tuum ab Vrbe discessum, & vbi sis: Hinc te benè valere percipiens, ea sollicitudine vaco, quâ tuæ nescius incolumitatis non vacarem. Tibi gratulor quod iniuncti muneris ex voto partes impleueris officiosè, pro Illustrissimo cõmuni Domino Cardinali Lante, conueniendi Perusiæ Vmbriæq; Legatum amplissimum Card. Boncompagnum, animi candore, suauitate morum & eruditione nemini secundum. Mihi gaudeo, quod insignes viri, quos plurimi facio, Franciscus Remondus, & Vectianus amorem in me suum testimonio tuo mihi probatum esse velint. Huic iam deuinctus sum, cum pridem nimis honorificè meum datis ad te litteris nomen transmiserit ad posteros. Illi vero quantum debeam, satis intelliget, quisquis nouerit ab eo per Vectianum

mihi

mihi, quem tu traderes, missum Panegyricum, legeritq; non oscitanter. Deus bone quàm grauis oratio! quàm morata sententiæ! quæ verborum selectio! Nihil aptius in rem meam, quàm S. Caroli laudes tam disertè celebratæ. Vtinam contractis velis in portum reuocent animum. Vita nostra nauigatio videtur nimium periculosa, quæ modo cum varijs affectuum ventis, & quandoque contrarijs luctetur, nunc inter sæuientes infortuniorũ vertices agitata fluctuet, vel inter offensionũ & inimicitiarum Symplegades exhorrescat; neque adeo tempestas & monstra, quàm Syrenes, & pellacia pertimescenda, in qua ἀπὸ τῶν ὑπούλων cauere nescias, læua siue dextera vocabit aura, præit Illustriss. Cardinalis peritissimus Nauclerus, cuius iter ἀκίνδυνον καὶ νικηφόρον. Beneuolentiæ erga me tuæ, quam renouas, recordatio viget in præcordijs, & assiduè vigebit, ac plura quã scripseris de te mihi sæpius est locuta; libenter tamen amplector humanissimam significationem, & gratias ago, relaturus in tempore, si detur occasio, quæ studium & operam meam desideret. Vale. Datum Romæ XVI. Kal. Octob. M. DC. XXII.

IOAN.

IOAN. BAPT. LAVRI PERVSINI

ODE

DE S. D. N. VRBANO VIII. PONT. MAX.

AD AVGVSTAM PERVSIAM.

Strophe I.

AVGVSTA Tellus Præside
Felix Latino, cui triplici caput
Serto præradiat, totus & vndique
Libratur Orbis, sospitemque
Se vocat, atque humili lambit vestigia lingua:
Attolle vultus, nubilamq; frontem
Discute, & blando rutilans sereno
Incede victrix, ac Parentis
VRBANI decus inclytum,
Et liberales in tuas laudes manus,
Dulcè adsonante barbito,
Læta cane, adnumeraq; fastis.

Antistrophe I.

ILle incubantem tristibus
Legum tenebris, rarus ad hospitas

Dum

Dum Ciuis penetrat legifer insulas,
Mercator & torpens honestis
Haud vigilat lucris , inopumque perambulat
ædes:
Ad Martialis sustulit Theatri
Pristinam lucem, patriosq; ad enses:
Queis excitatis incolarum
Dextris atque animis, diem
Vincat rubentem, prouocetq; lampada
Surgentis ore lucido
Solis ab Aethiopum cubili.

Epod. I.

HAud clangor æris Martij, haud lituotruci
Bellica vox adiuncta tubarum
Exciuit populi ad cædes fera corda contu-
macis
Nutus vnus at Patris
Aegrè furenti Tybridi imperantis;
Irata nuper qui rotare cornua
Tentabat tumidus, ferox;
Vincla sed arcta Deus
Iniecit domitor , rapidasque coërcuit vndas.

Strophe II.

NVtus benigni Numinis,
Cui casta paret Christiadum manus,
Armatas cupiens reddere adoreas
Tuscis , paratas & cohortes

Fors

Fors quacunque ferat conscribere, Gryphidos
Spontè euocauit militum manipulum, (Vrbis
Sedulò addicens galeis ferendis
Paßim per Vmbros, per Sabinos,
Et per Flaminiæ plagam,
Padusque septem brachijs quà spumeus,
Clemente viso nobilis,
Fertur in occiduo meatu.

Antistrophe II.

O *Patria! antiquum decus*
En restitutum: Algebat in abdito
Robur belligeræ Pallados, vnicus
Pespexit VRBANVS, *vetustis*
Sub quo clarescet titulis Perusina propago.
Debebat huic iam vortices refractos,
Et tuos tristi, Thrasimene fluctus
Mole ingruentes, BARBERINI
Pulsos ingenio; sinus
Qui Brachianos vetere purgauit situ,
Sæuis & vndis exitum
Præbuit edomito in recessu.

Epod. II.

I*Nde ab Lacu retractus ad Tybrim suum:*
Confestim clementior aura
Afflauit Mystam ad pubis pia claustra Gallicana
Vota amica ciuium
Nempe hinc meorum consequuntur, imo
Exprompta corde, carpit incolumis viam,

St

Se sistit Rhodanum ad trucem,
Officÿsq; frequens
Henrici Magni alternum sibi nectit amorem.

Strophe III.

Mactata sed cum victima
Insanientis fulmine dextera,
Binas implacido funere Gallias,
Metuq; funestauit atro:
Iam se rettulerat Tiberini ad littoris oram,
Adscitus à Bvrghesio *Hierarcha*
Cardines inter rosei Senatus;
Pulchrumq; praestantis Mineruæ
Toti Aulæ specimen dedit:
Mox iussus arces Felsinæ sceptro graui,
Rheni minoris accolas,
Imperio regere vnus æquo.

Antistrophe III.

I*psi illicò accurrit Polis*
Astræa, crebris cincta manipulis
Virtutum: licet hanc Erigone sagax,
Ornata Cylleni trophæis,
Indiderit primo Pueri nascentis ab ortu.
Sed semper haud sese exserunt latentes
Pectoris dotes; latet in repostis
Seges metallorum latebris:
Stellisque haud tenor omnibus
Idem, nitorq; maior obruit; Rosa

Dum

Dum transuehit faciem vagam
AEternùm radiantis AEthra.

Epod. III.

QVantum per artus gaudium exarsit tuo
Cum se adspectu ingeßit amœno.
Turribus Augustis? noua gaudia publicus recludit
Rumor, ô Perusia.
Petri ad beatam promouet Cathèdram
Cordatus ordo Sanctiorum Principum:
Vaticana silentia
Sunt operata Deo,
Christocolisqúe datus Tuscus Pater vsquę regendis.

Strophe IV.

COnscendit Aram maximam,
Qua luce Christus se in Taburi iugo
Ostendit; Moranos Cæsar & obruit.
Inaugurato BARBERINO
Sol risit, sociaq́; agnouit stirpis alumnum.
Hinc agminatum plectra grata Vatum
Expedit cœtus, medioq; pleno
Laudes recenset, Præsidemq́;
Sacrorum canit obuio
Honore Thuris; templa suffitu calent,
Odæa plaudunt, & Polus
Dulcisono strepitu remugit.

Antistrophe IV.

HIs te sodalem iungito,

Mo-

Modosq; Pyrrhi ducito nobiles.
Porrò en Gryphiadum examina prodeunt,
Spargunt coronas florulentas;
Mellitisque Apibus speciosa Altaria complent:
Clypeis sinistra personant canoris;
Mucro vibratur; vacuosq; ad ictus
Respondet inductis cotburnis
Iuuentus reuerens, leuem
Meditata saltum; poplitemq; duplicans
Praeunte suaui tibia,
Pierio ingeminat susurro.

Epod. IV.

Salue ò supreme Præsulum: plenus Deo
Romani Pastoris ouile
Suscipe curandum: absistent rabida ora belluarum;
Prata læta floribus
Quacunque lustres, vsque purpurascent:
Vt excubanti non deerit vigil cohors;
Sic ceu murus aheneus
Stet Perusina phalanx;
Et tua perpetuis custodiat otia castris.

IN OBITVM VIRI CL. IVSTI LIPSI, SAECVLI nostri Phœnicis.

AD. M. ANTONIVM PONciarium Io. Baptista Laurus.

MARCE, quæ albétes hederas, Laurosq; perosus,
Tristè fleam;nebulaq; animum perfusus inerti,
Mæstum Epos aggrediar, pallensque hæc tempora circum
Taxus eat,fæuæque sonent lugubrè Cupressi.
Accipe FVNEREAS intrantem occasibus oras,
Instar anhelantis Solis,cùm fessus Iberas
Sistitur ad portas;tenebrisq; humentibus Orbē
Damnat,& erepto patitur squalere sereno:
LIPSIADEN oculis refero manantibus; vt mî
Ryphæi vel montis apex, cùm Sole liquescens,
Nix abit in fluuios;vel cũm Tithonia coniux
Spargit rore solũ,& Nati reminiscitur Vmbrā,
Cesserit.O longum radiis viduata diei
Belgica,deliquiumque tui passura perenne!
Cui tamen hanc cæli faciem non vnicus orbis
Inuideat,malitque vices perferre dolorum
Rhenus, Tybris, Arar, Scaldis, sed & Adria & Arnus;
Queis olim cura vna,vnum certamē, honestas
Attrahere ad partes,doctos bibere aurib⁹imbres
LIPSIADAE,genio,ingenio formarier;artes

Duci

Duci per tetricas diuinæ Pallados. Ecquo
Obfirmet clypeo trepidam CONSTANTIÀ mentem;
Quid Ius, quid rectum, populos quæ vincula frænent;
Quod Latij Mauortis opus; quæ MACHINA muros
Fruat, & miseras vacuet cultoribus vrbes;
Ordine quo se Maiestas Romana bearit; (pugnæ
AMPHITHEATRALES dederint quę pręmia
Quæ vexilla CRVCIS, quo nodo lactea cõstet
Relligio, legemque FIDES iungatur in vnam.
Qui sanctæ GENITRICIS honos, cõcessaq; ab
Non occasuris miracula credita chartis. (alto
Adde etiam adlectos FLORES; iucunda relatu
SOMNIA; dispunctas sæclorũ ab labe tabellas;
Aëriosque Deos, Genialia numina, quodque,
Dulce Cleanthæa post-sparsit fruge volumen
Omnibus vnus amor vasti regionibus orbis
Talem adscisse virum, pendêre loquẽtis ab ore:
Quẽ nunc ô felix Belgarum tractus, ademptum
Si gemis, & merito lacrymarum pondere libras;
Est ratio, quâ vulnus hians, & aperta cicatrix
Introrsum cedens coëat, veteremque reducat
Admissâ compage cutem; partasque tenebras
Solis ab occidui nebulis, vtcumque quieto
Mollè feras animo (quod nobis nempè negatũ)
Dũ MARIAE in templis, testudine suspicis altâ
Pellitos pendere habitus, animæque labantis
Exuuias: dum marmoreis inclusa sepulchris

†† 2 Busta

Busta tenes,concorsq; animæ ꝙ adhæserat ante
Hospitium seruas : vt non saxa inclyta Nili,
Pyramidasque optes; non sit tibi carior Hermi
Limus, & Eoo quæ pingitur vnda metallo.
O ego Dædalias cur non libratus in alas,
Colle Perusino, Latioque ab limite in Orbem
Deferor augustum, per Vindelicosque recessus,
VELSERI rutilis florentes fascibus! isthoc
Inde duce, è campis Belgarum sistar ad ædes
VVOVERI venerande,tuas,cui docta supellex
Obtigit ingenij,vsque adeò dum paruulus heres
Crescat, & in dotes felix adolescat auitas,
Teque altore, recens donetur LIPSIVS orbi.
Mox tumuli optatam properè deducar ad aram.
Hic ego Palladias frondes, Laurique coronas
Obtulerim, & plenâ marmor veneratus acerrâ.
Talibus incipiam. TV, quem mansura per æuũ,
Fama ingens operum felicibus intulit astris,
Liuorisque mali pennas prçcidit inanes,
Seu Genijs mistũ superis florentior aura (oris:
Tollit, & empyreis CONSTANTIA firmat in
Seu fati ad summa euectum,iuuat orbibus orbes
Inspicere adnexos, pendentesq; ordine causas;
Abstrusæque vices rerum quam numine operto
Viuant, & certâ Mundum formidine librent.
Annue Cæleste ingenium, fandique ministra
Iura mihi,pectusque capax,quod semina rerũm
Contineat,commissa semel, quod fluminelargo
Explicet,æternis quidquid cõmittere chartis,
Gestiat,At Genio quoniam non vlla facultas
Deflu-

Defluxisse tuo, noli prohibere cadentes
Influxus, queis Belgarum si corda tuorum
In morem pluuiæ irroras, rorentur eisdem
Laurinæ frondes: sic vati spiritus ingens
Affluet, & dignis tolleris in ætherea plectris.

INDEX EORVM, AD QVOS, SIVE A QVIBVS MISSAE SVNT EPISTOLAE.

A

B

C

D

E

F

Hen-

H

I

L

M

N

O

Paulo

P

R

S

Tiberio

T

V.

FINIS.

INDEX EPISTOLARUM CENTURIAE SECUNDAE.

A

B

C

Claudio

Hie-

M. An-

PERIL-

PERILLVST. AC REV.mi D.

IO. BAPTISTÆ LAVRI PERVSINI

EPISTOLARVM SELECTARVM

Centuria Prima.

EPISTOLA I. *Romam.*

V. C. Ioanni Barclaio
Io. Baptista Laurus S. D.

MEL merum ac nectar suauissimum mi Barclai, Barberini Principis, vtriusq; nostrum amantissimi, Sacra Odarum Poësis, quas, veluti amuleta, necum circumfero, et, vt in quemque incido Musæ Lyricæ, haud fuco ebriæ, candidatum, ectito, recito, & ad modum fortis & mascu-æ olim musicæ recanto. Quàm enim leniter ueritate admixta, in sacro argumento e-ultat, attollitur, triũphat? in quo verò plu-imum regnat oratio, mitiores affectus miri-icè attentat, vbique relinquit aculeos, et, vt gregium Horatianæ dinoseos exemplum eferat, legentiũ animos, in quamcumq; ve-it partem, inflectit, adoritur, expugnat. Vul-

gatum est, quæpiam flumina auri venis ac ramentis affluere, et herbis vicinioribus atque arbustis glebæ decus preciosioris affatim communicare. Non aliter hinc pietatem haurias, facundiam, omnesque defœcatioris spiritus delicias. Vel quas D. D. D. Magdalenam, Laurentium ac Ludouicum copiosè dilaudantes, perlegimus, adeò cum Lampridij, Ariæ, ceterorumq; Odis non confero, vt præ his distædeat illas in manus sumere & excurrere oscitanter. nec Pindaricas ipsas tanti faciam, vbi pro Græco pallio Latinam togam induerint. Eant modò, qui profano in triclinio Etruscas lautitias malunt, sordere sacratiores latinas, si istis opponantur, temerè contendunt. Haud profectò deerit amplius Poëtis nostris, Syonem pro Citherone incolentibus, vnde suis Musis indolem, latera, & neruos quærant. Inhio ad emunctissimi iudicij tui libram, doctissime Barclai, qui Viro eruditissimo ad edendos in publicum hosce partus, auctor atque impulsor eris: ac, sponsoribus nobis, deiera Orbi placituros, quando Etruscis sui iam placent minus minusque.

Benè vale. Perusiæ Kal. Aprilis.

Perusiam.

Io. Baptistæ Lauro V.C.
Ioannes Barclaius S. D

ACcepi litteras, quas ad me dedisti, mi Laure, vt stylo, leporibusque prorsus tuas, ita eximio argumento suauissimas mihi. Laudas Illustrissimi Principis, Cardinalis Barberini, Poësim: sed quamquam varia Encomia congeris, censeo hæc ipsa tuo sensu esse minora. Nam quis satis extulerit cumulatas in vnum Authorem, aut scriptionem dotes, quas in plurimis diuisas tamen miramur? Quidam sunt, quos casta latinitas, alij, quos sententiæ ex Philosophiæ abdito commendat. Est, qui plausum inuentione meruerit. multi quoque aut æquabilitate sua, aut facilitate, aut denique numeris placuerunt. At ex his omnibus nihil præcipuè vnum in magno Barberino laudaueris, quia omnia pari splendore feriunt legentium aciem, vnoque obtutu contemplationem, inter tot bona, sui incertam tenent. Cùm apud me quærerem, vnde gemmea illa & virilis scribendi felicitas, statim occurrit, plurimos ex Poëtis homines esse vmbratiles & negotiorum ciuilium imperitos; plurimos vanos, & qui, cùm robustam aliquam, veramque sententiam carminibus inserunt, non sibi

magis credant, quàm vbi de Parnassijs Somnijs agunt & Choro Musarum. Sed Illustrissimus Barberinus tot annis in publica luce versatus, summisque admotus negotijs, vt res ipsas deprehendit, quales sunt in hominum vita, in animis Principum, in populi vsu, ita verba seligere aptissimè potest, quibus illę exprimantur, & veluti legentium oculis ipsæ se offerant. Quid quod vbi stylum sumpsit in manus, nihil prius, quod scribat, occurrit, quàm rerum seriarum, virtutumque imagines, quibus imbutus est animus, & quæ ipsa consuetudine ad contemplationem illicò redeunt? Hinc illa sententiarum vis & insectatio vitiorum; hinc laudes Pietatis, Numinis cultus, Sanctorum hominum Encomia, & omninò præcepta, quibus hic egregia fama viuas, & forte post fata meliori. Age ergo, mi Laure; perge mirari dignissimos tanto parente fœtus. Desine verò sperare, posse illum precibus suorum flecti, vt hæc summæ mentis pignora edat in lucem. Citius à Sibylla impetres, ne folijs mandet Oracula. Nimirum assuetus magnitudini suæ, hæc ipsa, ad quæ obstupescimus, ideò vulgaria putat, quia sibi assidua & quotidiana sunt. Sed aliam viam inibo, qua te publicumque demerear. Finge, illum esse Apollinem; ero ego Mercurius; subtrahamque pulcherrimo furto ab eius penatibus, quamq; harum scriptionum offendero. Iam

enim, ne quid dissimulem, sic fallere incepi, & hactenus rectè processit. Si mihi ideò irascetur; at Reipublicæ precibus, quam sic iuuero, reconciliationem inueniam. Tu secretus, mi Laure, apud te rem contine, & promissum meum expecta. Vale. ex Vrbe Prid. Non. Aprilis.

EPIST. II. Viterbium.

Laurentio Magalotto Prolegato
Io: Baptista Laurus S. D.

TErnas quidem ad te scripsi litteras, nusquam mei Nominis inducta tessera. putas incogitantiæ lapsum, non est, Illustris Magalotte; volens peccaui, peccatum si sit id nolle àmplius vsurpare, quod meum nè sit, iure addubitare cœperim. Neque in præsens appinxissem, nisi obiurgasses ipse: qui tamen, cum ductus, formam, ac symmetriam, qua fingere elementa soleo, iuxta mecum nosses, inspecta Epistola, minus fuisses anceps, à cuiate esset profecta, à Picentene, an à Signino, Trospiense, Spoletino, in tot nimirum LAVROS, inditum mihi Christiano natali die sortitos Nomen, Perusinus alienigenas Romæ incurri. Quarè qui, publicatis antea Libris, placere mihi non nihil videbar posse, posteritatis tabulis nomine vtcumque consignato; nunc cum tam multi se se aperiant cognomines mei; planè mihimet displiceo:

ac quando editæ Lucubrationes non adeò vtiliter cessere, vigiliarum piget (obirascantur Musæ licet) quibus nihil denique aliud refero acceptum, quàm ingenium sæpius interuersum, oculorum vim non modicè exesam, & valetudinem haud firmam satis. Legeram ridens, vt in Comœdijs, non rarò germanos Fratres, Imperatores, Seruulosque, nominibus atque adspectu geminos & duplices factos. verum peracta Fabula, personas abiecisse, &, è fictis Dynastis in lauerniones, siqui id prius vitæ genus auspicati erant, remigrasse. At nos quotquot Io. Baptistæ Lauri sumus, qui ignoratione mutua, quasi Geryones, hic congeminauimus, si ad vnam patriam non confugiamus, quo funiculo miniatulo, quib. pinnulis, quo torulo aureo inter nos dignoscemur? Sed vt de Imagine ambigui non simus, & suimet speculum alter in altero contemplari non habeat: ecquæ demum ratio inibitur Nominum discriminandorum, alios ad hunc modum ludificantium? Indignaberis, certò scio, vbi intelligas, quantum mihi nuper molestiæ ac propemodum ignominiæ huiusmodi conflarit appellatio. Fulginas quidã & cognomen meũ, proseminatis inter se litibus, diutius pugnauerant, & Iudex tandẽ, depositis apud graphiarium sacculis, pro Fulginate in hũc pronunciarat. qui, ni ad certã diem argentũ omne, quo de fuerat controuersia, homini repræsen-

ſentaſſet, à Viatoribus cõprehenderetur, atque in carcerẽ truderetur. Cõperendinationibus ſublatis, bis ego, vadati loco, ſcriptâ dicâ, in Ius vocor. Ac niſi apud Prætorem, actuarioſque de calũniæ improbitate acriter conqueſtus forẽ, me pæne tabulari ſententiâ, rei totius ignarum, leguleiturbatores iugulaſſent. Mitto queri de litteris, quas alius atque alius intercepit. Noſti Aloyſium, qui cũ in patriam reuertiſſet, haberetque hic apud Roberti menſarios plurimum pecuniarum, quibus cuſtodiendũ dederat, cuperetque deleri nonnulla nomina, & ſimul Annales Cæſ. Baronij & Hen. Spondani Epitomas coëmi: miſſa ſyngrapha, cõficere me rationes iubet atq; exigere. id quod egregiè, antecaptis litteris, præſtitit Laurus à N. vſuſque eſt pro ſuis, quos nummos dolo malo ad ſe auerterat. Eos verò haud ſanè (Superis gratia) ſolui de meo. propterea quod hominis imperitior ſcribẽdi, quàm mea ſit, manus, inceſſus ac vultus paullò poſt impoſtorẽ prodiderunt. Cum Aloyſius præter opinionem ad Vrbem reuolaſſet, & æs ſuum à me & à nummulario popoſciſſet. Hæc vocabulorũ ludibria tibi fortaſſe riſum, mihi bilẽ & ſtomachum mouẽt. Ac veluti pœnituit Soſiam Plautinũ, qui voci ſuæ volucri alas non interuellerit: non ſecus tædet me, quod laruatis nominibus vim vllo pacto inferre non liceat, mihiq; meum detrahere non poſſim: quemadmodũ facilè

posſim à cognominibus meis oculos & dẽtes exculpere, aures & naſum detruncare. Id, ni Chriſtiana vetet pietas, in illos moliar, vt, cũ nequeant Nomine, vtcumq; interpolati, à nobis diſtinguãtur. Vale Romæ Lupercalibus.

EPIST. III. Baſſanum.

Ben. Iuſtiniano Card. Epiſ. Sabin. Io. Baptiſta Laurus S. D.

Et litteras amantiſsimè ſcriptas, & inſigne tui erga me amoris argumentum, Anulos duos, Fuccius mihi tuo nomine reddidit. Tutè ſcis, Princeps ampliſsime, quo & ego identidem erubeſco, quàm nihil apud te tale vnquam fuerim promeritus, neque proficiſci quidquam à me potuerit (totum licet Helicona in tuis pangendis laudibus exhauſiſſem) quod tam largiter munificentiæ tuæ fontes mihi patefaceret. Etſi imitari Alexandrum Macedonem tu melius potuiſti, quàm ipſe liberalitatem tantam poſſem experiri. Fero tamen non inuitus iniectam mihi beatam ſarcinam, & eodem in articulo circumfero. Neque aureos circulos, incluſis gemmulis ſpectabiles, facio tanti, quantum animo inſedit illud, quod inde datur eruere. Angues geminos Vnio expreſſos habet, mutuo nexu obuolutos, quorum caudæ ad Caducei alatum capulum reuocantur. Virga ea Mercurij eſt, eloquentiæ index, aliud

liud ſymbolum non elicio. Sed ne illa re-us futilibus deſeruiat, curæque ſit, volubili ngua verborum plurimum ſine fructu con-ırcinare, Anulus alter demortui nudam ıluariam oſtentat & faciem exoculatam, udatis tibijs, vtrinque albo diſtinctis, ob-allatam. Vt, quoniam meorum funeribus ım crebrò tamque immaniter quaſi iaçulis ercellor, ita vt ad mei generis incitas vide-r redactus, meus aliud nihil ſermo ſonet ıt calamus pingat, quamuis ominoſum huc ſit, præter Mortuos. Lethum autem ab bliuione dictum ijs relinquam, qui vltro-ea obliuione vita excedentes ab animo de-ent: ipſe voluptati ducam, obeuntium de-antatam fabulam & imminentem nobis uotidie vitæ cataſtrophen audire: tum vete-is præconis conſuetudinẽ damnem, defun-torum recordationem prohibentis: laudem os, qui vel humati Epicuri Imaginem cùm ı tabulis, tum in poculis & Anulis habuere. Quamobrem quas inauditæ humanitati tuę ɔro ſingulari munere gratias agam, prorſus gnoro. Silenus ad Regẽ Midã deductus, præ-lara ſententia, qua mortalitatis ipsũ admo-uit, laqueos redemit. Ego pro vocali, vt ſic icam, donario iſto, & indiculis rem omni-m fructuoſiſsimam teſtantibus, tibi Prin-ps humaniſsime, arctiſsimè deuincior. Igi-ır nec ſolui quæram volens tuæ liberalita-s mancipium; quemadmodum concordes

Illi Angues in monſtrifica Virga ſolui non poſſunt, ac in gemino circulo geminum beneficium memoria colam ſempiterna. Vale. Ex Vrbe, xiij. Septemb.

EPIST. IV. *In Vaticanum.*

Io. Baptiſta Laurus S.D. Hyacintho Petronio Apoſtolici Palatij Magiſtro.

GRegorium Donatum, in cenſoria iſta prouincia, cui vigilantiſsimè præeſtis, ſodalem tuum, tam repentè ex acerrimo cōualuiſſe morbo, ſanè quam ex animo lætatus ſum, & diuinitus oblatam ſanctiſsimi Pontificis PII Quinti ope, præter Medicorū ſpem, medelam, eidem nunc vehemēter gratulor. Beatiſsimum verò Patrem, dignum iampridem, cui Cæleſtes honores decernantur, ſæuientis mali vindicem ac depulſorem cùm vos par eſt omni encomiorum genere afficere; tum me decet ipſum, quæ mea meorūque in ampliſsimum Præſidē à teneris pietas fuit, nō huius modò largitorē muneris prædicatione agnoſcere: verum etiam illud apud vos, eiuſdē familię Anteſignanos, minus reticere. quod ſuperioribus annis in Patria cōtigit, ad maximi Antiſtitis ſanctitatē conteſtandam vulgandamq;. Retulit quidem Io. Antonius Gabutius, qui totius vitæ ſeriem Libris ſex, longè elegātiſsimis, cōplexus eſt,

Pij

Pij Imagines in medijs flammarũ bacchatio-
nibus non exustas, nõ sublæsas. quod autem
dicturus ego sum, diuinitatis indiciũ præbet
tanto maius, quãto hostis atrocior fuit, quan-
tumque vires. Ignis Cacodæmones superãt,
qui hoc vtãtur aut ad expiãdas animas pur-
gatorio, aut ad afflictãdas æternũ cruciabili.

Erat Perusiæ, ad maius Forum, infesta Spe-
ctris Domus, haud longulè ab eo fornice, qui
supremi Vrbani Magistratus amplissimas
coniungit & suffulcit ædes. In illa sæpius ca-
tenarum tractus, clamores, eiulatus exaudie-
bantur, & translata huc illuc atrie[illegible] & co-
quinaria suppellex, quà risum eliciebat, quà
pueros ancillasque tumultibus delassabat.
Die quodam cum is, qui conduxerat, pro-
dijsset in venationes, familiaque rus ablega-
tâ, serò admodum reuertisset; frustra domus
Ianuam, inserta claui, nititur patefacere.
accersit, qui adulterinam & robustiorem
adhibeant, ferreo lituo circumuoluant, im-
pellant calcibus, arietent denique. Vbi ni-
hil proficere se se animaduertunt, scalas ap-
plicant, & per fenestras in Aedes sibi parant
aditum. Continuò illatis luminibus ad õstiũ
accurrunt, & aliquam furum fallaciam, nu-
dis conspectis parietibus, suspicantur. Cer-
nũt inuersa omnia, cõiectaque ad oppessulã-
das fores scãna, lectos, triclinia, & quidquid
domi inerat scriniorũ, peristromatũ, vascu-
lorũ. Adeò nec signis tabulisque pepercerãt,

in

in quibus erant Pontificũ, Cardinaliũ, Iureconsultorũ: Diuorũ etiã, nequid Lemuribus sanctum intactumq; putes. In magno tamen Imaginũ aceruo, quæ tumultuariò ciciderant, vnã & alteram ludentes Laruæ, quæ sic omnia cõmiscuerant, & ad postes compegerant, attingere non fuerunt ausæ. Tabularum altera è pariete pendentium, Virginis Dei Matris effigiem præferebat, Pij Quinti altera. Quæ res omnibus, ea Spectrorum ludibria non sine risu spectantibus, maximã admirationem attulit, de Beatissimo Pontifice, quem sic Dæmones exhorruissent, mira cõcipientibus. Vides igitur Pater Reuerendissime, quàm merito iure eius Viri memoria nobis perpetuò colenda sit, & patrocinium suppliciter atque assiduè implorandum, qui viuens mirificè mortalibus profuit, & nunc in Dei sinu conquiescens; Beatarum Mentium choro adiunctus, plura in nos liberalius potest, quò obæratos sibi, iuuare efficacius se posse intelligit. Is vtrumque nostrum, mi Petronj, æternùm seruet in clientela, & velit Gregorium tuum valetudinis restitutæ dono frui quàm diutissimè.

In Vrbe, Nonis Sextilibus.

EPIST. V. *Perusiam.*

Io: Baptista Laurus S. D. Mauritio Riccio Proëpiscopo Perusino.

MAlè factũ, Præsul amabilissime, quòd publicatis intra paucos dies nonainta Centuriæ exemplaribus, nũc cũ nostri rbitrij amplius non est, vt in omnibus aliuid refingamus, de excitãdis iterum Libroım excusoribus cogitandum censes; suaesque mihi pluribus, id vt præstem, elucurandi atque emendandi tædio propè iam necto, ac nihil auersanti magis quàm creras illas, quas obire necesse fuit, excusioes, hinc Perusiam, istinc Tuder, quo eo ıe consilio tandem recepi, vt ad profectioem comparem, postridie Kalendarum Noembrium rediturus Romam. Ferendum ıtẽ videretur, si gloriolæ quoquomodo foıt de integro velificandum. Sed cum alæ reensendæ sint militum, quasi laterculi, & ni sit feralis littera præfigenda: id mihi, vt ıtear, curam non paruam inijcit, ac puererum de vitalibus in vniuersum futuris fœıbus æquissima pulsat dubitatio. Quidam ı permutãdis nominibus, superstitioso ritu, Chrysostomi tempestate (nostra aiunt obsouisse) cereas multas accendebant faculas, nomen

nomen cuique adſcribentes: ac demum eius, quæ ceteris ſuperuixerat, arripientes, extinctis reliquis, illud Puero imponebant. Enimuerò ego victuris quaſi Epiſtolis quibuſque lumen, quod haud facilè reſtingueretur, accenderam, hoc eſt, amicorum exiſtimationi & nonnullorum argumentorum celebritati inniti iuſſeram, nomenque ſingulis perpetuò manſurum indiderã, in litteraria legione contra obliuionis copias pugnaturis. Sed voſmet, qui furcinulam emunctoriam, cùm edere parabamus, attuleratis, & fungos, ſi qui concreuerant, ex arte oppreſſeratis; eandem iterum educitis, & ellychnium Hieronymanum difflare contenditis. En ipſi vltrò paremus iam, ac ſtrab infelici ligno Senem illum non detrahimus, Apotheoſim tamen non decernimus. Nimirum ab eo, quod Pontificum decreta non probarunt, religiosè abſtineam: ab his ſincerè veritatis cancellis in omnibus, quæcumque legam, ſcribam, audiam, oculos, aures, articulos non declinem. Induam quidem, ſi res poſtulet, nugacem laruam & varias affectuum alternem facies: in proſcenio, vt ſic dicã, pietatis idem ſim; vultum eundem in omnem fabulæ partem circumferam, alienam perſonam nunquam induam. nullus animo incidat cænodoxiæ pruritus, nullà mentem vellicet, infelicium laniena ingeniorum, φιλαυτία. Scilicet qui germanam imbibimus

in

i Augusta Patria, Pietatis ac Disciplinarum
orentissima Officina, Religionem, à nefa-
a Iside non pascimur. Veritati castè inte-
èque litamus, ijsque donaria cumulatè ap-
:ndimus, quos Christianæ Reipublicæ veræ
uimus præesse, in Cæleste contubernium
nctissimè transcriptos. Facesset à nobis fla-
tiosa pietas, ne per speciem imponat & fa-
at aliquandò parum pios. Scriptiunculam
itur prætergrediatur Lector meus, aut, si
:libet in transcursu, præuolet, neque can-
ri nostro candidum ipse calculum inuide-
. Ei ego orationi vim omnem ablatam vo-
:à me seriò vapulet, cui neutiquam accedā
stis: audiar potius narrator subfrigidus,
rmitans interpres, indiligens ferrumina-
r. Aliorum voculas nihil moror. si fortè
æter consuetudinem verba per iugulum
deuntia demirentur, Christianum hoc exi-
t studium: pulchrum est, eximium est, vi-
perari non debet. Porrò Cælitum beneuo-
ntiam tam bona ratio vel abundè pensat,
:l ad fœnus prouocat. Id tu assiduè, Vir in-
gerrime, cogitas, prædicas, exemplo do-
s: ex cuius suauissimo congressu volupta-
m atque vtilitatem tantam sentio nunc re-
gitando, quantam nuper coram sensisse
sus sum fruendo. Vale. Tudere V. Kal. No-
:mbris CIↃIↃCXIIX.

EPIST. VI. Romæ.

Alexandro de Angelis Soc. Ies. Theologo.
Io. Baptista Laurus S. D.

Libet exclamare, ò Scorpij hospitalem domũ! in qua duo Cometæ splendidè conuiuium inierunt. atq; vt cenaturis Siderea aliqua fax è lychnuco præfulgeret, percussa à Mercurio silice, hæc, ad quam cateruatim homines spectandam confluunt, alijs Cæli Ignibus lucidior effulsit. Ego quoq; e ad eam contemplandam multa de nocte, pellito vestitus epitogio, cũ Boreas acriter spiraret, è lectulo consurgo, & ex Aediũ nostrarum editissima Turricula, comam longè eiaculãtem, contentis oculis clarè perspicio. In codice autem exceptorio Cælestis eius tractus faciem Ichnographicam describo, Tuboque adhibito Optico, pulcherrimum Cometem, inter Solis ac Lunæ diuersoria haud dubiè collucentem, veneror. De cuius tamẽ Parentibus, à Mercurione verè, an à Marte procreatus sit, hodie à prandio cũ ad te præstantissime Alexander, accessero, cupio audire sententiam tuam: nec de futurorum nexu euentuum tacueris: non enim Cælum sileri amat, quod tot facibus quasi linguis, apertius nunc, quàm antea proloquitur. Ex Aedibus. iij. Kal. Decembris. MDCXIIX.

EPIST.

EPIST. VII. *Rauennam.*

Pyrrho Colutio Doct. Med.
Io. Baptista Laurus S.D.

Ncredibili omnium approbatione, perscriptus de duobus Cometis Liber ad nos us exceptus est. Credas iurato mihi, nullus aiore cum plausu teritur manibus eruditorum. nec tam conuersi horum sunt in Cæm oculi, vt inspiciant, quàm calami cuspis, t describat. Ac quemadmodum est iam ulgi fabula Cometes; sic ingenij tui monuentum hominum non vulgarium amor & eliciæ, ex eo mihi, velut ex satu dentium rmati, Amicorum plurimi enati sunt. Quamobrem pro feraci carissimorum capium annona, proque honorifica nostri appelatione, plus tibi debeo, quàm vt siue re, siue erbis soluendo sim, Ceterum sicut nihil onspectis Ignibus litauit verius ac populaius, quàm composita in admirationem tantæ rei cogitatio; ita ego gratiæ impar repoendæ, in eo acquiescam libens, si laudibus loctrinæ tuæ diuitias extulero, amoris magitudine tibi non concessero.

Dissertationē Italicè conscriptam excellentiss. Lotharij de Comitibus, Polæ Ducis, in postremum Phœnomenon habeo præ manibus, qui ex hemicyclis promiscuè sessitantium Philosophorum se proripiens, Cæli

editiorem scenam petit, supraque stellarum ἔμφασιν, nouum instituit Choragium: tum Historiarum exempla colligit, in quibus vario emblemate multiplex Cometarum facies, incerta temporum συνῳδῷ se spectandam præbuit. Verum cordati Principis Disputatio præconio eo maiore efferenda est: quo ominosa Principibus horum Ignium ἐπιφάνεια tantum abest, vt hunc nostrum perterruerit; vt ipse planissimè docuerit, eam nullo pacto videri extimescendam. Priusquàm Hier. Episcopo Verulano reddam, qui Cardinali & nobis commodauit, tibi exemplum curabo; vt vna cum Secundo Lancellotto frui possis. Vterque feliciter valete, & me amate. Romæ iiij. Kal. Februarij CIↃIC XIX.

EPIST. VIII. Romam.

Io. Baptista Laurus S. D.
Albertino Lælio suo.

BReuiores omninò, quàm voluisses, litteras festinatio Tabellarij nobis extorquet. Cum enim statuissem complura cõferre in vnum, quæ tibi, Epistolarem prouinciam nunc primum in ista Aula suscipienti, prodesse possent; temporis excludor angustijs, submonitus nimirum, cum iam ille ad vos excursurus, ephippiatum Equum propè conscenderet. Sed scilicet exilem scriptionẽ, & ne-

& neglectim fusam culpes malo, quàm in totum segnem, & voto tuo malignè responsuram. Tempestiuius & vberius sarciemus alias: quæque tibi fortasse non satis grauis admonitor subieccero, scito mihi vni iampridè in memoriæ angulo seposita, in quiduis potius, quàm vt alicui proderentur, excogitata. Ergo habes cōfusanea, quid ni & leuia? præcepta sunt tamen, quæ vtcumque sata, in frugem non malam aliquandò valeant excrescere.

Iam fidei haudquaquam meminerim, quā luxam nunquam gesseris, & arcanis Principum persanctè adhibendam, nullo ori admoto Anulo, olim me præsente multis prædicaueris; nuper à Cisalpino quodā, vt scribis, requisieris; qui eam nō perinde defuncti Domini seruasse Manibus ferebatur. Quo verò hunc ergastulo, quibus Gyaris dignum ducas, si transmutata, quòd dicitur, testula, viuo illudat, & præcipuum rerum agendarum telum in eius perniciem ac necem vertat, cuius vel suæ vitæ periculo redimenda uerat salus? Igitur nullius iusiurandum apud te tanti sit, vel si Iouem in hoc accersat lapidem, quo facilius secreti quidpiam à te exculpat; vt gratificandi studio adductus, quipiam minimum insusurres.

De vero Epistolarū habitu, ac dicendi charactere, quē assiduo scribendi vsu, & Phalerei in primis monitis, accuratè excussis, tibi

opinior, conparaueris, nihil etiam me tibi præcipere necesse est hoc tantū: haud probari mihi anxiam, superstitiosamque in dicēdi formis curam, præsertim vbi res agatur seria. Profectò in verborum flosculis, atque amœnitatibus curiosum non esse, sed fuisse, decet: ac tum demum gratiam habet in arte negligentia, si succedat immodicæ diligentiæ; ita vt paullò remissius studium deprehendatur, non omissum.

Vti Atticismo, ac Laconismo apud plerosque hoc æuo vsitatum & laudabile. Quarè, quod fieri in Comœdijs solet, præfationes superuacuas vitabis: rerum exitus ita proposueris, vt, quæ præcesserint, ex his conijciantur. Si res postulet, vt scriptionis alicuius repetatur argumentum, fiat id dextera & commoda breuiloquentia. In negotijs tam non magnis, piaculum puta, sublatis antennis, Asianum profiteri.

Quia sæpenumerò sub manum nasci consilium oportet; da operam, vt affectus animi æquitatis fræno strenuè coërceas, habeasque in tua potestate; ne tibi obstrepant, impedimentouè sint, quo minus, quid in quaque re faciendum sit, dispicias. Tumultuantes enim deijciunt mentem, & iudicium adimunt vel senibus exercitatissimis ac prudētissimis; nedum natu minoribus, inter perturbatos Aulæ fluctus Rationis nauim ægrè molientibus. Quid quod Minerua boni Con-

silij

filij è Iouis cerebro prodijsse fertur. videlicet ex optima Mente haurias, quo sapientissimè cuique consultum eas. hoc pacto omnia, quæ in summa animi tranquillitate tecum excusseris, suisque momentis ponderaris, Reipublicæ vtiliter cesserint, tibique ac Principi æquè fuerint honorifica.

Cum in negotio seriò, & crebrius versaberis, recurres subindè ad calamum, ne quid effluat, & aut agenti coram, aut mittenti in litteras sua sponte occurrat. quantum autem fieri queat, ipsissimis Principis verbis negotij facies repræsentanda.

Abditos eiusdem sensus, & si quid occultius coquat, dum in familiari congressu Epistolarũ argumentis onerabere, ita exquirere tibi licitum, vt obsequij, ac solertiæ gloria, tum maturiore scribendi peritia inclarescas.

Eueniet, vt importunis quibusdam litterarũ flagitatoribus (nec enim deerunt, quorum moribus prodesse malis, quàm iudicio obtemperare) Princeps petitam rem incolumi officio denegare non possit aut audeat, alioqui absurdã & se dignam parum: in ea sic Epistolæ genium attemperabis, vt à comitate ad supplicis votũ non grauatè flectas; rursus ab eodem resilias, & ita sensim elabaris, vt cordatè inuoluas, & ei, qui poposcerat (si impudens fortasse soluat, resignetq;) verborum tenus, affectu sublucente, fecisse satis videare: neque illi tamen, ad quem inuitò scribendum fuit, vim intulisse.

Quod ſanè albarium opus, vbi ab hiſce officij fideique violatoribus te ipſum vindicaris, fac peſsimè oderis. quin pro poteſtate aliquid imperaturus,& controuerſijs,vacillantibusque cauſsis ſcripto edito admoturus pedum, modũque impoſiturus; caue cuiuſquam gratia promas veluti Oracula. vt duabus ſellis,quod aiũt, ſedere dicaris voluiſſe.

Priuatum tempus nunquam non religiosè adſcripſeris; nec dierum modò, in quibus alias aliorum acceperis, notatio adijcienda; verum etiam quibus veredarijs, quibus tabellariorum magiſtris creditæ,per quos redditæ, per quos remiſſæ.

Si,ne intercipiantur,ſubuereare,aut te nimia itinerum, locorumque deterreat intercapedo; ſiue is, cui reddendi onus incumbat, fidei minus exploratæ fuerit; aut non vna ratio denique tranſmittendi, eaque certior expeditiorque: tunc Epiſtolarum exempla tria, quatuor recte conficientur.

Domeſticam ſcriptionem, aut ad amicorum eximium ſi quandò meditere, nequid temerè eo mittas chartis. Memineris,nihil ex rumuſculis ſtatuendum, niſi ad auctorem prouoces: præterea ijſdem relinquendum tempus,qui deferueſcant,ſeneſcantque.

In id, quod è re tua ſit,quodque Principis dignitati,perſonæque,quam ſuſtineat, plurimum conducat, ſedulò intendendus eſt animus. nam pluſquam modica de ijs ſcribere, in quibus induſtria

ſtria ac vigilantia frigidius ſuas egerũt partes, pars ignauiæ, dementiæque exiſtimatur.

Quod notatu cenſeatur dignum, atque expẽdi ad conſilij libellam habeat; id in capita referendum, & forinſecus, auerſis litteris in frontiſpicio eſt appingendum.

Illæ ſi complures occupent paginas, & ambas, quod dicitur, manus, pectus atque humeros implere debeant; ne ſimul ita agglutines, quaſi terna, quaterna, aut ſena in vnum folia, Bibliopegi modo, compingeres, ſeorſim quæque, ſuis præſignata numeris, ſunt attexenda. Veredarijs plerumque vtiliter, ac ſpecioſè imponas ſi adulterina gemma obſignes epiſtolas, & manu aliena inſcribendas cures.

Harum faſciculos, cum quid non protritum in ijs latuerit, cuiuſque hebdomados, ſeruata temporum ſerie, in arculas & forulos recondes, tuarum autographa maioris ponderis, vt in vſum, ſi quis expoſcat, paratæ continuò ſint, diligenter referes in codicem.

Rurſum quæ nihil contineant aliud præter ciuilitates, neglexeris impunè; nec laudo, qui religioni ſibi ducunt, inutiles conſcindere: ſed immenſam quandam litterarum veluti ſiluam in cubiculis ſibi creſcere gloriantur, vel Camelis ſarcinam, vel Tineis, atque opicis Muribus pabulum.

Et quia perſæpe accidunt tempora, vt quæpiam minus tutò communium characterum ſchemate exponantur: inuentæ in hoc ſunt Fur-

tiuæ inter ſcribendum Notæ, de quibus præcipere ſuperſedeo, teque ad cognominem meum Portam, mi Albertine, reijcio, qui toto eo de genere ad huiuſmodi myſteria artificioſè, luculẽterque aditũ patefecit.

Ego Sphyngem, quandò ſemel abſoluenda eſt Epiſtola, tuis dumtaxat Aedibus inſcribas cupio, quæ tibi non tam laruatas dictiones illius prodat, quàm abſtruſa & recondita Principis in vniuerſum occultare ſapienter doceat.

Atque hæc paucula, quæ nunc tumultuariò hic in aceruum redegi, ſi maturè perpendas, & fideliter exprimas, (niſi mea me fallit opinio) cùm induſtrij hominis, ſapientiſque retuliſſe laudem, tum participi ſecretorum Genio optimè videberis litaſſe. Vale, atque Epiphanium tuum, Senem feſtiuiſsimum, vti audio, Illuſtriſs. Hieronymi Columnæ in humanioribus artibus Doctorem ex me, ac Velia amantiſsimè ſaluta. Peruſiæ. CIↃIↃXIX.

EPIST. IX. In Vaticanum.

V. C. Abrahamo Bzouio Polono.

Io. Baptiſta Laurus S. D.

Ergo incolumi fœdere Gratiarum, quod cũ Vigiliarum tuarum amantibus abs te contractum oportuit, litterarium aliquid à quopiã rogatus, negare non potes Vir doctiſsimè. hinc & boni audaciam meam conſulueris, quæ benè & feliciter ceſſerit, ſi à grauiſsimis curis tantiſ-

per

per feriatus, cupiditati meæ satisfaciendum putaueris. Inde ab Autumno ineunte Anni, qui se iam conuoluit, Commentarium habeo præ manibus de ANVLO, quò Mariæ Virginis digitũ S. Ioseph oppigneraauit, & summa religione Perusiæ asseruatur, de quo pleriq; rerum Scriptores mirè silent. Cogitaui autem maximum operæpretium me facturũ, si ad feracem eruditionis tuæ agrum confugerem, ex quo in arentem meum plusculum deriuarẽ Obsecro te, Bzoui humanissime, ne pigeat haud dico me, sed nobilissimam Patriam demereri. quæ immortalẽ cuiuis habitura est gratiam, per quem tanti Donarij cultus & veneratio augeatur: & certè per te plurimum augebitur, si gemmulæ è Palæstina in hanc primùm Vrbẽ, deinde Clusium, postremò Perusiam allatæ, tuum ipse calamum, eximius Annalium Ecclesiasticorum nostro æuo Scriptor, fueris admolitus. Vale Romæ ex Aedibus Id. Nouemb.

Viro Illustri Io. Baptistæ Lauro F. Abraham Bzouius S.

NOn minus piæ, quàm eruditæ curiositati, vel cupiditati tuæ de ANVLO Sacrosanctæ Deiparæ, quid in præsens respondeam, præter ista paucula, non habeo. Verisimile mihi est, castissimam Virginem, Iosepho Virginei floris futuro custodi, subarratam Anulo fuisse. Receptus mos obtinuerat, non apud Gentiles mo-

dò, verum & apud Hebræos, Pronubales Anulos & dare, & recipere fidei ſeruandæ, tanquam certiſsimum aut ſignum aut monimentum. Heſter à Viro vidua, inter cymelia ſeruauit non nemo earum, quæ poteſtate n ſui viro faciebat, Anulum proferebat, atque referebat: quod curioſi rerum Hebræarum obſeruarunt; vt propè vero ſit, intemeratam Virginum primiceriam Mariam, eandem teſſeram circũtuliſſe, ac poſteris reliquiſſe, hypomnema clariſsimũ fidei nunquam violatæ, virginitatis nunquam delibatæ. Quod autem Italiam, adeòque nobiliſsimã Ciuitatẽ, hoc Anulo, veluti pretioſiſsimo donario, Regina Cælorum dignata ſit; fidẽ non abnuo: cũ in Italia videam Aedem Lauretanam, Angelicis manibus è Palæſtina delatam, Cunas & Pręſepe, in quibus eum, quem Orbis capere non ſuſtinet, collocauerat; capillos, zonam, ſudaria, & id genus pretioſiſsima à Diua Deiparente relicta pignora, ab Oriente Romam, & in alias occiduas Vrbes, piorum ſtudio translata. De veſtro Anulo auget fidem longi temporis acerrima inter bellicoſiſsimos veſtros Peruſinos ac Senẽſes ante CL. annos dimicatio; quam opus fuit SIXTO IV. Pont. Max. dirimere, Anulumq; veſtrum Romam deferri iubere, ſeponendum in aliqua vrbis Baſilica, ad vniuerſi Orbis culturã. Hæc mihi in extemporaneum calamum venerunt. Ceterum animum magis aduertam, ſiquid aliud de tam incomparabili Cymelio potuero, vel ex prioribus lucubrationibus in memoriam,

vel

vel ex accuratiore in posterum inuestigatione in lucem producere. Tu porrò eam, quam augusto stylo ornandam, illustrandamq; suscepisti Gemmam, Orbi proponore perge. Nam sapientia inuisa & thesaurus absconditus, quæ vtilitas in vtrisque? Vale. Ex meo apud S. Petrum Musæo. postrid. Idus Nouembris.

Epist. X. Romæ.

Prospero Farinaceo Viro Clar. Io. Baptista Laurus S. D.

Miro tui conueniendi desiderio flagraui hodie, Vir eximie, significaturus, quæ tuo rogatu Princeps meus, aut iubente ipso, nos obiuimus Iam quando corã non licet, ne & hac nocte animi pendeas, loquar tecum absẽs. quare à Ludouico tuo deductus in Musæum, schedulam raptim scribo, neque obsignatam super abaco relinquo; narrantem breuiter: Actum perstrenuè cum Duodecemuiris de nouis Decisionibus in lucem proferendis, qui rem in proximæ comitia distulere: ego autem à prandio ad Moniales Ambrosianas. Antistita Monasterij pollicita est opem perbenignè; non modò quia animo in te est propensissimo, tuæque familiæ ornamentis, atque incrementis studet plurimũ: sed etiam quia eò Cardinalis accedat nutus, cui vel illud debeat, quod præstare se posse propè desperet. Monebit in tempore, quæque in auspican-

picando opere minus dormitabit, te dormire in vtramuis, quod dicitur iubet.

Addo verbum de doctissimis disputationibus de Hæresi, mihi à te dono missis, hoc est, gratias ingentes, immortales Liberalitatem enim, quam innumeris erga me officijs declarasti, & beneuolentiam, qua me iampridem amantissimè es complexus, hoc libentius colam, atque effusius prædicabo; quo ad testificandum obsequium ore & calamo fortassis aptus esse possũ, ad referendam vicem non possum. Viue feliciter Vir nostro æuo incomparabilis, & posteris, tuæ presens posteritati, vigila perenniter. In tuo Musæo, appetente Nocte. Pridie S. Catharinæ.

EPIST. XI. Romam.

Lælio Marretto V C.

Io. Baptista Laurus S. D.

NIhil minus volo, quàm parum comperta per nos tradi formis siue æneis, siue marmoreis. In saxo, in ęre si quid inciditur, nõ facilè aboletur. sępè & certat cũ immortalitate. ambiguè illic scripta cõciliãt auctori dedecus, & imposturę inurũt notã. Id ego caui sedulò in omnibus, quæ ad hanc diẽ expressit calamus, præterquã in Poëticis; quippe talia esse desinant, vbi nullus fucus nudę veritati lenocinatur. Quocirca candidissimi hominis, & amici existimationi multum prospicientis officio es functus, absente me, qui parietinas Franciscanas in illa Epigraphe

graphe ad Forum Boarium, ne collaberentur, neuè iterum Palatini ruderibus super inciderent, auctoritate tua contra superciliosos quosdam præfulsisti. Potes pari studio Epistolã Hieronymianam à morsibus calumniantium defēdere; licet in ducentis Exemplaribus desideretur, confossa nescio æquius, an scrupulosius. Enimuerò inibi relata certis Scriptoribus innituntur, qui, quoties iussero fidem adstipulentur, quam ab aliquibus non impetrarunt. In horum sententiam accurri pedibus & calamo, homo fugitans litium omnis generis, litterarias perosus maximè, ex quo meis Ciuibus quæpiam malo omine conceptæ lucubrationes improsperè cesserunt, & immanes Tragœdias in familias aliquot concitarunt. Quam tibi Absconditorũ Clauim (sic est Libelli titulus) ab Orbe Condito, priusquam huc secederem, sum pollicitus, mitto per Aurelium, qui harum litterarum quasi claui, aperiri sibi exoptat fores ad notitiam tuam. Eas Iuueni lepidissimo vltrò reseras, habiturus hospitem, cum à nostra hospitali mensa recesserit, multò festiuissimum. Benè vale, & tua illa Ciuilis Doctrinæ præclara Apotelesmata describenda nobis cura.

è Tusculano.

(?*?)

EPIST.

EPIST. XII. Romam.

Io. Baptista Laurus S. D. Garofano de Garofanis. I. V. C.

DE Statua haud ita pridem propè Antium effossa, & in suburbanum Mœcenatis nostri, vt vna cum aliis excellentium artificum perennet, decentissimè translata, (iubesne?) dicã planius sententiã in eam: quãquam scio refragari permultos, qui eã Gladiatoris potius cuiuspiam esse, quàm Militis, natatu sese à præsenti naufragio eximere laborantis, acriter contendant. Porrò cùm nuper in nobili comitatu Villam perambularem, & præstantiora illic signa circumspicerem, subito calore hisce carminibus marmoreum illud, non ea sanè Venere, quã Matthæi Roscij nostri elegans Clio refinxisset, expressi.

Cernis, vt audaci membrorum mole feratur,
Quæ sacra Dis pelagi est, saxea forma Viri.
Parma quidem breuis obstantes benè disijcit vndas:
Quæ redit in tergum dextra retorta fugat.
Illa supergressus mira domat arte procellas,
Hac flexo in pronum vertice, findit aquas:
Sic vouit, quicumque fuit, tumido æquore raptus,
Inq; Deum incolumis sede Natator adest.

Enimuero milites natandi peritos Romani veteres voluerunt, qui non ob aliud Campum Martium Tiberi proximum, ad militaria progymnasmata obeunda, delegerunt; nisi vt in altero decertarent, in altero natandi artem perdisce-

discerent: quæque ignorata Cyri exercitũ, mare ingredi compulsum, teste Xenophonte, pessum dedit. E tribus autem natandi generibus, alterum marmoreo Militi à Statuario attributum, facilius erat ante deprehendere; quàm dexterũ brachium (quo carens in littorali Rusculo est repertus) ad gladiatoriam formam, vti cernimus, obarmatum adijceretur. Ex humero enim in læuum inflexo, & cætero corporis habitu, ingruentes aquas, facto impetu, sibi aperientis, Natatorem verius sum arbitratus, quàm Retiarium aliquem, Secutorem, Threcem, Myrmillonem. Vberius tamen ea de re, vbi me hinc subduxero, & ad vos rediero: proferamque è Schedijs nostris de Dijs littoralibus, quibus signũ dicatũ oportuit, non iniucunda. Nunc quidem in Alexandri Estensis, Principis Card. Tiburtino versanti, quid mirum si præter exædificata olim in Antiatum foro Castori & Fortunæ Templa, aliud non occurrit? qui cupiam mihi in Aulæ Euripo propitios multos effulgere Castores, & Fortunæ clementiam continenter indulgere. Vale Garofane suauissime, & Illustriss. Gherardium officiosissimè saluta.

Tibure XVI. Kal. Septembris.

EPIST. XIII. Roma
Io. Baptista Laurus. S. D.
Francisco Fuccio. I. V. C.

FEci, quod imperaueras, Fucci amabilissime, & Consolationem qualemcumque ad Aulicum, cuius me ignorare nomen voluisti, meditatus sum: nescio tamen ecquod pharmacum hominis ingenio diluerim meo certè, quod, Superis gratia, citra perturbationem vllam Principis beneuolentia in paucis alitur, non fuit inutile ea conquirere, quæ versantibus in fortunæ fritillo, sic Meronus Vrbem appellabat, euenire solent. Ac Medicus nemo melior Merono cum suo in CXLV. Psalmum Commentario extitisset. Videbis, an è re fuerit commentatio nostra, nam aliena mox curabitur, & amicissimi capitis industriam quauis ratione, tibi enixè obæratam, experiere. ita verò sum exorsus.

Versari te in maxima sollicitudine. N. hodie mihi renunciatum est, qui cum antea breues in Aula obire legationes, & ad μυστικώτερα Principis omnia admitti consuesses; nunc, mutata ipsius voluntate, nulli propemodum rei admouearis, sisque in familia veluti Aulæum quoddam, ac theatralis pompa, omnibus illudentibus, & in te defixis luminibus, palam obmurmurantibus. Interea ignorare te, quidnam piaculi admiseris, ex quo tantum latentis iracundiæ aduersum te Princeps humanissimus concepe-

ceperit; in cuius tamen vultu subluceat etiamnum comitas; quamquam refrigerato eius beneuolentiæ ardore, quæ se in imperia blanda solet effundere, & ingenuos quosque laqueis liberalibus obuincire. Hoc ego pro ea necessitudine, quæ mihi tecum est, iniquo animo proxime ac tu, aut æquè tuli: cuius probitatem, ac fidem eò suspexi magis; quo tantas tam sani pectoris diuitias perrari sunt, qui in Aulam inuexerint; aut inuectas incolumes diu retinuerint. Equidem cum sæpius in rationes viuendi tuas antea intuerer; laudabam plurimum istam morum integritatem, prudentiam, candorem, quibus dotibus nihil aulicæ labeculæ hactenus inoleuisset, neque te ipsum aliter ab inquinatis quorumdam studijs vindicaueris; quam Fluuij quidam facere perhibentur; qui in Mare erumpentes suas dumtaxat vndas trahunt, nihilque ex eo fœculenti bibunt. Inuidentium hominum flabra, aut ingruentium procellarum occursus qui euitare potueras?

At heus tu, oblitusnè es, amice mi; quicumque ad præscriptum aliorum vitam instituerũt, Abacorum Calculis persimiles factos, qui tantidem æstimentur, quanti homini, qui ijsdem in lusorio vtatur iactu, collibuerit? si enim talentum nominat; calculus beatus est, talentum valere putandus est; si drachmam, aut obolum æreum, vilescit illicò: hoc pacto pretium qualecumque à ludentis arbitrio mutuatur. Vides opinor, quanti vitæ genus, in quo nunc es, faci-

endum sit: ad quod demum accommodare se se, quando mancipij aulici vocabulum haud ita contemnitur, prudentis est, atque à contestata sapientium virtute degenerare recusantis. Etenim qui in aleam eiusmodi, nulla necessitate protrudente, descendit: hunc vel neminem, vel se accusare ipsum oportet, qui consilijs, sibi malè, cessuris temerè adhæserit. Ea nihilominus adhibenda videtur cura, meditatio, diligentia, cum res huc redijt, vt si prorsus non decorè; at quàm minimè indecorè in fabula aulica peragenda aduigilet. Et ingressus Aulæ pelagus, dum nauis in cursu est, debet ventis, qualesquales spirent, sapienter vti; ac strenuum Nauarchum imitari, qui clauum non deserit, quamuis semet seruandi spe, tempestate interclusus, deseratur. Tutius verò consilium fuerat, in hoc Theatrum minus pedem intulisse; huic nauigationi se non commisisse. Ceterum ecquid ego hæc oggannio, perinde atque hoc ipsum, quod tibi propino pharmacum, meo ipsius in stomacho non iampridem fluctuet; eodemque feriendus conuicio non sim, quo in te fortasse parum prouidè sum vsus. Iam propè est, vt vtrique nostrum Medici cuiusdam, Insaniæ curatoris, artificium recantem.

Habebat domi amplissimum cubiculum, aqua fœda, pestilentique circumfluens; in quam Fatuos, alium alio profundius, vt insania vehementiore æstuabant, immissos, piscina vsque adeò graueolente & inedia macerabat; donec in men-

mentis potestatem redigerentur. Ex his quidam paullò sanior effectus, veniam inambulandi per ædes haud grauatè impetrarat. Pro foribus quempiam insidentem Equo, fortè obseruarat, qui læua ferebat Accipitrem; & Venaticos Canes, oblongo deuinctos loro, præ se agebat. Euocauit prætereuntem, interrogauitque (oblitus enim omnium erat, quæ, priusquam desiperet, agnouerat) quid gestaret manu, quinam forent, qui se præcederent, & cuia gratia. Vbi cognouit de Aucupio, de Accipitre, de Canibus: adiecit; ecquantum insumeret in ijs alendis; tum Auiculæ, quibus insidiaretur, quanti æstimarentur. Cum iuuenis nihil celasset de ingenti sumptu, deque lucro perexiguo. Vah, inquit, fatue, quantum potes, te in pedes confer. Nam si Medicus in te noster sic insanientem incidat: continuò in lacum coniiciat, vt vna cum ceteris, & quidem altius demersus, tam insignem amentiam concoquas, atque exsudes. Sanè (si verum fateri volumus) nonnè quotquot libertatem velut sub præconibus abiurauimus, ἀσκληπιοῦ δεῖσθαι egregiè videmur? qui rem preciosissimam, hoc est, tempus ludibrio habemus, meliorem æui partem nobis inutiliter sinimus elabi, & compendij propè nullius caussa, quotidie tantum dispendiorum emimus. Quamquam mea quidem ratio Paullò honestior videri solet; qui Aulæ otium non ob aliud consecter, nisi vt, quo extabuissem in patria, tædium discutiam, & quamdiu sub his quasi vitæ stipendiis mereo,

vltrò ad hæc castra deficiens,non in totum insipienter desipiam. Quemadmodum qui peruenire aliquò statuit, cum tutius posit terrestri itinere, sæpenumerò non recusat, quo minus, soluta ora,illuc adnauigando adducatur: quod nimirum voluptatis illecebra non careat, quod per vices ac sponte fiat. Vale.

Scriptionem, Fucci, ad hunc modum informaui. Tuum, ac Fabij Leonidæ iudicium expectabo,quibus illa acerrimè castigata, magnam habitura est gratiam. Valete Viri candidisimi, & Bottini politisimam Epistolam, toties promissam,ad austerioris nostræ leniendum tædiũ, suauisimè perlegite. Pridie Natalis Ambrosiani.

V. C. Io. Baptistæ Lauro
Io. Baptista Bottinus S. D.

Debebam antea plurimum humanitati in me tuæ,& verebar,ne ingratus existimarer, qui voluntate quidẽ, atque amore tibi respondere,parem tamen gratiam re ipsa nõ referrem.Sed tanta nuper facta est accesio ad æs alienum meum, vt si putem posse à me vllo vnquã tempore dissolui,planè ingratus sim.Nam quod me quoque in tuam Centuriam adscripseris,tãti æstimo, quanti ipsam nominis æternitatem: neque enim dubito, quin Epistolæ tuæ futuræ sint æternæ. Quapropter cum primum audiui ab humanisimo,tuique amantisimo Francisco

Fuc-

Fuccio, me tanto beneficio à te esse affectum, incredibili lætitia sum perfusus. cum verò relegi Epistolã, iamdiu ad me scriptam, iterum mirificè delectatus sum argumenti festiuitate. Cui enim risum non exprimat lepidissima illa Nasorum Historia? Ego autẽ hoc risi effusius, quod venit in mentem amici cuiusdam non ignobile facinus. Hic æstate superiore cum fortè in aduenam incidisset, Vrbem visendi studio perambulantem, cui ingens Nasus mento imminebat, ipse, suo naso manu vix obducto, illi obuiam factus, Heus tu, inquit indignabundus, quid isto naso viam impedis? flecte, sis, paululum ad dexteram. tum aduena grauiter eius audacia & ludibrio commotus: At ego, inquit, pugnis oculos tibi ita conficiam, vt te posthac ne minimus quidem nasus offendat: iamque pallio humeris dimisso, plenus iræ in hostem irruebat; cùm homo facetus, recepto statim pede: ego verò, exclamat, pugnis tibi cedo, naso non cedo: simul manu detracta, æquè ingentem nasum denudat. Itaque alterius ira in admirationem, mox in risum versa, illicò inter duos omnium nasutissimos fœdus ictum est. Hæc eò pertinet, Laure, vt intelligas, omninò falsas esse suspiciones, quas tibi Fuccius iniecit. neque enim ego Catoniano supercilio à iocis abhorreo. Sed homo aulicis artibus egregiè instructus, metuens fortassè, ne tua beneficia me tibi faciant in dies cariorem, dissidiorum caussas serit, & conatur alienare à me voluntatem tuam: quod si virum

bonum induere velit profectò fatebitur, me tibi apud ipsum egisse vt debui, maximas gratias, quamquam hoc officium & feci iam ipse tecum coram, & nunc iterum facio per litteras; vt planè perspicias curam mei ornandi tuã mihi fuisse gratissimam, idque loco ingentis muneris à me haberi. quod cum profitear; sequitur illud, vt te existimare velim, me daturum omnem operam vt meum tibi debitum studium,& obseruantiam nunquam desideres. Vale. Romae Ex Aedibus XI Kal. Decemb.

EPIST. XIIII. Antriam.

Io. Baptista Laurus S. D. Dionysio Veliae suo.

TVnè Comœdiam meo nomini inscribas, Velia? eamque illustrem, festiuam, lepidam, te dignam artifice celeberrimo; cuius grauitas iocis & salibus ita adspergitur, vt veræ sapientiæ pallium nunquam dimittat. Mirificè placuit Fabulæ totius οἰκονόμιαι, & vbique τὸ ὁμαλὸν tum mos integer, temperata dictio, quà tempestiuè ridiculis ludens, quà præceptis populariter informans, rerumque non sine iucunditate perturbatio, earundem non sine admiratione compositio. Perpauci autem, me Iudice, superiore seculo vixere, qui in artificioso Poëmate pertexẽdo industriam laudabiliter posuerunt. Nostratibus quidem, vt de exteris sileam haud infeliciter contigit hoc stadium decurre-

re.

re. Etenim ſicut Sfortiæ Oddi excellens ingenium æquauit nemo; ita nec Chriſtophorus Laurus Patruus meus contẽnitur, Franciſcus Podianus, & Iacobus Chryſaldus admodum laudantur: certè Caporali noſtro, vti conijcio, perlepidi homines, quo plauſibiliora Orbi ſua redderent nugamenta, perbellè impoſuere. Nunc verò altero ineunte ſeculo, maioris Oddi gloriã Galleottus filius, Artium liberalium dotibus inſignis, pulchrè æmulatur. Nec tu cuiquam mi Velia, de loco cedas: noui modeſtiam tuam. parcã loqui de te, metuẽs videri amori indulſiſſe, aut aſſentatiuncula par referre voluiſſe. Igitur obſtrinxiſti me beneficio non vulgari. Tuam Hebræam Catecheſim fac diutius ne deſiderem, Stephonianis ſcriptis, quæ popoſceras, P. Leonis Sanctij Solarium Gregorianum, & diſertiſſimas Orationes ad Peruſinos noſtros adiunxi duas; alias Tarquinij Gallutij Viri præſtantiſſimi propediem expecta. Vale. Romæ.

EPIST. XV. Romæ

Leandro Galganetto. I. V. C.
Io. Baptiſta Laurus S. D.

EST cur amico Numini, quod tibi tam præclarum conſilium iniecit, de Inſtitutionibus Lancelotti popularis mei, Pontificia auctoritate muniendis, euulgandiſque, ingentes gratias Peruſina Ciuitas habeat; quæ id beneficij (modò cuius ipſe rei auctor perficiendæ fueris,

ea ex

ea ex voto perficiatur) à Paulo V. relatura ſit, quod à Paulo IV. non potuit. & ab interiectis tot Pontificibus) fruſtra expectauit. Mandarat enim Petrus Paulus Carrafa, vbi Paulus IV. renominatus eſt, Io. Paulo Lancelotto, vt eam prouinciam Inſtitutionum Iuris Canonici conſcribendarum ſuſciperet, ad quam Gregorius IX. Bonifacius VIII. & Clemens V. (vt hoſce in primis commemorem, qui ſanctiſsimam facultatẽ ad certam formam redegerunt) animum non adiecerant, quippè eâ tempeſtate adoleſcere videbatur; alij vel diſtenti negotijs, vel non diu ſuperſtites, non valuere. Rem homo nauiter aggreſſus eſt, ac feliciter abſoluit, ſola Pontificia deficiente Teſſera. Quarè eiuſdem Patris Beatiſsimi iuſſu, duo ex ſacro Pontificio Auditorio adlecti, Fabius Acorambonus Decanus, & Iulius Oradinus, cumque his vna Antonius Maſſa, Lancelotti librum diligentiſsimè excuſſerunt, & ampliſsimo teſtimonio per litteras ad Pontificem primùm, deindè coram verbis honorificentiſsimis approbarunt. Interea dum ille limàm ex ſuo iudicio, qui omnia totius prædicatione Aulæ tardiuſculè expediebat, apponere ſe velle dictitat, ætate ac laboribus oppreſſus, conceſsit in fata; nec qui poſt ſecuti Pontifices ſunt, intermiſſo operi manum admouere. Quãquam Pium IV. aiunt nonnihil promouiſſe, curantibus Cicada atque Alciato Cardinalibus, qui tamen omnes poſtea congelarunt. Vnus Clemens VIII. qui Sanctionum Pontificiarum volumen

lumen ſeptimum adornabat, auctoritatem æquè impertiſſet noſtro, cum calculis certorum Patrum dilaudatum, redemiſſet ſuum: Sed & hûc fefellit opinio, qui demū palam dicere non dubitauit; litterarias Vigilias minus maturè expendi, abſoluique, vbi variè inter ſeſe ſentientium conſilia ſcinderentur, & multorum curas fatigaret, negotiorum in dies incidens cumulus, aut veterum neceſſaria extricatio Igitur fœtum vitalem futurum, Clemens VIII. è vitæ excubijs abductus, non eduxit: quod præſtabit, Cælitibus annuentibus, Paulus V. per quem Iuris Pontificij ſub Paulo IV. inchoata, perfectaque ſcriptio, æternam Pontificiæ lucis vſuram acceptura eſt, quam Pontifices decem, annis plus minus duobus & ſexaginta, vel conferre neglexerunt, vel incerta conferendi ſpe deſtituti ſunt. Vrgebis autem, Vir egregie, vti quàm celerrimè tanti Principis inuſtum nomine, diuinum opus in lucem proferatur: & vt decimum quintum feliciſsimæ dominationis Annum, inter cetera poſteritatis decora, victuro in omnem æternitatem libro, inſignem reddat Paulus Quintus. Vale. Ex Aedibus Romæ Non. Decembris.

(?*?)

EPIST. XVI. Romæ.

Galeotto Oddo Baluo Narnien. Militiæ S. Stephani

Io. Baptista Laurus S. D.

SOlutus hodie mane tam repentè in Quirinali Senatus, institutum quoque inter nos sermonem soluit: quem, quia totum diem domi sedere cogor, venturo ad nos pomeridianis horis Oratore Hispaniarum, Epistola sarcire decreui, vt maturius, re intellecta, Decemuiros nostros, & Gymnasij Perusini moderatores submoneas, quid horum esse muneris, aut hospitium, illic ingenij cultum capientium, tibi videatur. Ergò non ignoras, Io. Pauli Lancelotti Pontificias Institutiones, Paulo IV. iubente, compositas; nunquam tamen huius, aliorumuè, qui postea in illo fastigio collocati sunt, auctoritate in publicam Academiarum lucem emissas. Leander Galganettus I. C. Pistoriensis eas Pauli V. nomine publicari cupit; instatq; aqud eundem adeò non frigidè, vt ciues ipsi ardétius non possemus. Interea dum frustra olim sub Paulo ac Pio IV. excitatæ machinæ, recoquuntur, ac denuò incus tunditur; nostrarũ partium, quicũque ex Academia Perusina prodiuimus, esse existimo, coniunctis precibus editionem à Sanctissimo Domino efflagitare. Et quo petitio maius habeat pondus, maioreque cum dignitate adurgeatur: quemadmodum superstite Lancelotto, tunc

tunc ex vniuerſo nobilium cœtu, qui Gymnaſium noſtrum frequentabant, delecti ſunt duo, Ptolemæus Senēſis & Glufsianus Mediolanēſis, miſsiq; huc ad Pontificē fuerūt cū litteris Hippolyti Cornei Epiſcopi & Myrti Epiſcopi Caiacenſis Gubernatoris: ita nunc velim nō ſolū ex illa claſſe legari duos; ſed par etiā Iurecōſultorum; cum præſtò futuri e noſtris hic ſint Comitolus Epiſcopus, Franciſcus Vbaldus, Hieronymus de Oddis, Antiſtes Tiphernas, Paulucius, & Illuſtriſsimus Gherardius: Cardinales pręterea Aquinas, Iuſtinianus, Lanthes, Lenius: primores denique in Romana Aula, qui Peruſiæ Iuris vtriuſque lac ſuxerūt, quorum ampliſsimus eſt numerus: vt ſileam protritum illud; Gymnaſium noſtrum videri Seminarium quoddā Præſulū, Cardinalium, Pontificum, quibus Peruſina Vrbs titulis admodum gloriatur, tametſi alienis; cū ob fortunæ inclementiam in præſens non queat ſuis. Tu eiuſce rei rationem, Odde, iudicij tui libra examinabis, qui Sfortiæ Patris conſultiſsimi ſapientiam refers. Et qui conſilijs abundas optimis, Academiæ, ac Magiſtratui, cuius hic vices apud Pontificem geris, pro re dabis, quàm ego innuerim, meliora.

Vale IV. Id. Decembris.

(?*?)

EPIST. XVII. In Quirinalem.

Scipioni Cobellutio Card.
S. Susannæ
Io. Baptista Laurus S. D.

NOstra nimium interest, qui te litteris molestè appellamus vt Io. Pauli Lancelotti Liber, tuo beneficio, perueniat in manus eruditorum, Pauli V. suffragio, & auctoritate munitus. Et sanè vbi resciui, plurimum è fontibus consiliorum tuorum ad eam rem peti posse, exilui gaudio, & gratulatus sum Manibus popularis mei, simul Vrbi, atque Academiæ nostræ, quibus id aliquandò ornamenti accesserit, quod à Paulo IV. & Pio IV. multis licet tum ex primaria nobilitate adnitentibus in Vrbe Viris, vitio tamen temporum, nec rationibus adeò ad pacē litterariam compositis, impetrari non potuit. Nunc autem cum Pontificis singulari sapientia res Christiana mirum in modum floreat: in magna scilicet veterum dissidiorum obliuione, quibus sub illis Pontificibus pleraque Romanæ ditionis concussa sunt, & in viuentium honestissima quadam ambitiuncula, studiosorum conatibus afferre præsidia laborantium, consilium de eo iuris Pontificij vestibulo stabiliendo abijciendum non videtur: ac iure debet in tanto otio bonarum Artium candidatis Paulus V quod posteritas fauentibus & animis, & linguis exceptura est. Tu verò Vir Clarissime, si sedulò

pro

pro nobis prenses, qui in laudabili cura consenuimus (ac patere quæso, nos tantulum spatij curis grauioribus, quæ tuam sapientiam assiduè circumuallant, suffurari) cùm à studiosis omnibus inibis summam gratiam, tum Pontifex à Perusina Ciuitate non Signum modò referet æneum, aut marmoreum, quod antehac optimè de se meritis Principibus liberaliter indulsit; sed quòd iniuria temporum nunquam concidat & comminuatur, enixè dabit operam; vt in singulorum recessibus animorum, in publicis monumentorum tabulis, inscriptis denique, quæcumque inibi procudantur, beneficij accepti collocata memoria, quantum fieri queat, cum æternitate contendat. Vale Romæ. Idib. Decemb.

EPIST. XVIII. Gandauum

V. C. Iusto Rycquio Belgæ Gand. Io Baptista Laurus S. D.

ET vixi in Vrbe iam annos aliquot, &, vt antiquitatis nō incuriosus, Romæ Romam sæpius quæsita , nuspiam inuentam, nunc tandē potiore ipsius parte reperi per te, Rycqui doctissime, in cuius illustrato Capitolio feliciter assurgit, & felicius triumphat admiratio. Benè sit mucroni isti Belgico, qui Gothorum ac Vandalorum iniurias tam ingeniosè vltum ijt, & à quo longè plures expectantur manubiæ, quam domestici, aut peregrini hostes damna intulere.

Gratu-

Gratulatus Illustrissimo Cobellutio sum excellentis doctrinæ tuæ monimentum, quod amoris atque obseruantiæ in ipsum, eruditionis ac facundiæ in posteros edidisti. Ego iampridem apud Saregos Comites Perusiæ tibi non ignotus, nunc coram Patricio Gandense seculi ago caussam, præsidium à tua florenti ætate litteris, senio laborantibus, efflagitantis. Iuua igitur tua industria Scipionis Genio litantes Musas, & crede ad pristina decora multò honorificentius redituras; quandò votis nostris ex Senatorio Ordine complures fauent, & in clientela, si minus tui similes hoc est, doctissimos, famæ saltē alicuius candidatos fouent. Vale amabilissime Rycqui, quem amplissimæ Ciuitatis modò donatum iure, vt V.C. Franciscus Bartholinus meus indicauit, Roma, ob vetus repræsentatum Capitolium, suum iam dici mauult, quàm Gandensem. Ex Vrbe, Pridie Id. Nouemb.

EPIST. Romam

Præstantiss. V. Io. Baptistæ Lauro Iustus Rycquius Gand. S. D.

ITanè vero litteras à meo Lauro, post silentium tam longum? litteras iucundas, amœnas, elegantes; & quidem mittente amœnissimo atque elegantissimo Viro Francisco Bartholino! O diem niueum! ò horam inexpectatam; amori tamen nostro, quem illibatum tibi hactenus seruo, verè debitam & iustam! Sanè si vel somnio,

nio, comperiſſem te in illa luce hominum, atque gentium hactenus verſari, non omiſiſſem, quoties eò ſcripſiſſem (ſcribo autem ſæpiſsimè) quin aut litteris te ſingularibus appellaſſem, aut in iis, quæ ad amicos, amantiſsimi animi teſtimonium prodidiſſem. Nunc quod negligentia mea, ſiue locorum, in quibus verſarere, ignorantia, contigit, vt officia noſtra deſiderares, conabimur, ne quid in poſterum conqueri de ceſſatione noſtra poſsis. Etſi ne nunc quidem, cum maximè opus erat, vllam in me querelam effuderis; ſed benigna vice ijs me laudibus exornaris, quæ amorem potius Tuum nimis beneuolum atque conſtantem, quàm irati, aut offenſi animi ſignificationem cõtinerent. Dabo igitur operam, vti dixi, vt ἀντιφίλησιν ἐμῶ poſthac diligentius agnoſcas; & ſi quid Muſa noſtra præſtare poſsit, aut polliceri, quod in ſpem poſteritatis blandiatur, hinc quoque voluntatis noſtræ perpetuum teſtimonium habebis. Quamquam iſtorum tædio temporum elanguit animus, illud quoque vitæ genus, temeritate neſcio an iudicio delectum, in quod ex occupationes inciderunt, quæ omnem ferè veterum ſtudiorum vſum eriperent. Quoad tamen eius fieri licet, horis ſubſeciuis amœnitati litterarum indulgeo, & in poſterum lubentius indulgebo, quum benignitate Patronorum ea fortunis noſtris acceſſura ornamenta confidimus, quæ vouere magis hactenus potuimus, quam habere, vel impetrare. Tu quod in publico illo Orbis Theatro

Theatro nactus sis spectatorem Virtutũ tuarum Illustrissimum BARBERINVM, felicitati tuæ, quàm possum maximè, gratulor. Is enim vir est, qui prisca illa Senatorij Ordinis decora vel æquat, vel superat: atque ideò de Ingenijs iudicare constantius nouit, quia Ingenijs ipse maximis Virtute propria meruit accenseri. Huic tam eximio fautori tuo, si dignus videor, quem commendes, fortunam meam cum Persarum Regibus non commutem. Antè quam obsignem, est etiam, quod abs te peti velim: id ne frustra repetam, Cl. Bartholino indicaui. Si non incommodum est, amici caussa facies rogatus, quod si Te noui, vel tua sponte præstitisses. Vale. V. C. In Agro Vasiano.

EPIST. XIX. Tuder.

Angelo Mariæ Berardo Theol. Seruitæ Io. Bapt. Laurus S. D.

Succenseo, Berarde, Epistolis meis, quæ, præposteros nactę Tabellarios, Salernũ ad Ciardolinum nostrum non perferantur: quem non est, cur accusem; in officio cessare non solet, & carior mihi est, quàm vt viro posim irasci. Semel vltrò ad hunc scripsi: iterum ac tertiò, te rogante. postremas vna cum Card. Lenij litteris, attulit secum Archiepiscopalis familiæ pręfectus, qui à Salernitano Archipræsule, Pontificis iussu in Belgium proficiscente, Salernum ad ratio-

rationes domesticas procurandas, redire est iussus. Valdè tamen vereor, vt hoc anno Ecclesiastica illa nobis tradatur Vigilia; quod videlicet cuiusdam Principis, qui pro Hieronymiano anteuertit, nimium gratiosæ; fuisse dicantur litteræ. Vrgebimus nihilominus, nec voto nostro denique non fiet satis, vel si in sequentem annum, aut ab eo proximum, reijciamur. Sed dum hæc ad te meditor, si quid sit opus, tibi me vt purgem, accersor properè ad Raphaëlium, cui quartum iam mensem non cum Medicis, verius cum Morte lucta est. O immanem herniam! ô malagmata, ad vitæ tædium hominem enecantia! Prodigiosam ὑδροκήλην ferro parant aperire, vt quæ ibi malorum lerna occultetur, erumpat; & corpusculum paulatim exarescens, quod sperant, ad sanitatem reuocetur. Incidit autem (quod Deo acceptum referimus, ac B. Philippo Benitio, cuius tu istic Apotheosim diligenter promoues, & in quam Raphaëlius diu excubauit) in Medicos, & Chirurgos omnium expertissimos; hi tam ex arte malū leuant, quàm blandissimis verbis leniunt. Eò nunc accurro, vt sectioni intersim. Et quamquam par vulnus animo meo insederit, dum globus ille carneus perfodietur: iuuabit in atroci carnificina æquabilem & constantem amici vultum intueri; quem ita aiunt composuisse, vt si aliena res agenda esset; eaque tantum in parte videatur fore fungeus, cetera ferreus, atque adamantinus. Benè Vale. Romæ XVI. Iulij.

EPIST. XX. Romæ.

Bonifacio Beuilaquæ Cardinali, Episc. Ceruien. Io. B. Laurus S.

BEasti me illis verbis, Cardinalis amplissime, quibus hodie mane in Vaticana Aula inambulantem, cum ad Pontificiam deducereris ipse, præteriens allocutus es. Ἡ παγὶς inquiens, συνετρίβη καὶ ἡμεῖς ἐρρύσθημεν. non poteras breuius, argutius, explanatius rem desideratissimam expedire, qui pro cura planè paterna, qua tribules, ac ciues meos, inde ab æquissima Perusina Legatione tua, complecti voluisti, visus es eos laqueos à nobis excussisse, quos astutus auceps triennium totum intenderat. Superis gratiæ, disiecti sunt, obtriti sunt. Iam tutò licet ex auiaria cauea euolare, cum nullæ pedicæ, nullæ viscatæ frondes, nullæ circum insidiæ delitescant. Sed operæpretium fuerit, ne posthac in nidulos nostros venenum vllum aliundè importetur, amuleto ipsos aliquo lustrare, ac præmunire; quemadmodum in id Palumbes vtuntur lauro, Aquilæ callitricho, Turdi myrto. Cogita, obsecro te, Beuilaqua sapientissime, qua nos ratione hominum eiusmodi furaces manus queamus declinare. Nam qui in tuæ beneficentiæ præsidio fiduciam reposuimus, æquum est inermes à te vno tela expectare, quem vnum maximè à præsidijs omnibus firmissimum, & scimus posse suos defendere propter auctoritatem,

tem; & non nolle propter beneuolentiam. Ex Aedibus.

EPIST. XXI. In Quirinali.

Francisco Cennino Episcopo Amerino Io. B. Laurus S. D.

Hic deinde Pontificis Nuntius apud Hispaniarum Regem creatus est Cardinalis.

HEu quantum tibi à nobis molestiarum exhibetur! quantum oneris tua benignitas quotidiè patitur adiungi sibi! dum fronte adeò perfricta, vota votis, preces precibus cumulamus, & id solum non pergimus efflagitare, quod vsus non postulat, animo non ingeritur, linguæ non occurrit. Quænam mea hæc licentia? quænam tua hæc liberalitati coniuncta modestia? Beneficium præterea auges, spem faciens rei paucos intra dies penitus absoluendæ. Nec in mentem venit vllo pacto subuereri, ob id fore te in negotio magis sedulum, vt hac petitionum graui sarcina te tandem leues; (ne ego iterum, ac Raphaelius tuus iam fessum ac respirãtem nouis postulationibus opprimamus) iratus quorundam Etruscorum importunitati, qui cùm ad Vrbanum Quintum olim Legati accessissent, alter quidem, nulla ægrotantis Principis habita ratione, longissima Senem enecauit Oratione: alter verò festiuè subdidit: vnum illud sodali excidisse: iussum semet, ni suorum petitionibus annuisset, eandem Orationem ab ex-

ordio recantare. quo perlepido dicto delectatus Vrbanus, Legatos voti compotes celeriter dimisit. Non inquam, ista cogitatio imponit mihi. nã tu Cennine humanissime, etiam cum conferre desijsti, gratiarum valdè cupiens es conferendarum, & nullo tædio affici tua facilitas potest, quæ benè mereri de omnibus semper potest: neque facultati comes voluntas deest, cuius fructus antehac percepit summos; in posterum spero longè maiores. Vale in Vrbe Nonis Quinctil.

Epist. XXII. Romæ.

V.C. Bernardo Gulielmo.
Io. Baptista Laurus S.D.

Remitto Puteani nostri Promulsidem & Secundos Missus, mi Gulielme, qui per hos dies fuere mihi pro condituris ijs, quibus, adhibita frigida, furentibus Iulij caloribus obuiam ire consueuimus. Omninò pro delicijs habui, & visus est Vir ille pergere mecum in familiaribus sermonibus, quos nonnullis ab hinc mensibus suauissimè instituit, non sine tui honorifica mentione; quippe cui frequens sis in animo & in calamo, futurus in oculis multò frequentior, si ab Arce Louanij ad Capitolium, atq; Amphiteatrum nostrum demigret, quod tua virtus insigniter illustrat. Equidem notare è cauea possum, tametsi postremus omnium, ceteros ex Orchestra plaudentes tibi, quem & reliqui Ordines

dines veris acclamationibus consalutant. Tuis ad Clarissimum Puteanũ litteris adijciam meas (nam te scripturum Morellus indicauit)népe habituras à tuis pondus, & abs te accepturas lucem, qui nos amas in paucis, & in Erycio colendo ita nobiscum certas, vt, cum superare videaris, ne coniunctissimi affectum obruas, vltrò paria facias tamen. Vale. Ex Aedib. Non. Sextil.

Io. Baptistæ Lauro V.C.
S.D. Bernardus Gulielmius:

ERycio Puteano vt deberem, effecit vna & altera salutatio, quam binis ad te litteris mihi perhumaniter misit. Nomen meum paucis & vix in vicinia mea notum, transmissum fuisse in Belgium, inter fortuita numerare possum; sed tam charè, amanterq; fuisse exceptum, possum nisi cuidam Belgicæ humanitatis Genio tribuere. Agnosco in Puteano Lipsi Bonam Mentem, idest, litteras & mores. O mixturam mirabilem! doleo tamen, mi Laure, illius raritatem. Quotus enim quisque est, qui doctus simul & probus sit? doctrinam, quasi bonam segetem, malignæ herbæ, idest, praui mores opprimunt, & nescio quomodo florentis ingenij socia est obtrectatio. Quid plura? iam professio litterarum constat ex meris artificijs. Quocirca impensius gratulor tibi & Puteano Bonam mentem, quos styli, & vitæ candor coniungunt. Illi tu (quan-

dò inter vos mutua litterarum missio intercedit) Epistolam hanc perferendam curato. hoc tibi onus imponit humanitas tua, vestra coniunctio, meumque in vos obsequium. Vale. Ex Musæolo.

EPIST. XXIIII. Castilionem.

Io. Baptista Laurus S. D. Scipioni Ptolemaeo. V. C.

Litteras tuas adeò fauentes nostris perinde legi, Ptolemæe, ac si Appollo Palatinus trāsmisisset. Igitur fuere mihi pro confertissimo theatro, quamuis laudes eas non agnouerim, quas in me plena manu congessisti. Verum si egregias animi tui dotes intueare, felicissimamque scribendi vbertatem, quâ inter ætatis huius disertissimos triumphas; tu is es, quem minus deceat quemquam supra meritum efferre, nisi excussum iudicium tuum contra ius, fasque, velis interuertere. Quod piaculum ne candidū hominem incurrisse clamitem, & vt modestiæ tuæ sapientius ipse consulam, quàm tu meæ; illud scilicet encomium ea conditione admisero, non qui in præsens vllo pacto tribui mihi posse animaduertam; sed quia tunc fortasse aliqua ex parte debebitur, cum complures Centuriones mei, liuoris legiones feliciter expugnarint, aut infelicius dimicantes clypeum saltem, ex Græcorum legibus, non amiserint. Iam verò Cardinalis meus tuo erga se studio, atque obser-

ser-

seruantia mirum in modũ oblectatur. E Bartholucio quidem nostro, qui se hesterna die deambulanti obieceerat improuisus, haud quidquam exquisiuit prius quàm quid istic rerum ageres, vt valeres: tam beneuolè, tam amanter, vt homini nondum liqueat, vtri gratulari magis habeat, tuæne virtuti, an tanti Principis humanitati. Ego autem in neutro anceps: nam & præstãtiam tuam ab eminentissimo quoque scio debere magnifieri, & neminem altissimo dignitatis fastigio dignum iudicauerim, à quo tui similes amplissimis suffragijs non cohonestentur. Vale. Tudere. Kal. Nouembris.

EPIST. XXIV. Romam.

Feliciano de Penna, Procuratori Generali Seruitarum Io. Baptista Laurus S. D.

ET instas vehementer, & tuo tamen iure postulas, Pater, vt Aurelio Raphaëlio, heu nuper nostro, concinnẽ Epitaphium. Porrò ista veniam, & laudem meretur pietas, quæ meum quoque animum stimulat, in hominem, dum vixit, maximè propensum: cuius memoriam par est, nos superstites omni conatu propagare. Quarè celeriter excogitaui, quæ possent marmori inscribi, longius vtique victura, quàm ipsimet, qui scribimus; memores interim mortalitatis, cui immineat obliuio, nisi benefactis ab ea vin-

dicemur. Reuerendissimum Balthassarem Bolognettum vbi iacturæ admonueris, me demortui perfamiliarem & Viro Cl. deditissimum, eidem plurimum commenda.

Atque hæc ad te ex Aedibus, nondum certa luce, dum itinerarias ocreas inducit puer, meritorium Equum insternit alius, ceterique è familia vrgent abitum; sarcinulis vtcumque reconcinnatis quas oblitus vesperi, modò excussi, vt Scriptionem tibi Hispano-Gallicam conquirerem, & Patriano meo, vna cum Archangeli Giapij Volumine, à Raphaëlio commodato, ad te perferendam darem. Miraberis, ad quot, qualesque exilium rerum prædictiones, à vulgati Cometæ contẽplatione, Gallus dilapsus sit, quibus nec Chaldæorum quiuis superstitiosior, nedum castigatior Ptolemæus adstipuletur. Quãquam in Turcicis, item in Germaniæ tumultibus, supra quàm Germanorum cuiquam expediat, diuinus fuit. Sextilem Mensem quod malum exitiabile, quodue contagium Vrbem peruaserit, caue, facto ipse periculo, quemquam doceas; sed valens, ac firmus, quid euenit, nos admoneas hinc discedentes, & in salubriorem plagam hoc æstatis concedentes. Tametsi ego, quãtum obseruationes Mathematicorum vacillare soleant, didici olim ex Comete, qui anno MDXCVI Mense Iulio conspectus est, & ex alio, decennio exacto, Octobri ineunte quo quidem tempore non tam creuerat prædicentium insolentia, quàm imminuta est fides. vereque exin-

de intelleximus, Cælum hisce Ignibus, per interualla exorientibus, ostẽdere nobis dumtaxat voluisse, se sterilitatis minimè accusandũ, posse autem in dies Stellas parere longè pulchriores, quod in sui primordio pulcherrimas procreauit. Hæc tu subtilius cum Colutio nostro, quem per te exoratum volo, vt apud Illustriss. Hippolytum Aldobrandinum, multis nominibus suspiciendum, veterem patronum, mei memoriam interdum renouet, & nos seriò ipse amet. Vale, Pater amabilissime, ac tu præsta tantundem. In Vrbe.

EPIST. XXV. Perusiam.

Federico Rodulpho Comiti à Furstembergh. Io B. Laurus. S.

VAcat audire rerum nouarum aliquid? accipe, Federice Rodlphe nobilissime, quãquam scio indignaberis; & ab intimo animo, quæ tua est excellens pietas, perdolueris. Immanes scopulos & saxa confragosa, Libris editis, Archipirata Spalatensis Christianis proposuit vitanda: cum tamen penes eadem, paullò ante miserum fidei naufragium fecisset. sic denique laruam posuit sceleratus Mysta, & Romanæ sedi bello publicè indicto, in Anglicana castra se recepit. recepit autem? imò audit iam Tribunus & Magister. Vah hominem audacissimum, ac sacerrimum! lapidibus dignũ obrui, & comminui; vt si qua alia lues immineat innocuo fidelium

delium gregi, veterum exemplo, expietur, sistat contagium, nec serpat latius. Pridie huius diei profectus in Vaticanum legi præfixas Valuis Apostolorum, Pauli V. litteras, quà paternas quà minaces, vt ouiculam, si fieri posſit, ad caulas reducat, alioqui diris deuoueat contumacem; simulata mox effigie, ac persona Præsulis detracta, nullis non ludibrijs traducendum, exurendumque. Vides, quàm deploratas dent nobis fabulas quidam verbo Pastorũ tenus, re rapacium Luporum imitatores. Iam mirari desiuimus Gallicas desultorias, in quibus exilia, cædes, atque (*odiorũ) incendia, citra vllam Christianæ rei iacturam, exarsere. Nostræ nec tam prodigiosæ, sed multò atrociores, vulnera vix sanabilia, non sine spectatorum lacrymis, fidei truculenter infligunt. Deum clementisſimum rogo, Choragum summum, vt scenam inuertat, & feliciore catastrophe concludat. En in hominem nefarium vibrat gladium Philippus Faber Fauentinus, ac gemino Volumine (vtrumque vidi) fortiter expugnat: Zacharias Bouerius classicum cecinit: & præclaram edidit pugnam Andreas Eudæmon-Ioannes. Vale Comes Illustrisſime nosque tui, & Horatij Mancini Abb. vestræ familiæ addictisſimi, studiosos fouere perge. Ex Vrbe Kal. Iulij.

(✻✻✻)

EPIST

EPIST. XXVI. Consentiam.

Paulo Amelio Sanctorio Archiepiscopo Consentino S.P.D. Io. Baptista Laurus.

GRauiter me increparem ipsum, Sanctori Vir doctissime, qui tam serò tibi me, meaque proderem, idque absens, cum in Vrbe corã sæpius potuerim: nisi hũc ex prætermissione officij fructum caperem, quod nũc non tantoperè erubescam; dum homo non planè angusti animi, etsi litteris parum exculti, me tibi offerre non dubito, quem omnis eruditionis, eloquentiæque exemplar appellare consueui. Nam facit siue ingenitus quidam pudor, siue imbecillitatis conscientia, vt non satis libens quempiam tui similium conueniam Epistola promptior aliquantò sum, quod hac ratione sub chartaceo quasi clypeo, celari videar: veluti qui olim personati obambulabant, paullulum à se ipsis abeuntes, alacrius inibant Scenã; id quod, submota larua, minus fuissent ausi. Ob illud præterea cum his litteris venio non inuitus in conspectũ tuum, quòd cum tibi reddentur, proximè aberunt Saturnalia, per quorum occasionem pileato Centurioni meo licebit apud vos liberè nugari, conuiuijs interesse, & te ipso coram latinitatis Imperatore, impunè barbarè, & inconditè loqui, Xenia quoque expectare; nimirum Historiarum partem aliquam, quas diutius debere Vrbi,

Vrbi, atque Orbi non potes. Commouere enim iampridem desiderio sui studiosos omnes, quos præteritorum perinde habes cupidos, ac præsentium mirum in modum curiosos. Vale. Romæ Kal. Decemb.

EPIST. XXVII. Romam.

Io. Baptista Laurus S. D.
Io Baptistæ Auogadro, V. C.

DIscessi Roma perinuitus, vel ob hoc vnū, quòd suauissimo congressu tuo prius frui non licuerit, quem de litteris Louanium missis certiorem facere volueram, quas in fasciculum suarum, vna cum meis coniecerat Henricus Bonerus, Clarissimi Puteani contubernalis, mihi ab ipso ante mensem de nota meliore commendatus. Iam vt iter ad hanc Vrbem cum Illustrissimo Domino Aulici omnes feliciter explicuerimus, frigoribus hic tamē malè accepti, imò pluuijs, ac niuibus, quæ præter modum Paschatis ferias inquinarunt, mœrori nostro à vestro clementissimo Cælo abiuncti, non facilè mederi possumus, calamum, atque animum ad iucundiora, quæ hinc exulant, referentes. Ego alterū, vel si illa non absint, longè alijs queam minus, cogitationibus alienis in litteras mittendis intentus. Nam si nescis, qui Cardinali ab Etruscis erat Epistolis, domesticis, ijsdemque grauissimis negotijs impeditus, se ab Vrbe abduci non

est-

est passus. Huius vigiliam nos obire iussi. Quarè Patriam hinc oculis dumtaxat vsurpare satis habuerimus, illuc commigrandi consilio planè abiecto, nihilque de dialogo, deque latinis Epistolis excudendis cogitamus, qui in Italicis æstatem comburemus. Hoc vestitas pallio dedimus nuper ad N. Centurionis nostri audaciam excusantes, qui tanti conspectum viri subire nō sit veritus. Sed qui nos non amat in Sauonarola, cũ interpretis, & quasi ferruminatoris in eo partes egerimus, liberabit nos onere legendi suas, qui nnnc obruimur alienis. sic seriò loquar, ne nobis mercenaria præconia, mi Auogadre, obtrudamus. De Graphiscopia consilium probo, cuius scripta quæpiam, ab hinc quadriennium, istic memini me legere, & fortasse tua. Emptores inuenient talium non incuriosos, siuè Perusiæ imprimenda, siue vbiuis curemus. Doleo, quod haud propius absumus, quandò omnia litteris committenda non sunt. Cura, mi Io. Baptista, valetudinem & V.C. Bonifacium Vannozzium ex me saluere iube.

Tudere Idibus
Aprilis.

EPIST. XXVIII. Perami.

Iô. Baptista Laurus S. D. Cosmo Balestrino Dominicano.

Litteræ tuæ Kal. Septemb. anni M.DC.XVI. scriptæ, ad xij. Kalen. Februarij huius vndeuigesimi mihi fuerunt redditæ, de quarum breuitate apud tuos meritò cōquestus sum: cùm infrequens adeò cōmeantium vltrò, citròq; tabellariorũ traiectus sit, & scribēdi officia inter nos perrarò vsurpemus. Quàm multa, Deus bone, interiacent locorũ interualla! hinc illæ crebrò pereunt: Venetæ at Mamertinæ sæpius minus tutæ. nostrarum naufragium certè factum oportuit: cùm domestica omnia sic à te ignorari videam, vt, diuersis nunciata temporibus, nūc compendiò necesse habeam repetere; quod non possum citra molestiam. Ac fueram dedita opera in postremis aliquantò prolixior non modò quia rerum nostrarum id Ilias exigebat; sed abs te vt elicerem vberiores; cùm liceret ea perscribere, quæ de Sodalibus tuis, Chio reuersis, tibi inter nauigandum contigisse, post cognoui: nosque de Turcicæ regionis moribus facere certiores: tum de conuerso nuper Imperio; de abdicato Sene, quem, aiunt, præstigijs, & incantationibus deditum; deque Filio iam demortui consalutato Imperatore: in primis quantùm istic res Christiana per vos cultores adolescat, qui verbum Domini peruigili cura disseminatis.

minatis. Sed tu inuisa nimis breuitate scriptionem absoluisti: tantum innuens, bellissimè te habere; recta, & tranquilla omnia istic esse, nostras auidè litteras expectare; nullam abs te scribendi occasionem prætermitti. Ceterum triennium totum; vt de Patre taceam, & de M. Antonio germano tuo, proximè à Venetis reduci, mihi tacuisti. Vix tandem binæ, tertio post anno, quæ illicò Perusiam ad parentes tuos, collectam ex longo sitim explere cupientes, missæ: quos de tua valetudine sollicitos, ingenitus excruciat amor; & exisse seculum arbitrantur, ex quo, insalutatis omnibus, Fulginia demigrasti.

Tibi autem heu quàm tristia ingerantur, si huc mea vnius conferre studeam? quod parcè fecero, ne te mearum calamitatum fluctibus velle videar obruere; è quibus, Superum fauente nutu, demum enataui. Anno superiore tres Herculani Fratres, nobis veteris amicitiæ nexu coniunctissimi, continenter elati, domesticæ cladi prælusêrunt. hos deflere nondum desieramus; cum Io. Paulus Frater meus, ætate integra (alterum & trigesimum annum vix excurrerat) è medio honorum spatio, ac spe florentissima fortunarum abreptus est, nosque mortalium ærumnosissimos deseruit. Quam tragœdiam Pater tuus, Auunculus meus, mihi Romæ, nihil tale cogitanti, plenissima mitium alloquiorum epistola, coactus obiecit. Inaudieram de Febricula, Florentino in itinere, contracta, quæ & apud Thrasymenum in reditu inualue-

ualuerat. magnam verò vſque adeò daturam ſtragem, ne Medici quidem opinabantur. Fortè XIX. Septemb. triennij iam exacti, Viros ſex clariſsimos, & omni virtutum laude præſtantes in ampliſsimum Collegium adſciuerat Paulus V. è quibus Genuenſis non multò poſt obijt; & quamuis vno ex his, alteroque prius vterer familiariter, omneſque obſequio colerem reuerenter; iuſtæque ob id ſuppeteret gaudēdi cauſſæ: gaudium tamen, neſcio vndè tam impotenter erumperet, opinione cumulatius affluebat: quarè eam lucem, penè cibi, potuſque expers, voluptate temulentus exegi. Me miſerum! octiduo poſt tragicam fuiſſe perſenſi: ac Fratrem, eius diei primordio, purpuratorum inauguratricis, ex humanis euolaſſe. Vbi ad me redij; cogitaui, non temerè animum meum tum præ lætitia exiluiſſe; quod Deus illo temporis puncto, Beatarum Mentium purpura Fratrem inſigniret, & trabeam immortalitatis immortaliter fruendam traderet: quam hic Purpurati ad paucos dies, aut annos induunt, honoribus breui duraturis, Pontificis quoque morituri, beneficio perfruentes. Triduo poſtquam iacturæ ſum admonitus, reuertor in Patriam; hæreoq; vltra ſpatium quadrimeſtre; quo tempore proh quàm difficile negotium habui, res vt priuatim meas, improuiſo turbine diſiectas, ac laceras, componerem? Equidem è rationibus quibuſdam labyrinthæis nunquam me ad plenum explicaſſē; niſi Pater tuus, Vir acutiſsimus, Theſei officio me-

cum paternè esset functus. Itaque redij ad Vrbē paullò quietior, vnicum à Diuina clementia subsidium petens, cui hoc, quantumcumque obuenit leuamenti, acceptum fero.

Factus verò ex ea clade nostræ mortalitatis memor; modò extra Spem, Metumque, rerum humanarum satellites, me mihi fortiter vindicaui: neque inter Aulæ nugacia, quidquam de asserta libertate, imminuitur, quòd subseruire ea mihi iubeam; quippe quæ otioso sapienter homini (absit verbo inuidia) contra quàm plerisque euenire soleat, voluptati sint. Veluti enim intersim Fabulæ, rideo subindè Mimos, & personas, quas consequatur sibilus, & complosio. Ita hic se res nostræ habent: domestica curat Pater, Sacerdotii Oliuetani rectissimè composita lis est: & studiis, quantum per aulicas occupationes licet, datur opera vt sedula, ita & ad parandam mentis tranquillitatem efficax. Quin ad abstergendum penitus dolorem (didicimus autem leuamentum vnicum à litteris petere) superiorem Annum non illiteratis Vigilijs sic impendimus, vt Epistolarum cohortem ab Augusta nostra emiserimus: In ea de itinere, istuc à te suscepto, meminimus dumtaxat: ad te nihil; propterea quod tuis minus nos ipse prouocasses; &, vtrum, quas antea transmiseram, accepisses, ignorabam. Volumen per certum hominem Venetias ad V.C Lælium Fontium afferri curauimus, qui in fasciculū Oratoris Veneti, apud Turcarum Regem agentis, conijciat;

& Galatam Constantinopolitanam tutò ad tè perferendum curet. Quamobrem & hanc scriptionem, Fontio transmittendam, haud perituram ratus, de industria longior esse statui. Nec tantum iacturam illam, licet omnium grauissimam, satis erit indicasse: vulnus aliud æstate anteacta nos transfodit, & quidem biceps. Christophorus patruus, & Bernardina huius Soror supremum vitæ diem obiere. Atque hæc quartum & octogesimum annum agens, Viro superstite nonagenario. Alter in Calabris, cum eò se recepisset per caussam declinandæ parumper inuidiæ, deposita vltrò Vicarij Mamertini persona, graui oborto dissidio inter Hierosolymitanos Equites, quorum gerebat symbolum, & Hispanienses. Ad quos ictus haud imparatum habui pectus, qui didici carere omnibus, extremus scilicet meorũ, in hoc natus vnum, vt efferam vniuersos; meque seriò ad migrationem, quæ mortalibus quotidie immineat, comparem. Sed enim mitto flebile argumentum, & desino de infortunijs loqui.

Recentiora portenta ad se vocant, quæ totum terrarum Orbem incerta futuri lance suspenderunt. Postremos vertentis Anni menses Trabs ex igne conflata primum; duo deinde Cometæ insignes fecernnt; quamquam matutinus tantum se nobis liquidò videndum obtulit. Emersere subitò diuinaculi simultates, prælia, ægritudines, funera pronunciantes. Iam, ne penitus absit dictis fides, feruet in Germania bellum;

insur-

insurgunt in Cæsarem ij, quibus famulari obsequio nihil antiquius, nihil sanctius esse debuerat. Pestis, fortè vltura perduelles, apud Bohemos grassari cœpit; in pagis aliquot Heluetiorum Christiana res labefactarur. In magnates quoque nonnullos, qui ad amplissimos honores cùm errore hominum, tum commendatione fumosarum Imaginum obrepserant, sæuæ felicitatis exempla, lanista Nemesi, proferuntur cũ interea Seianus ille Gallicus, deterrere posset eos, quibus foret pecunia potior, quàm fides. Quod si par non obijciatur reflantis fortunæ mucro: infulis, ac verbenis tribuendum est: tametsi alterius inauguratrices manus, ab operatu adhuc calentes, audierimus cõstrictas vinculis, & Satrapem ipsum veloci essedo Oenipontem abductum. Idcirco maioris Exarchi iussu festinat hinc in Noricos, quo & ego inuitor, Vir è Duodecemuirali Collegio delectus. Quarè dum in Germanijs è Bellonæ Fano arma furialia educuntur, & odiorum incendia exaggerantur; in Gallijs hilarè cantat Hymenæus, & Nuptiales in Sabaudiam adportat faces. Propediem & hic excitabuntur Burghesianæ, initaque societate, Aquila, Draco, atque Vrsa inter sese amicissimè coibunt. Aderit Nupta ex Etruria; speramus omnia plena plausus, & tripudiorũ. Legati Heluetiorum heri perbenignè ab Vrbe dimissi. in Regno Neapolitano tumultuatum est in Gironium; sed citra sanguinem compressus rumor. Turcicæ quædam classes à Prorege

ſpecioſa fraude captæ, direptæque: ſumpta ab his mutuò inſtrumenta, atque ornamenta. Nauarchos enim, turbamq; nauticam barbaro ritu, Petrus obarmauit. noſtri exertis brachijs, contento arcu, appenſa ad latus pharetra, abraſo mento; turbinato pileo, linis circumplicatis obuoluto, incedebant. Quid multa? fefellit ex ſententia delatos improuidè per noſtra maria, mendax habitus & ſermo. Tormentis viciſsim naues ſe ſalutant: dum plerique hoſtium, qui è puppi deſiluerant, aquatum tendunt, Prorex fit propior, amicè excipitur: interea cædes cooritur, & magna in imparatos, nihilque tale metuentes, editur ſtrages. Maxima pecuniarum vi potiuntur Neapolitani; magnum Turcarum numerum obtruncant, longè plures captiuos ducunt in his Virginem formoſiſsimam, quam in Gynecæum Turcici Imperatoris, adhibita cuſtodia, abducebant. Sed quid iſtinc proximè eſt allatum de fœdere cum Rege Perſarum icto? Permulta apud vos ſunt, de quibus nos queas facere certiores, ſi animum intendas; nec tribus dumtaxat verſiculis ſemper velis nos dimittere. Ego nihil præterea adiũgam; quod ita implerim quaternas paginas, vix vt nomini ſubſcribendo vacet locus. Vale Frater amabiliſsime, & Iſchiadẽ illam tuam, qua te laborare etiamnum ſcribis, alicui Turcarum liberaliter imperti: ad tuos, cum primũ liceat, reuertare, meique inter orandum, ſacrificandũque aſsiduè memineris. Ex Vrbe Roma quinta Febr. MDCXIX.

EPIST.

EPIST. XXIX. Romæ.

Io. Baptista Laurus S.D. Gregorio Cybo V.C.

Hoc est, mi Gregori, verè esse aulicum; rationes viuendi suas alieno arbitratu moderari, ab alterius præscripto hilum non recedere. Quàm sanctè dierauerâm, postquam hodie mane cùm Cardinali tuo erã locutus, mansurum me domi, & aduentum tuum à prandio præstolaturum, cui grandia latentium Disciplinarum volumina ostendere habebã: in his Fortunati Scacchi Augustiniani Sacrorũ (vt nunc quidem titulum fecit, neque dũ edidit) Eleochrysmatum Libros quinque, quos ad me misit, eosque, rara eruditionis fruge respersos, ad miraculum vsque suspexi: inspecturus postea vna tecum alios aliorum, si venissem in Vaticanum, quod constitueram. Cum ecce tibi horis pomeridianis Vincentius Suardus, Mantuanus Episcopus, imminet, Cardinalis vocat, adest Currus, in Hortos Ianiculenses imus, vbi diem fermè solidum condidimus. Domum repeto, Iacobi Vectiani Nuptiale Carmen, ab eius populari accipio, quod secum Vir humanissimus attulerat, cupiens nobiscum congredi; quem ego si allocutus essem, ereptam suauitatis tuæ consuetudinem aliqua sarcire potuissem: sed frustra ille ad nos venit, & te carui: ac ne planè totus displiceam mihi, schedulam à me habe, quan-

dò me non potuisti ipsum; quæ te in noctem saluere iubeat, me tibi purget, & hoc vnum de Harpocrate illo innuat: perpulchrè Theatrum, quod dicitur, mihi reserasse, mox clausisse. pro quo precor homini iratas Gratias, qui tam ingratè suos sibi ludibrio habendos putat. Sed hoc malè habet: illud me magnoperè delectat, quod à Hieronymo Besora Barcinonense, Hieronymi Bossij Ticinensis missus est legendus Epistolarū liber; in quibus multa de te mentio, & me non semel honorificentissimè appellat, Enimuerò tu, ac Massinius, mei nimium amantes, dum Ticini versabamini, Bossio imposuistis. Doleo, quod Philippo superstite ignorauerim: expostulassem cum illo hanc iniuriam. Te obiurgare non ausim aulicus aulicum. Claudium Susannam, hominem candidissimum, volo etiam atque etiā à me saluere. Ex Aedibus Nonis Quinctilis.

EPIST. XXX Romam.

Maphæo Barberino Cardinali. Io. Baptista Laurus S. D.

QVæ ego officia, dum istic sum, minus sæpè vsurpare soleo, quòd fucum nescio quem in aula versantibus suboleat, ea si nunc negligā, qui ab Vrbe absim, & plusculum existimer abfuturus, nimis absurdè faciam præsertim intercurrentibus Sacrosanctæ τῆς τῦ θεοῦ ἀναστάσεως ferijs, quas felices, ac faustas precari Principibus

bus prisca consuetudo iubet. Quam rē me quoque in primis apud te Patronum amabilissimū religiosè obire decet, cuius eruditionem, & amplissimam fortunam, cum pari humanitate cōiunctam, exerta, & clara voce iurè vbique prædico. Accedit, quod nisi meus calamus in eo vtcumque incalescat; videatur frigore, ac niuibus planè obriguisse, quibus per hosce dies propè hic obruti sumus, vbi suum Aeolus statuisse domicilium per Hiemem creditur, quæ incrudescit adhuc, &, nulla Veris habita ratione, Aestati vix de loco cessura est. Ne quæso, Princeps, interim patere, nostri memoriā apud te exolescere, dum hic hæremus, & Epistolis præter opinionē addicti alienis (qui in has prius vernaculā Lāpade excubabat, Cardinale non inuito, rationibus istic quibusdam expediendis præest) perrarò ad te damus nostras: cui tamen, absque litterarum officio sit, nihil scio esse exploratius, quàm hunc animum tui oppidò obseruantissimum, meque excellentissimarum dotium tuarum, vel citra purpuram, verissimum præconem. Vale, Tudere. xxiij. Aprilis.

(?*?)

Tuder.

M. Cardinalis Barberinus S.D. Io. Baptistæ Lauro.

IN tuis officiosissimis litteris impressam conspicio beneuolentiam non vulgarem, qua me prosequeris, cuius imagine nihil gratius oculis animi contemplari possem. Hac igitur mirum in modum oblectatus, me tibi plurimum debere fateor, cum nullam temporis opportunitatem præterlabi sinas, arctius in dies me deuinciendi; tibique inuicem ab omnium gratiarum largitore Deo, pari precor affectu, non solum hos solemnes dies, sed plurimos annos felicissimos. Pro comperto habeas, in te redamando, cui cedam, esse neminem: flagitat id à me tuus erga me flagrans amor, morum suauitas, & eruditio: & si detur occasio, quam vehementer opto, meã hanc tibi propensam voluntatem, libentius re, quàm verbis, testificabor. Vale. Dat. Romæ vi. nonas Maij.

EPIST. XXXI. Romæ.

Ioanni Angelo Duci ab Altaemps Io. Baptista Laurus S. D.

NObilissimum Satyrographorum Persiũ, vberrimo ac doctissimo Casauboni Commentario illustratum, remitto, Dux Clarissime; cuius lectioni nunquam interruptæ, postremos

mos hosce Tiburtini secessus dies tanto cū fructu, atque vtilitate impendi, vt euaserim inde multò alacrior, & ad virtutis studium inflammatior, planè vbique melior, coaceruatis ad sapiētissimi Poëtæ monita, ab Isaaco aureis Chrysostomi, Nazianzeni, Basilij, Hieronymi, aliorumq́ue eius notæ Scriptorum sententijs. Vt taceam priorem, ac posteriorem Platonis Alcibiadem luculenter expressum, & Stoici personam semel, atque iterum appositè exhibitam. Nam vbi de legitimo diuitiarū vsu verba fecit, de rectè propiciando Numine, votisq́ue concipiendis, supra Eutyphronis, ac Tyrij diatribas, se ipsum omnibus partibus meo iudicio, superauit: neque Christianus doctor vtilius potuit præcipere, neque eruditus interpres religiosius explanare, modò paucula abradantur, castigatis piorum auribus obstrepentia. cum tamen pudorem virgineū in toto opere agnouerim, & vtrumque morum permodestū censorem, ac verecundum egisse animaduerterim. Alterius verò prolixitas à legendo me non terruit, existimātem quodque longissimum, iuxta Aristophanē, esse optimum, pulcherrimumq́ue. Quid plura? factus per te sum Persio amicior, cuius dictis etiam sciam Diuum Hieronymum tutelarē meum, perlibenter vsum. Huius patrocinium vtrique nostrum perennè voueo, teq́ue, Princeps humanissime, multa cum gratiarum actione valere feliciter iubeo. Ex Aedibus.

EPIST.

EPIST. XXXII. Sangenesium.

Gaspari Murtolæ. V.C.
Io. Baptista Laurus S.D.

ET vultum mihi, & animum suauissima hilaritate, mi Gaspar, tua adspersit Epistola, qua officij, si minus prætermissi; dilati saltem, vti vis, excusationem obis, & in exsuccam Dynastiam istam, in qua videris propemodum cõsenuisse, vocibus perlepidè tragicis incandescis. Sed nec Eques Aurispa, Sororis tuæ vir, in reddendo Poëmate peccauit quidquam. Credas, amasse me tarditatem, si qua fuit, qui dari mihi spatium volebam legendi prius Beresithiaden Gallico-latinam, quàm Etruscam tuam delibarem. Quia verò homini aulico deesse occupationes non ignoras, feci longius interuallum, & plures ego in euoluendo Libro contriui menses, quàm qui confecerat, verteratque. Commodum igitur è Theatro Gallico defessis viribus exeuntem, festiuissimè excepit Etruscum tuum: in quo docta, varia, selecta deprehendi; dum Cosmotheoriam, atque impressa homini diagrammata. Virtutes, Artesque omnis generis, capacissimo ingenio tuo inditas, prosequeris. Quarè si liberalitati tuæ referre parem gratias, ab ipsomet Poëmate petendæ illæ sint, quibus tam merito abundat plurimum; quàm verè res, cuius argumentum speciosè tractat, ab ornatu nomen duxit. Adijcerem verbum de Piscatorijs O-

dulis:

dulis: verum qui sic splendidè partes conflantes Orbem in vniuersum expressisti numeris, nō absimili genio his coalita modulatus es. Velim tandem, sicuti propitium Apollinem in dicendo habuisti, propitia item Iunone in regendo vterere. Nam quem (malum) mihi famelicum magistratū narras præpinguis Prætor? eò tu scilicet vbertatem importas potius; nec est mirum, si annonarium Præsidem oppidis sterilibus diutius præesse Princeps noster iubet. Opulentiora prensant tibi tua promerita, quibus aderit bona Iuno, hoc est, aurea. Vale, ac Musas vernaculas tuas identidem nobis concilia. Ex Vrbe, Postrid. Kal. Iunij.

Sed non te celauerim, Murtula, quid hodie gaudij Hannibali attulerim. Heri vesperi Musæolum ab inanibus schedijs purganti, eaq; cōscindenti, concremanti, occurrit præter opinionē Epistola, à Cæcilia Poloniæ Regis Sorore, ad Olympiam Poëtriam (Margheritæ Sanrochiæ, quinquennio antè vita fūctæ, prætulisses) Equitis Hannibalis Cari, Poëtæ celeberrimi neptem, & Aurispæ nostri matrem scripta. Nam quo anno Ferrariense Bellum pænè exarsit, cum ego à Lauretana Virgine digressus, ad spectatissimā feminam hospes diuertissem, ea reddita est, & autographam, exemplari relicto (curioso quippè adolescenti illa non grauatè indulsit) mihi retinui. Velim tu quoque legas, ac nobis pro exemplo assem pares. Vale iterum.

Cæcilia Dei gratia nata Regina Sueciæ, *Gothiæ, Vandaliæque, Marchionissa Baden. Comitissa in Spanhaim, Domina in Rodemachern &c. Soror Serenissimi Regis Poloniæ.*

Olympiæ Caræ Sorori suauissimæ.

POstquam Anconam appulimus, magna humanitatis, & beneuolentiæ officia à generoso Domino, Christophoro Zuccarino Equite, nobis sunt declarata, quæ nos vehementer inflammarunt, vel ceperunt potius, vt te tam prudenti, & in omni vitæ genere circumspectissimo Viro nuptam, maximoperè videre cuperemus, vel ob id maximè, quod talem Virum non nisi prudentissima, & rerum maximarum vsu sciētissima femina gaudere arbitraremur. Quæ res magnam à Diua Virgine Lauretana, ad te scribendi nobis præbuerunt ansam; vbi aduentum tuum cum aliquantisper expectauerimus, idque frustra; rogamus vt, vel iam omni cunctatione abiecta, aduoles, & conspectu nos tuo diutius ne priues. Fortasse non pœnitebit te, me cognouisse. Vale, & de me, optima quæque tibi pollicere. iterū Vale, 31. Martij. MDXCVIII.

Tibi ex animo benè fauens.

EPIST. XXXIII. Romæ.

Virginio Cæsarino V.C.
Io. Baptista Laurus S.D.

TEstes habeo Viros grauissimos, Tuarumque Virtutum verissimos præcones, PP. Famianum Stradam, & Dominicum Franceuccium, quanta per hos dies cupiditate flagrauerim ad te adeundi, & hoc, quidquid est Versiculorum, Tibi offerendi. Sed dum expecto, vt ex diuturno morbo reualescas, vel aliquæ saltem induciæ fiant; quo tibi molestiæ minus obijceret aduetus meus: frustra video esse votum; pertinax morbus non remittit, & me tamen plus æquo meticulosum Viri illi, Tui obseruantissimi, nostri peramantes, subaccusant. Ad quos ego: Accedamnè importunus salutator, ac tantū inesse virium Carminibus putē meis, vt audita dumtaxat, aduersam valetudinem ab ægro corpusculo propulsare queant? quemadmodū Achilles Lyrâ perterrefaciebat Hectorem, & Regius Psaltes, ne sacrum exemplum sileatur apud eum, qui spectatissimæ religionis sit, à Rege suo intemperias fidibus profligabat. Non ea est Camenularum mearum ἐνέργεια, Vos, vos, inquam, Poëticæ eloquentiæ Duces, id præstare decet, quorum voluntatem par facultas, facultatem par exitus consequatur. Quid quæris? acquieuerunt scilicet, ac multò libentius; vbi recepi, missurum me vicariam epistolam cum Libello,

bello. Ea porrò aditum haud ita difficilem habitura est ad te. quam si nunc quidem excludas, & ad colloquium non admittas; piaculum nullum est.me,si accessero, quæ tua est comitas, facilitasque,audeo dicere, non potes. Vale ex Aedibus.

Epist. XXXIV. Perusiam.

Io.Baptista Laurus
Francisco Signorello. S.D.

CVm fortè nuper in Abbatem Signorellum, Patruum tuum, Tibure reuertentem,incidissem(perrarò nũc congredimur, absente hinc Cæsio Card. cuius in nobili famulatu princeps ille est,)& vt fit,multa de rebus partim Vrbicis, partim nostratibus (profectò recens ad vos Gubernatore, Iulio Roma) collocuti essemus: interrogaui demum , nunquid de Pellini Historia Perusina, à Fregio typis data, istinc haberet noui. Memineram enim biennio superiore, Volumen primum, Venetijs editum, me videre apud Bibliopolam Naccarinum; ac Fregium, qui cõpactum redimebat,dicere, nondum statuisse sese, publicaretnè seorsim volumen quodque, an tria simul (totidem reliquerat Pellinus) quo rerum series vniuersa obijceretur Ciuibus,suauissimæ lectioni, post annos quadraginta inhiantibus. Negauit aliquid compertum sibi, Teque,qui proximè litteras ad se dedisses,nihil indicasse. Subinde ostendit binas tuas ad se,& ad Illu-

Illustrisimũ à Monteuetere, politisimas hercle, & varijs elegãtiæ luminibus resperſas: quas penès me eſſe voluit, vt, quoniam ipſe Tibur recogitabat, ſignificarẽ tibi, & valdè illas ambobus placuiſſe, eoſdemque nihil magis cupere, quàm de tuo in bonis Artibus progreſſu creberrime admoneri. Subijcerẽ verò de Pellino verbum, & te vtriſque gratificaturum, ſiquid de Libris eius editis, aut mox edendis perſcriberes. Iam calamo ſemel ſuſcepto hoc addam amplius, tuæque cogitatio humanitatis plurimũ hortatur. Velim Franciſce, per te fieri certior: peccetnè alicubi, quam hic Inſcriptionem appinxi. Qui tranſmiſit, vereor vt ſatis ex fide. Leges in marmore Fontis Laurẽtiani, præpilata illa crate ferrea obuallatĩ. Nec Ioſephus Nerius non erit conſulendus, antiquitatis acutiſsimus, vt quidem Analectorum concinno opere declarauit, indagator, cui precor proſperam valetudinem, & Tibi Muſarum beneuolentiam. Romæ.

SIXTO PONT.
NIC. PEROTTO
PROPAPA AN-
... VVE. QVAESTO
RE ERE PVBL...
NS INSTVAVRA-
TVS. MCCCCLXXV.

Romām.

Io. Baptistæ Lauro.
Franciscus Signorellus S.D.

PRobasse te scriptiunculas nostras, quas tibi, superioribus mensibus Hieronymus Abbas Patruus meus ostendit, lætor, nec miror tamen: pro tua enim humanitate est, qua me vltrò compellas, & ad scribendum prouocas, cui ego, non amore tantum, verum & obseruantia respondeo. Et fateor sanè, vehementer me tactum epistola tua, & mirum in modum ad laudis studium inflammatum, ea præcipuè parte, qua significas, Auunculum, & Patruum meos, quorum monita semper sarta tecta esse volui, summoperè optare, vt ego in bonis artibus quotidiè proficiam. Sed de his hactenus. Quod verò de Pellini nostri Perusinæ Historiæ Libris scribis scias, nullum adhuc volumen prodijsse, sed tantum primum biennio superiori, dum tu hic Perusiæ fuisti, apud Bibliopolam Naccarinum visum, quod latet in tenebris. Reliqua, vt Elephantis partum, adhuc expectamus.

Inscriptionem, quam in calce epistolæ appinxisti, Nerio Doctori meo, vt scripsisti, ostendi. Ille quamquam nec illius æui mixobarbara monumenta contemnere soleat: hoc tamen accuratius expendere, operæpretium vix esse credidit. Et tu mihi hanc veniam dabis, mi Laure, si cum viro illo instructissimo, &, vt ipse dicis, antiqui-

tiquitatis peritiſsimo, me facere dixero. Equidem ex epiſtolæ tuæ prioribus verbis in hanc ſuſpicionem veneram, quaſi tu exigeres, vt illius, meamque ſententiam de inſcriptione illa perſcriberem. ex poſterioribus verò conieci, te potius deſiderare, vt exemplum iſtud ad illum lapidem explorarem. Sed ego, vt verum fatear, ſubſtiti, & mecum reputare cœpi, num aut flagellatæ annonæ, aut alterius huiuſmodi flagitij compertũ plebecula iſta me habere poſſet. Scis enim, in eo conſpicuo, & celebri loco ſontes vinctos de more ſiſti, in quos turba ſæuiens poma mittat, vt identidem exanimes fermè reddat. Et licet mihi horum criminũ minimè conſcius viderer, attamen ne vndique repentè concurſus fieret, ſi illuc acceſsiſſem, abſtinendum potius eſſe duxi. Ceterum seriò, ſi iuſſeris, propediem explorandum curabo. Vale vir eruditiſsime. Peruſiæ.

EPIST. XXXV. Romæ.

Io. Baptiſta Laurus
Vrſino Cardino S. D.

NVlla mihi auis, ſi cum veteribus deſipere velim, nec præpes, nec oſcen, nullumque tripudium ſoliſtimum auſpicatius heri eſſe potuit: quàm tuus, Vrſine ſuauiſsime, occurſus, quem propterea veſperi ſub horam accumbendi ad me diuertere volueram, quod multa mihi, Bononia reuerſus, de Thoma Dempſtero, ac de

Romulo Paradiso, Viris eruditissimis, obstrepente nemine, expedisses. Quemadmodum verò dixeram, ægrè me laturum, si fidem falleres, ita nunc habeo gratias, quod te frustra expectauerim: perierit mihi licet plurimum Niuium in potu, & ferculis. nā de cetero apparatu adeò tibi non irascor, quem tu quidem absens minus corrupisti; vt diras omnes in Cæsarianum Vrsum iurè detorqueam, qui missus qualescumque, tanquam fœda Harpya, polluerit, discerpserit, comminuerit. Rem audi, ne non mecum effusissimè rideas; non vt ex eo aliquid mali ominis nobis eruas.

Adductus est haud ita pridem in hanc viciniam Vrsus satis mitis, ac mansuetus, catenulâ tamen nunquam non reuinctus: qui cùm grex Puerorum lusitat, edulia porrigens, manu permulkens. Heri incipiente Nocte, in exhaurienda Cerasorum corbe, quæ fuerat obiecta, occupatus, se mitiorē solito adolescentulis colludentibus præbebat: cum à nescio quo temerè laxato loco, ceruicē excussit, & in pedes sese attollēs, perterruit vniuersos. qui veluti fumantem eius nasum grauiter læsissent, metuere sibi à saginato didicere, vnde & fugâ sunt dilapsi. Imminere Animal abeuntibus, petere illi propinquiores domos, saxa, & sudes iaculari, clatrare fores, clamores in tota vicinia commouere. Vrsus hac illacque protrusus, in nostras Aedes, incautius, obseratas, irrumpit; Cellas vinariam, & penuariam atrienses famuli occludunt, culinā haud

adeò

adeò celeriter potuere. Itaque Coquos negligẽtes, otiosósque opprimit, & coquinaria Tragœdia funestauit, quippè chytropodas, cacabos, ollas igni admotas, in quibus & erant cenaturis nobis comparata, totumque futuræ Cenulæ patrimonium, immanissime subuertit. Atque hic diutule debarchatus, obito quasi triumpho de Spolijs Epularibus, recedit gloriosus, non expectatis depopulatæ officinæ Dijs vltoribus. Prosiluerant enim iam Coqui, madentes iure, fuligine nigri, semiustos torres, mortarium, tõsillum, furcillas, ceteraque arma in hostem attollentes, vibrantes, congerentes. Verum in tutum prædo secesserat, omnibus plorare, ac valere iussis, quorum castra conuiualia expugnarat.

Id dolens, exacta penè prima vigilia (nec audebat se in meum conspectum dare) renarrat Puer. ego risu diffluere, te dumtaxat hospitem miserari, cuius mensæ feroculus, & famelicus Vrsus ad hunc modum fuerat insidias molitus: spem modò vnam vltionis superesse; fore videlicet, vt hunc in Vino (trito nostratibus prouerbio) caperemus, quod in argenteo, & vitreo vasculo iam gelasceret; conficiendamque esse aduentoriam Cenulam cum embammatis, atque tragematis. Sed suggerit tibi certè aliquis bonus Genius, ne friuolo ientaculo interfueris, vt hic totam noctem cogereris esurire. Haud sic opinor, res abibit in prandio, cui, propitijs Gratijs, hodie te his inuitatum litteris, nulla mora

 inter-

interposita, adesse iubeo. Excubitores conduxi; nihil est in matutino triclinio metuendum. Tu caue desis; nec mensæ accingar, nisi tecum; nam me incœnatũ, somnoque parcissimo refectum, facilè potes conijcere, gestare in vtero obmurmurantem famem Ni venias, conuiuij vtriusque impendium ad assem solues, ac restitues in solidum Vrsinus, quæ abstulerit, non abstulerit petulans Vrsus. Ex Aedibus antè lucem.

EPIST. XXXVI. Romæ.

Io Baptista Laurus S. D. Rodulpho Buccalino. I. V. C.

QVid ni verò exclamem, Rodulphe, ò fictilem hominem! ò bullam momento temporis nascentem, atque euanescentem! ò procacem Parcarum lusum! quem possem ferre, si in gregarios quosq; exercerent; sed in Viros & principes, & cælesti præditos ingenio ambitiosa quadam inuidentia continenter ludunt. Nonnè ita censeam, subtracto nobis per morbi vim nefariam, patrono optimo, amico incomparabili, eloquentissimo iuxta ac doctissimo Alexandro Magio? in quo scilicet Aula respirabat vno, ereptis haud ita pridem, maximo Reipub. litterariæ damno, Alexandro Burghio, & Balthassarre Ansidæo Me autem præter publicam studiosorum vicem, par est, vehementius dolere; qui ita priuatis nominibus debebam ipsi, vt nō arctioribus cancellis eorum occludi recordatio

queat,

queat, quàm quantula futura est æui, quod vixero, diuturnitas. Memini adolescens, cum Perusiæ Beuilaquæ Cardinalis Prolegatum ageret, quàm optimè de me, & de reliqua familia fuerit meritus; tum quibus iuuenem cōsilij, quibus cohortationibus ad capessendum iter laudis, ac doctrinarum paterno affectu impulerit. Clientulo nimirū Phœnix est visus, ex cuius ore Mercurij catena prodibat; auribus omnium, quos linguæ lenocinio circumduceret, inserta; cuius pectus (è quo, tanquam secretiore Musarum adyto, cogitata sapientissimè proferret) Bibliotheca quædam spirans erat, & obambulans Musæū. Inde etiā audijt perspicax Iustitiæ oculis; quamobrem à Clemente VIII. non vni Vrbi præfectus est, qui & Romam euocauit, atque in Sanctissimum Rerumpublicarum Consilium, vt in Prouincias quasdam curam intenderet, cooptauit. cui pulcherrimo muneri sub eodem Clemente, Leone XI. ac Paulo V. laudabiliter obito, nunc immortuus est: nobis alienissimo tempore, imò nondum suo, qui annum quinquagesimum quintum non excesserat. Sed non faciam, vt pluribus exequar iacturam nostram, mœroremque tuum exaugeam, quo spectante (quamquam spes adhuc aliqua subblādiebatur, haud ita celeriter auris communibus destitutum iri, qui easdem ambientes precario reflatu salutabat) hominis expleta mortalitas est, porrò hæc expleta potius, quàm vita: cum grata posteritas immortalitatis honorificentissimo suffragio

eam exceptura videatur. Hæc suauitate colloquendi tecum, amabilissime Rodulphe. quem sospitem seruet mihi diutissimè prępotés Deus: in quo vno me consolor, & libentissimè acquiesco. Ex Aedibus. Kal. Martij. MDCXIX.

Romam.

Franciscus Suueertius Gauconi Gaukema Canonico Aquisgranensi S. D.

AMo tuám satis crebram scriptionem, satis, nimis non dicam; non si in dies me compelles. Suaue semper à Gaukema aliquid & de reliquis Amicis audiro, quos animo huic fideliter habeo insertos: inter quos D. Io. Baptista Laurus Perusinus, cuius Epitaphium pro Lipsio,& Centuriam Epistolarum accepi. Grata omnia, quia à tali Viro, quem ex animo amo, quia me non visum,neque notum amauit: quod illi significo Elegia nostra. Inuideo vobis (cur mentiar?) quod mihi non calcare ea loca fas: atque vtinam vel furtim liceat! & pænè, dicam cum Lipsio, Geniali aliqua machina eò transferri, & salutare Amicos omnes. Nam hic,præcipuè in Bohemia, & Germania, nubes & tenebræ maximæ. Antuerpia XXV. Februarij. M.DC.XIX.

Romam.

Romam.

Io. Baptistæ Lauro.
Franciscus Suueertius S. D.

Et Vetus, & tritum est: ignoti nulla cupido.
Sorde superiectá sæpè ita gemma latet.
Inuisus tibi sum, mihi tu. Quanam ratio ergò
Cur tuus, aut contra tu meus esse velis?
Et tamen hoc nuper cupidis euenit vtrumque,
Vt desiderio vellet vterque pari.
Nam simul ac Virtus fama est tua cognita nobis,
Et studium nostri quàm foret ære tuum:
Illicet accenso mihi dulcem in corde calorem
Exciuit, quauis omnia vti cupiam.
Et licet hic, BAPTISTA, prior tibi venerit ardor,
Non minor idcircò flamma secuta mea est.
Quarè in amore duces oculos qui credidit, errat:
Auribus est in te nam meus ortus Amor.
Hunc si porrò tua pergas ex parte fouere,
Qui modò sic natus, fiet adultus Amor.
Suauis Amor, nullisq; fauis cessurus Hymetti:
Namq; vbi verus Amor, melle redundat Amor.
Illo auctore, animum cum Carmine do, dico, nostra
Vt testis fidei sit cithara apta fides.
Aut cithara potius Maia satus ipse repertor,
Promissiq; tenax magna Hera sancta fides.
Numen habent ambo, testem tibi quemlibet opta,
Siue DEO mauis credere, siue DEÆ.

Antuerpiæ in Ocello Vrbium, CIↃIↃXIX. XXV. Februarij.

FLORES LIPSII iam quintùm sunt sub prælo. Epitaphium ad Bonciarium scriptum auribus meis inerrat: iterum edi,& viuere dignum, quod per me fiet in FLORIBUS. Tu me semper, semper amaturum ama. Salutem D. Gaukema amico optimo, qui sæpissimè honorificam tui mentionem fecit. Centuriam Epistolarum antea videram, & legeram, mirè placuit. Vale mi Laure.

EPIST. XXXIV. Antuerpiam.

Francisco Suuertio suo
Io. Baptista Laurus S.D.

CArmen aureum abs te, aurei pectoris Viro missum, legi, mi Suuerti, & quidem Gaukema, nostri in te affectus prodromo, afferente: Carmen inquam, initæ inter nos amicitiæ pignus, longè iucundissimum,& dulci amoris illicio quemque captiuũ trahens: quod me continuò fecit suum. Quamobrem verba, quibus tibi gratias agam, non facile reperio; ac cõfugerem ad consueta Musarũ officia, nisi nostræ tuis sponte cederent; ob id fortasis non illaudabiles, quod Suuertij laudibus volentes suffragantur, cui palmam vel inuitæ, ac victæ deferant. A me verò quanto breuiore epistola salutaris; tanto prolixiore beneuolentia te altiùs in animum à nobis receptum fuisse, pro certo velim tibi persuadeas. Benè vale, meque hic ad nutus & imperia tua præstò futurũ, vt cœpisti, amare perge. Ex Vrbe Roma, Non. Aprilis.

EPIST.

EPIST. XXXIX. Perusiam.

Io. Baptista Laurus S. D.
Cæsari Meniconio Academiæ
Insensatorum Principi.

COnflagrationem istã Deceuiralis Sacelli, quæ Cenam genialem veteris, recentisque Magistratus consecuta est, molestissimè audiui Cæsar; quemadmodum olim Dominicani Templi, apud vos omnium maximi, & vetustissimi à Pio II. dedicati, subitã ruinam. Ac Palatina Aedicula vnà cum sacro instrumẽto facilius queat refici, & sumptuosius exornari: haud placet initi Patriciatus augurium. Memini, antequam amplissimum illud fanum collaberetur, tintinnabula è Turri Campanaria dies complures, asperè, ac flebiliter sonare. ex quo grauius aliquid portendi, non solus diuinaui. Facessat nunc, obsecro, malum omen, sitque potius præteritarum calamitatum hic extremus quasi actus, & posthac iucundior fabula Vrbem lætiorem reddat. Biennium totum aliorum vicem Ciuium dolui pariter, ac meam; in quos calumniatrices quædam Furiæ in tantum erant debacchatæ; vt pacem, otiumque ab omnium animis excusserint, atque intestinis dissidijs cuncta lacerarint. Res demum proscriptionibus paucorũ conquieuit; reliquorum stulta consilia Pontificis beneficiũ obruit; & pertinax Aduersariorum odium circumfusa humanitatis flamma profligauit. Idem

quatriduò antè linteatus, Agnos in cerea effigie propè innumerabiles in Vaticani aula Clementina, etsi quaternis tantum vsus peluibus, solemni precatione consecrauit: quam lucem Marius Farnesius, militia clarissimus, suo obitu funestauit. Hoc eodem die quo Oratorem Gallum, à Ludouico xiij. ad Vrbẽ missũ, trans pontem Miluiũ, ad sex passuum millia prodeuntes obuiam, excepimus; vulgatum est, Matthiã Romanorum Imperatorem vixisse: quo quidẽ nuncio magnus mœror bonis omnibus adspersus est, aliud belli incendiũ in Germania metuentibus. Sed Cælitibus Christianæ Reipub. salus cordi erit, qui nos quoque, mi Cæsar, seruent incolumes. Romæ.

Eia quid Insensati nostri moliuntur? caeterũ de recudenda Francisci Coppettæ Poësi elegantissima consiliũ? non facilè credas, quàm anxiè à doctis exemplaria expetantur. Vrge, quantũ potes. Licebit hinc & vos remunerare Academicorũ Humoristarũ doctis lucubrationibus: in his Hieronymi Aleandri Iun. Latinis, Vincentij Gramignæ Etruscis. Pellini Historiã Perusinã, si quandò Fregius ediderit, nobis cura: ego Gallicanam V. C. Homeri Turturæ, proximè in lucẽ datam, paro iam ad Balestrinos meos, à quibus poteris petere & vale-
bis. x. April.
1619.

39 EPIST. XXXX. Neapolim.

Bernardino Stephonio è Soc. Ies.
Io. Baptista Laurus S.P.D.

MItto, Stephoni ornatissime, quod festinantibus Musis, vtinam benè fortunaturis, sub hos dies effudi Carmen: cui quantum, te absente, perierit Gratiarũ (Mutius Riccerius, Musarum delicium, agebat Tusculi) indicat illud iam, quod languidulum est, insuaue est. celeritas commendauit nonnihil. Quippè tempestiuitate quadam efferuescentia aliorũ studia, easdem Nuptias efferre gestientium, longè post se reliquit. Consultò autem peruulgatã neglèximus horum Poëmatũ ὕλην: neque euocauimus Cupidines, Hymenæos, Veneres; Fescenninos multò minus, à quibus in omni scripto persãctè abstinuimus. Nam huic ætati, atque instituto, ad quod viuendi rationes accõmodauimus: tum verecundiæ Principum, quibus Epithalamiũ debebatur, parendum fuit: qui propterea, opinor, munusculũ aliquantò vberius dilaudarunt, me honorificentius exceperunt. Verũ, heù nos infelices! dum in calce liberorum prædicimus natalia, propagationes, atque incrementa, percellit nos atrox nũcius de inopinato amicorum quorundã interitu. Iamq; vt non in Patria solũ desiderare habeã Eugenios, Colũbos, Ansidæos; obijt hic nobis, plus quadrimestri morbo enectus, Aurelius Raphaëlius: paulò antè tui aman-

tissimus, Alex. Magius: in Noricis Alphanus, Cæsius, Vbaldus: in Bruttijs noster Moriconus. Ceterum ne funebrem epistolæ huius clausulā in totum delendā censeas; quæ turpiter à nuptijs ad Libitinā deflexerit; reuocemus, Stephoni, nobis in memoriam confarreationes illas, & consuetudinem Viris tradendi Virgines vsu æquè, ac mancipio: quod de vitæ quidem vsura perexigua non est dicendum, quæ certo spatio, non perenni, datur mortalibus vtenda. Audin' Lucretium?

Vitaq; mancipio nulli datur, omnibus vsu.

Vale. Manliano secessu, quē Mantuanis Musis Dux Ferdinandus Gonzaga, olim Card. adoptauit, ad valetudinem confirmandam, Io. Gualterius Episc. quod tibi à me indicatum voluit, salubriter vtitur. Ex Vrbe.

EPIST. XL. Romam.

Io. Baptista Laurus S. D. Dominico Francuccio Theologo.

CVm nuper recognoscerem per otium DIALOGVM priorem meū, in quo personas facio colloquentes de Viris, istic litterarum gloria præstantibus; incidi in eum locum, vbi ex occasione inspectę in Poecili Tabulæ, in qua Diua Magdalena, egregiè depicta, conspiciebatur: Beraldus (hunc & veliam amicè congredi commentus sum) tui ad hunc meminit modū *Hanc mihi anteacta vitæ flagitia, & noxas execrantē,*

excussa-

excussaq; altius collacrymatione contractas maculas ex animo abstergentem, artificioso Dramate exhibuit Scipio Dominicus Francuccius, Vir, vbi ab humana, diuinaq; sapientiæ fastigio paullum recessit, ad amœna Musarum Viridaria non grauatè deflectens. Et quia complures imminent, non quidem vt edam (nam Dialogos consequentes haud dum confeci, neque absens ab Vrbe queam, qui de viuentibus in Vrbe sermonem institui; & scio consilium, non improbari) sed vt copiam legendi faciam, quod saluo officio negare non possum: interim verò periculũ sit, ne quis sibi exemplum sumat, quod auertere in mea manu non est: antè quam alicui dem, in mentem venit, de tui ipsius Nomine, ad eam rationem congeminato, te consulere ipsum, Francucci. Cùm enim, quod tibi inditum natali die Scipionis nomen fuit, in editis hactenus leuioris operæ, vt sic dicam, scriptis retinueris; reieceris autem Dominicum, vbi Theologica publicaris, quæque istam magis decent, quàm sustines, personam, vt es religiosæ obseruantiæ magnus cultor; occurrit mihi inter scribendũ nexus ille nominum, quem aures sanè respuere non sunt visæ. Ne quid nunc tamen, te inconsulto, proferam, pergratum erit, si quàm primum sententiam ea de re tuam nobis exposueris. Cupio etiam Epistolam Baiano reddas, quam perlectam obsignabis; nec tunc misi, cum exaraui, quod SILVAE carebam exemplari, quod illi vnum, reliquis extortis, reseruaram, tametsi mox

legit:

legit: Te, quæ tua fuit humanitas, commodante; qui amore adductus, nostra semper plus æquò æstimas; quamquam id nobis haud adeò mirũ; cũ eximiæ eruditioni tuæ, ne à se desciscat, nihil, quod sit alienũ (quippè cui, quod desit, de suo largè tribuat) non eximiũ videri soleat. Vale, ac Viris longè grauissimis Iulio Strozzæ, & Gulielmo Settonio salutem à me plurimam nuncia. Tudere. Kal. Aprilis. M DC. XIX.

EPIST. XLI. Romæ.

Io. Baptistæ Lenio Cardinali S. Cæciliæ, Episcopo Ferrariensi Io. Baptista Laurus S.D.

TVa facit singularis humanitas, & magnitudo animi, summo studio erga me, beneuolentiaque coniuncta, vt ad te non liberius solum, verum etiam audacius adeam, & in tuas grauissimas curas, proiecta quasi verecundia, irrumpere non verear. Rei enim expectatio, cuius spem omnem in ope, ac præsidio tam effusæ beneficentiæ iurè repositam habeo, valdè me sollicitat: haud quia minus id sis piè, strenuè, liberaliterque facturus. sed quia meritum meũ nullũ est, officia mea in Mœcenatem illũ nulla sunt; & quàm tu potes celeriter imponere extremam manũ propter auctoritatẽ, tam ego sustinere non potero tantam gratiam propter imbecillitatem. At enim hoc est demũ eius, qui sũma valeat pariter, ac velit: clientulos suos omni

ni ornamentorũ genere cumulatè augere, magnificè cohonestare. Nimirũ vos decet Viros Principes Cælum, à quo, ob maximæ dignitatis fastigium, propius abestis, imitari: à Cælo scilicet gratuita rerũ omnium vbertas in Orbẽ manat, & pro collatis muneribus nullum à mortalibus reposcit fœnus, quia mortaliũ neminẽ fore nouit referendo parẽ. Votis igitur acquiescit gratias vltrò agentiũ, sibique de immenso beneficio gratulantium: Qua quidẽ officiosa voluntate plurimũ à nobis afficieris, Leni: cui gratias eò vberiores, ampliores que agam; quo tu Cardinalis humanissimus, & ad benè merendũ natus, voluptatẽ, & fructum absoluto ex opere, æquè, opinor, vberem, æquè amplum consecuturus es. Nam tibi pro re tanta animũ, calamum, vigilias, & lucubrationes omnes voueo; cũ præsertim habituræ semper illæ sint verum, atque vnicum in tua sapientia perfugium, in beneficentia solatium, in amplitudine ornamentum. Vale, VIII. Kal. Maij.

EPIST. XLIII. Romam.

Henrico Chifellio I.V. C. Antuerpiensi Io. Bapt. Laurus S.D.

NVnquam æquè fui in hoc secessu occupatus, bis in hebdomade, sæpè etiã ter, grãdes Epistolarum acerui sese obijciunt, tã multæ huc Principem sunt consecutæ, tam crebræ cõmoranti afferuntur, quibus omnibus rescribi oopor-

oportet, vel si præter comitatem, atque officiosa verba, aliud contineant nihil. Quæ me res tædio enecat, tanto maiore, quod amicos appellare non vacat, Teque in primis, mi Henrice, qui cum diuturniore silentio sum vsus, quàm coniunctio nostrorum exigebat animorum. Accessit nuper oculorum dolor, & quædam grauedo capitis, cui decem turres quodammodo incumbere videntur. Leuat tamen plurimum, quod propediem, qui hanc nobis tradidit Lampada, dicitur affuturus, cui cõtinuò regeremus. Statui autem totos duos Menses reficiendo animo impendere, &, exeunte Maio, in Agellianum meum proficisci, vbi venari, studere, otiari liberè dabitur. Senecæ Tragœdias, præter ceteros Scriptores, in id paro: in quibus quia, post Medeam, Thebais mirè placet, & molestè semper tuli ad posteros integram non peruenisse; Eam autem cum Tu elegantissimè absolueris, & ad gemmas illas contuleris facundiæ tuæ præciosos Vniones; vehementer cuperem illorum mihi exemplum Carminum transmitti. Enimuerò inerrat etiamnum auribus meis Iocastæ, atque Oedipi tui lacertosa oratio, tuorũque quasi Luscinia Iamborum. Da quæso operam Henrice, ne hæc frustra me spes habeat. nec metuam ominosas Thebas, in quibus haud quidem Oedipum, potius exoculatum Homerum agnoscã, mihi Helenes poculum propinantem. Vale, & Iacobum Vectianum meo nomine saluere iube. Tuderti 3. Non. Maij M. DC. XIX.

Tuder,

Tuder.

Io. Bapt. Lauro Theologo Peruſ. Henricus Chifellius S.P.D.

REddidit mihi gratiſsimas tuas Felix Contelorius, vtinam te reddidiſſet, cuius illæ deſiderium acuere, & velut ignem cineri ſuppoſitum, denuò inflammauere. Tertium iã menſem te careo, Vir doctiſsime, caret ipſa Roma, imò Reſpublica litteraria tota. Quicquid enim temporis negotijs illis, quorum te mole premi, & opprimi ſignificas, impendis; Pegaſides ereptum ſibi dolent, & iurè queruntur. Otium ego quidem tibi, & quieté in Tudertini agri amœnitate, procul Romano ſtrepitu, augurabar, & ſcaturientium ea murmura fontium, ſalubrem, vt reor, Cæli plagam, pulchram denique ludẽtis naturæ varietatem, omnia Muſis propitia, & ardentius te ad earum amoré excitatura, iudicabam, ſed heu! contra euenit; ac tibi, vt video, in medio Tibure, an Tudere? Sardinia eſt: credo tamen moleſtum illud ſcriptionis onus alteri iam regeſſeris, quem mox adfuturum ſperabas, & cum Beraldo tuo, ac Velia in gratiam redieris, quorum ego nunc apud te cauſſam ago, atque nimis diù in carcere detentos, in publicum prodire permittas, enixè rogo. Doctiſsimi ſunt eorum ſermones, iucundi, vtiles, nec leuis ad Muſarum delicias incitamenti. Iocaſtæ meæ fletus non tranſmitto: cum enim propediem

FLORES LIPSII iam quintùm sunt sub præ-
Io. Epitaphium ad Benciarium scriptum auribus meis inerrat: iterum edi, & viuere dignum, quod per me fiet in FLORIBUS. Tu me semper, semper amaturum ama. Salutem D. Gaukema amico optimo, qui sæpissimè honorificam tui mentionem fecit. Centuriam Epistolarum antea videram, & legeram, mirè placuit. Vale mi Laure.

EPIST. XXXIV. Antuerpiam.

Francisco Suuertio suo
Io. Baptista Laurus S.D.

CArmen aureum abs te, aurei pectoris Viro missum, legi, mi Suuerti, & quidem Gaukema, nostri in te affectus prodromo, afferente: Carmen inquam, initæ inter nos amicitiæ pignus, longè iucundissimum, & dulci amoris illicio quemque captiuũ trahens: quod me continuò fecit suum. Quamobrem verba, quibus tibi gratias agam, non facile reperio; ac cõfugerem ad consueta Musarũ officia, nisi nostræ tuis sponte cederent; ob id fortasis non illaudabiles, quod Suuertij laudibus volentes suffragantur, cui palmam vel inuitæ, ac victæ deferant. A me verò quanto breuiore epistola salutaris; tanto prolixiore beneuolentia te altiùs in animum à nobis receptum fuisse, pro certo velim tibi persuadeas. Bene vale, meque hic ad nutus & imperia tua præstò futurũ, vt cœpisti, amare perge. Ex Vrbe Roma, Non. Aprilis.

EPIST.

Epist. XXXIX. Perusiam.

Io. Baptista Laurus S. D. Cæsari Meniconio Academiæ Insensatorum Principi.

Conflagrationem istā Decēuiralis Sacelli, quæ Cenam genialem veteris, recentisque Magistratus consecuta est, molestissimè audiui Cæsar; quemadmodum olim Dominicani Templi, apud vos omnium maximi, & vetustissimi à Pio II. dedicati, subitā ruinam. Ac Palatina Aedicula vnà cum sacro instrumēto facilius queat refici, & sumptuosius exornari: haud placet initi Patriciatus augurium. Memini, antequam amplissimum illud fanum collaberetur, tintinnabula è Turri Campanaria dies complures, asperè, ac flebiliter sonare. ex quo grauius aliquid portendi, non solus diuinaui. Facessat nunc, obsecro, malum omen, sitque potius præteritarum calamitatum hic extremus quasi actus, & posthac iucundior fabula Vrbem lætiorem reddat. Biennium totum aliorum vicem Ciuium dolui pariter, ac meam; in quos calumniatrices quædam Furiæ in tantum erant debacchatæ; vt pacem, otiumque ab omnium animis excusserint, atque intestinis dissidijs cuncta lacerarint. Res demum proscriptionibus paucorū conquieuit; reliquorum stulta consilia Pontificis beneficiū obruit; & pertinax Aduersariorum odium circumfusa humanitatis flamma profligauit. Idem

quatriduò antè linteatus, Agnos in cerea effigie propè innumerabiles in Vaticani aula Clementina, etsi quaternis tantum vsus peluibus, solemni precatione consecrauit: quam lucem Marius Farnesius, militia clarissimus, suo obitu funestauit. Hoc eodem die quo Oratorem Gallum, à Ludouico xiij. ad Vrbẽ missũ, trans pontem Miluiũ, ad sex passuum millia prodeuntes obuiam, excepimus; vulgatum est, Matthiã Romanorum Imperatorem vixisse: quo quidẽ nuncio magnus mœror bonis omnibus adspersus est, aliud belli incendiũ in Germania metuentibus. Sed Cælitibus Christianæ Reipub. salus cordi erit, qui nos quoque, mi Cæsar, seruent incolumes. Romæ.

Eia quid Insensati nostri moliuntur? cæterùm de recudenda Francisci Coppettæ Poësi elegantissima consiliũ? non facilè credas, quàm anxiè à doctis exemplaria expetantur. Vrge, quantũ potes. Licebit hinc & vos remunerare Academicorũ Humoristarũ doctis lucubrationibus: in his Hieronymi Aleandri Iun. Latinis, Vincentij Gramignæ Etruscis. Pellini Historiã Perusinã, si quandò Fregius ediderit, nobis cura: ego Gallicanam V. C. Homeri Tuyturæ, proximè in luce datam, paro iam ad Balestrinos meos, à quibus poteris petere & valebis. x. April. 1619.

39 EPIST. XXXX. Neapolim.

Bernardino Stephonio è Soc. Ies.
Io. Baptista Laurus S.P.D.

MItto, Stephoni ornatissime, quod festinantibus Musis, vtinam benè fortunaturis, sub hos dies effudi Carmen: cui quantum, te absente, perierit Gratiarũ (Mutius Riccerius, Musarum delicium, agebat Tusculi) indicat illud iam, quod languidulum est, insuaue est. celeritas commendauit nonnihil. Quippè tempestiuitate quadam efferuescentia aliorũ studia, easdem Nuptias efferre gestientium, longè post se reliquit. Consultò autem peruulgatã neglegimus horum Poëmatũ ὕλην; neque euocauimus Cupidines, Hymenæos, Veneres; Fescenninos multò minus, à quibus in omni scripto persanctè abstinuimus. Nam huic ætati, atque instituto, ad quod viuendi rationes accõmodauimus: tum verecundiæ Principum, quibus Epithalamiũ debebatur, parendum fuit: qui propterea, opinor, munusculũ aliquantò vberius dilaudarunt, me honorificentius exceperunt. Verũ, heu nos infelices! dum in calce liberorum prædicimus natalia, propagationes, atque incrementa, percellit nos atrox nũcius de inopinato amicorum quorundã interitu. Iamq; vt non in Patria solũ desiderare habeã Eugenios, Colũbos, Ansidæos; obijt hic nobis, plus quadrimestri morbo enectus, Aurelius Raphaëlius: paulò antè tui amanman-

tissimus, Alex. Magius: in Noricis Alphanus, Cæsius, Vbaldus: in Bruttijs noster Moriconus. Ceterum ne funebrem epistolæ huius clausulã in totum delendã censeas; quæ turpiter à nuptijs ad Libitinã deflexerit; reuocemus, Stephoni, nobis in memoriam confarreationes illas, & consuetudinem Viris tradendi Virgines vsu æquè, ac mancipio: quod de vitæ quidem vsura perexigua non est dicendum, quæ certo spatio, non perenni, datur mortalibus vtenda. Audin' Lucretium?

Vitaq; mancipio nulli datur, omnibus vsu.

Vale. Manliano secessu, quẽ Mantuanis Musis Dux Ferdinandus Gonzaga, olim Card. adoptauit, ad valetudinem confirmandam, Io. Gualterius Episc. quod tibi à me indicatum voluit, salubriter vtitur. Ex Vrbe.

EPIST. XL. Romam.

Io. Baptista Laurus S. D. Dominico Francuccio Theologo.

CVm nuper recognoscerem per otium DIALOGVM priorem meũ, in quo personas facio colloquentes de Viris, istic litterarum gloria præstantibus; incidi in eum locum, vbi ex occasione inspectę in Poecili Tabulæ, in qua Diua Magdalena, egregiè depicta, conspiciebatur: Beraldus (hunc & veliam amicè congredi commentus sum) tui ad hunc meminit modũ *Hanc mihi anteacta vitæ flagitia, & noxas execrantẽ, excussa-*

excussaq; altius collacrymatione contractas maculas ex animo abstergentem, artificioso Dramate exhibuit Scipio Dominicus Francuccius, Vir, vbi ab humana, diuinaq; sapientiæ fastigio paullum recessit, ad amœna Musarum Viridaria non grauatè deflectens. Et quia complures imminent, non quidem vt edam (nam Dialogos consequentes haud dum confeci, neque absens ab Vrbe queam, qui de viuentibus in Vrbe sermonem institui; & scio consilium, non improbari) sed vt copiam legendi faciam, quod saluo officio negare non possum: interim verò periculũ sit, ne quis sibi exemplum sumat, quod auertere in mea manu non est: antè quam alicui dem, in mentem venit, de tui ipsius Nomine, ad eam rationem congeminato, te consulere ipsum, Francucci. Cùm enim, quod tibi inditum natali die Scipionis nomen fuit, in editis hactenus leuioris operæ, vt sic dicam, scriptis retinueris; reieceris autem Dominicum, vbi Theologica publicaris, quæque istam magis decent, quàm sustines, personam, vt es religiosæ obseruantiæ magnus cultor; occurrit mihi inter scribendũ nexus ille nominum, quem aures sanè respuere non sunt visæ. Ne quid nunc tamen, te inconsulto, proferam, pergratum erit, si quàm primum sententiam ea de re tuam nobis exposueris. Cupio etiam Epistolam Baiano reddas, quam perlectam obsignabis; nec tunc misi, cum exaraui, quod SILVAE carebam exemplari, quod illi vnum, reliquis extortis, reseruaram, tametsi mox

legit:

legit: Te, quæ tua fuit humanitas, commodante; qui amore adductus, nostra semper plus æquò æstimas; quamquam id nobis haud adeò mirũ; cũ eximiæ eruditioni tuæ, ne à se desciscat, nihil, quod sit alienũ (quippè cui, quod desit, de suo largè tribuat) non eximiũ videri soleat. Vale, ac Viris longè grauissimis Iulio Strozzæ, & Gulielmo Settonio salutem à me plurimam nuncia. Tudere. Kal. Aprilis. M DC. XIX.

Epist. XLI. Romæ.

Io. Baptistæ Lenio Cardinali S. Cæciliæ, Episcopo Ferrariensi Io. Baptista Laurus S.D.

TVa facit singularis humanitas, & magnitudo animi, summo studio erga me, beneuolentiaque coniuncta, vt ad te non liberius solum, verum etiam audacius adeam, & in tuas grauissimas curas, proiecta quasi verecundia, irrumpere non verear. Rei enim expectatio, cuius spem omnem in ope, ac præsidio tam effusæ beneficentiæ iurè repositam habeo, valdè me sollicitat: haud quia minus id sis piè, strenuè, liberaliterque facturus. sed quia meritum meũ nullũ est, officia mea in Mœcenatem illũ nulla sunt; & quàm tu potes celeriter imponere extremam manũ propter auctoritatẽ, tam ego sustinere non potero tantam gratiam propter imbecillitatem. At enim hoc est demũ eius, qui sũma valeat pariter, ac velit: clientulos suos omni

ni ornamentorũ genere cumulatè augere, magnificè cohonestare. Nimirũ vos decet Viros Principes Cælum, à quo, ob maximæ dignitatis fastigium, propius abestis, imitari: à Cælo scilicet gratuita rerũ omnium vbertas in Orbẽ manat, & pro collatis muneribus nullum à mortalibus reposcit fœnus, quia mortaliũ neminẽ fore nouit referendo parẽ. Votis igitur acquiescit gratias vltrò agentiũ, sibique de immenso beneficio gratulantium: Qua quidẽ officiosa voluntate plurimũ à nobis afficieris, Leni: cui gratias eò vberiores, ampliorésque agam; quo tu Cardinalis humanissimus, & ad benè merendũ natus, voluptatẽ, & fructum absoluto ex opere, æquè, opinor, vberem, æquè amplum consecuturus es. Nam tibi pro re tanta animũ, calamum, vigilias, & lucubrationes omnes voueo; cũ præsertim habituræ semper illæ sint verum, atque vnicum in tua sapientia perfugium, in beneficentia solatium, in amplitudine ornamentum. Vale, VIII. Kal. Maij.

EPIST. XLIII. Romam.

Henrico Chifellio I.V.C. Antuerpiensi Io. Bapt. Laurus S.D.

NVnquam æquè fui in hoc secessu occupatus, bis in hebdomade, sæpè etiã ter, grãdes Epistolarum aceruí sese obijciunt; tã multæ huc Principem sunt consecutæ, tam crebræ cõmoranti afferuntur, quibus omnibus rescribi opor-

Tuder.

Io. Bapt. Lauro Theologo Peruſ.
Henricus Chifellius S.P.D.

REddidit mihi gratiſsimas tuas Felix Contelorius, vtinam te reddidiſſet, cuius illæ deſiderium acuere, & velut ignem cineri ſuppoſitum, denuò inflammauere. Tertium iã menſem te careo, Vir doctiſsime, caret ipſa Roma, imò Reſpublica litteraria tota. Quicquid enim temporis negotijs illis, quorum te mole premi, & opprimi ſignificas, impendis; Pegaſides ereptum ſibi dolent, & iurè queruntur. Otium ego quidem tibi, & quietẽ in Tudertini agri amœnitate, procul Romano ſtrepitu, augurabar, & ſcaturientium ea murmura fontium, ſalubrem, vt reor, Cæli plagam, pulchram deniquel udẽtis naturæ varietatem, omnia Muſis propitia, & ardentius te ad earum amorẽ excitatura, iudicabam, ſed heu! contra euenit; ac tibi, vt video, in medio Tibure, an Tudere? Sardinia eſt: credo tamen moleſtum illud ſcriptionis onus alteri iam regeſſeris, quem mox adfuturum ſperabas, & cum Beraldo tuo, ac Velia in gratiam redieris, quorum ego nunc apud te cauſſam ago, atque nimis diù in carcere detentos, in publicum prodire permittas, enixè rogo. Doctiſsimi ſunt eorum ſermones, iucundi, vtiles, nec leuis ad Muſarum delicias incitamenti. Iocaſtæ meæ fletus non tranſmitto: cum enim propediem

G typis

typis eos mandare cogitem, iucundiore adspectu leges. Iacobum Vectianum cum primum conuenero, salutabo: felicia tibi precor, & regressum tuum auidè præstolor. Vale. Dat. Romę x. Kal. Iun. 1619.

Tuder.

Io. Baptistæ Lauro. S.P.D. Iacobus Vectianus.

HEri Clifellium nostrum, non videndus, inuisi, teque ibi reperi, quem nec videre, nec alloqui tamē potui, abs te salutatus. Enimuerò etiam hoc deerat, vt desiderium tui meum, quod sustinere amplius haud queo, pauculis verbis, affectum indicantibus, magis acueres. Igitur aut mihi para longioris epistolæ veluti capacissimum poculum, quo me proluere possim, &, quod ait anus illa Plautina, inuergere in me liquores tuos sino ductim: aut insignem amicitiæ nostræ iniuriam abs te factum iri, jam ante denuncio, ne tibi non prædictum dicas. Neque est, cur ad illud confugias captionis genus, quod soletis ex hoc Aulicorum genere plerique omnes; in hoc otio plurimū inesse negotij. Scimus, & hanc veniam petimusque, damusque vicissim: quandò neque nos, Romæ qui sumus, ita cessamus ab opere, vt nugari, quùm libet, possimus, & tamen interdum aliquid conamur, & amicorum recordamur. Et cogitabam equidem, scribere; cum ecce tua, non ępistola, sed saluta-

tio

tio anteuertit. Neque illud obijcias, siluisse me tamen hoc trimestri toto: nam regeram, & fortassè iustius: quì enim diuinare ego potui, vbi nam terrarum fores? nec me putes velitari, vera narro. Cum semel atque iterum ad Cardinalis ædes, Romæ quæ sunt, accessissem, tui inuisendi, alloquendi, tecum garriendi caussa, easque reperissem occlusas, ita inde discessi, vt nũquam venerit in mentem istius secessus. Monuit deinde, cum ab eo quæsissem, Ciuis tuus, Auditor meus (mensis nunc est, aut fortassè amplius) te tuum Cardinalem ad Tudertinam istam eius Ecclesiam secutum esse. Atque ego statim mecum: delitescentem hunc, & veluti fugitiuum, deprehendam ipse meis litteris. At dum diem è die traho, meque auocant aut docendi occupationes, aut deambulationes, aut aliorũ caussa susceptæ litterarum scriptiones, quibus frequẽter distineor; en ipse te indicasti, & amorem in me tuum; quem ego, hominis nempè eruditissimi, disertissimi, omniũ, quos nouerim, lepidissimi, ita amplector, vt arctissimè constringam, & cum amore commisceam meo, quo ob tuas animi, & ingenij egregias dotes flagro ardentissimè.

Habes Epistolam inanium plenam verborũ, & ex eo genere vnam, quæ vos cruciant præclara ingenia, meris infartam nugis. At quam deuoras molestiam eorum caussa, quos neque de facie nosti; illus caussa respuas, quem amare, neq; nunc, cœpisti? Ego verò non eo solum con-

contentus sum, vt legas: sed rescribas velim, vt indices rursus & amorem tuum, & rectum scribendi modum. Vale. Romæ 3. Kal. Iunij.

Ferrarinum & meo, & Albertini nomine, quē nunc dimitto post longas confabulationes, saluta. Huic quoque, etsi ignoto, magnam habeto gratiam: nam nisi me à scriptione auocasset. lōgiori te onerassem Epistola.

Romam.

Iacobo Vectiano
Io. Baptista Laurus S.D.

TRimestri hoc toto motoriam ferè egi fabulam, Vectiane, nunc aulicus, nunc rusticus, nunc Vrbanus, Perusiæ vltra mensem fui, quo mihi Epistolas è Taberna litteraria redemptas, cum Puerorū alteri, quem hic reliquerā. transmittendi negotium dedisse; principiò bona quidem misit fide, mox me inscio, prouincia nulli delegata, ad Nundinas Fulginates profectus est. Itaque heri Tuder redeunti, manipulus litterarum oblatus est. in his & tuæ erant, iij. Kal. Iunij. scriptæ, ne quid mecum expostules, quod nihil hactenus responsi acceperis. Nam quod Albertino debere me vis, quod breuiores, quàm in animum induxeras, exarateris, adeò homini elegantissimo nullam habeo gratiam, vt, cū istuc rediero, officioso conuicio in eum sim vsurus, qui voluptatem, quam ex tuis epistolis vberrimam haurio, nobis eripuerit; scilicet vt tuo disertissi-

ſertiſsimo ſermone citra æmulum frueretur ipſe: etſi (ſecretò hoc audi) veniam do, qui feciſſem tantundem. Iam huc reuerſus, ex Aulico famulitio omnes reperi diſcurſantes, ſtrepentes, conuaſantes. perendiè enim profectionē ad Vrbem edixit Princeps. Quarè ad nullas, præterquàm ad tuas, ne perijſſe in itinere exiſtimares, reſcribere libuit. Doleo, quod non licet fuſius ob temporis anguſtias. Te docerem profectò, haud rectum ſcribendi modum, quæ tuarū fuerat litterarum clauſula; ſed candidius agere cū amicis, qui idà te æquius exigant, cuius eloquētiam merè Atticam, vel Hymetti, atque Athenarum incolæ agnoſcant, & imitari ſtudeant. Verum non ego te ſimili laudationis referiam ſagitta, vt Lyrici verbo vtar. Fungi te hac facūdiæ Dictatura, & coram reuincam, & non ſine populi ſuffragio. Interim quàm potes diligenter ac faſtidioſè; ſed quàm etiam potes celeriter (vrgeor enim, vt edam) Centuriam Epiſtolarum nouam velim cenſeas; quam cum his tibi reddet, iūſſus reditum Principis anteuertere Riccius meus: erit id mihi maiorem in modū gratum. Vale mi Vectiane, & Albertinum, quē non pigebit propius cognoſcere, ex me ſaluta; te, atque illum iubet Ferrarinus. Ego Reuerendiſsimum Antonium Quærengum, & Auguſtinum Maſcardum, Viros longè doctiſsimos, iubeo tum amanter, tū reuerenter. Tudere. XVI. Iunij.

Io. Baptistæ Lauro S. P. D.
Iacobus Vectianus.

IN tuam Epistolarum non quasi peditum Cẽturiam, sed ob styli sublimitatem, ornatum, candorem veluti lectissimorum Alam equitũ, quam vel inuitum gerere coëgisti censuram, libens exercui, Vir eruditissime. Recensui igitur & recognoui: & quid putas, Equũ aut tibi Ductori, aut tuorum cuiquam ademptum iri? imò verò & tibi, & illis honores, & commoda ob publica statuenda censeo. Nec mirere, hoc me officio tam properè, tam celeriter, secus ac me facturum Riccio tuo dixeram, functum fuisse. Nã vbi vnum & alterum, tertium ac decimum ex tuis militibus, conspicuis insignitos armis, equis nitentibus tam decorè, & sublimè incedentes perspexi, totus in amores exarsi, & vniuscuiusque curiosis oculis perlustrandi desiderio sum captus ardentissimo. Itaque qui præsens præsẽti dixeram (& verè) quibus, & quantis hoc pręsertim tempore occupationibus distinerer prælegendi, scribendi, ad aliorum nutum, &, quod ægrè me semper habuit, ad præ scriptũ, & quasi designatum orbem carmina texendi: ac petieram viginti saltem dies, minimum quindecim, decem obtinueram; en intra quatriduum hoc sum munere defunctus, benè, an malè, tuum esto iudicium, vbi vnà erimus. Scilicet adeò me cepit tuarum Venus Epistolarũ, Lepores, Charites, Cupi-

Cupidines,totum illud Amoris Regnum,in quo te dominari vel à principio cognoui, vt in tuis, quos literis commisisti, sermonibus audiendis per hos quatuor dies solum detentus fuerim:&; qui alijs, quam obstrinxi fidem, non præstiti, Puero tuo quod eram pollicitus, en vel antè tēpus repræsentaui, Atque audi, quid in mentem venerit inter legendum.

Mihi te alter Apollo visus es, Eloquētiæ quasi alterius Daphnes, amore correptus, ac penè confectus. Ipse igitur sequi, illa fugere, at nō verè neque adeò celeriter, sed lentè, ac simulatè, vt capi vellet, itàque eam non longè, nec diu secutus, facile assecutus es. Quid mirum, ista ingenij celeritate, & quam in complexum se dare tuum voluisse, nemo non nouit? Sed vide amoris igniculos, & potentiam, vbi se in cuiuspiam animum,& præcordia immisit:non eo solū contenta fuit, vt suis te ex nobilissima planta sumptis exornare corollis posses; verum ipsam vsque adeò dilectam, & amatam Arborem in teipsum transferri, & veluti transformari voluit, teque LAVRVM, nunquam non virentem, nunquam non florentem, appellari. Te propterea Phœbus, non vt æmulum odit, aut insectatur, sed Daphnen in te, te in illa reueretur, ac colit; seque tibi totum infundit cum Musarum choro, & Gratijs. Nam re vera scriptiones tuæ, cuiuscunque tandem illæ generis sint, seu strictiore, seu laxiore numero vinctæ, Pindum redolet, & amœna illa vireta:

Hoc meum de tuis Epistolis, & Carminibus iudicium sincerum, rectum, minimè fucatum, nisi iudicio fallor. Nam vt mihi Amor imponat, caue suspicere, aut pro tua modestia affirmes; cui tantum tribuo, quantum par est; supra fidē, aut veritatem non indulgeo. In clausula Epistolæ quid abs te velim, credo, iam intelligere potes; vt præstes, quod & à multis flagitatum, & abs te promissū non paucis, præsertim Cardinali Barberino, Viro Latinè & Græcè doctissimo, Musarum autem (dicā verè, ac sine fuco) & Apollinis alumno comparando cum paucis, seu vetus seculum videas, seu nostrum. Præliū expetit Centurio tuus & prælum, vincere assuetus, cedere nescius: &, en LAVRO reuinctę sunt epistolæ tuæ, tanquā Reipublicæ literariæ nuncium adferentes de Victoria reportata, hostibus fusis, & Barbarie profligata. Sine exeant, sine videantur, sine expleant eruditorum vota hominum. De peregrino autem Milite, & veluti manu auxiliaria quid dicam? miratus sum tam similes moribus, robore, animo, incessu, habitu coire potuisse diuersarum Milites nationum: sic appello Epistolas tuis adiunctas Barberini, Barclai, Rotæ, Gulielmi, Tortoletti, Meursij, Chifellij, Puteani, Rycquij, aliorum, seu Italorum seu Transalpinorum disertissimas, & vel per iocum, & lusum doctissimas scriptiones. At vide, mi LAVRE, quam ego proximè ad te misi, vt sub tuo Veteranorum vexillo militiæ tyrocinium poneret, aut tolle de hoc numero, aut quem illi

dare commilitonem tunc dignatus es, eidem ita commenda, vt veluti sub latere tectā, ac defensam velit, dum animum & ipsa sumat, & saltem incipiat audere. Vale, ex Collegio Clementino. Kalend. Iulij.

EPIST. XLIV. Romam.

Io. Baptista Laurus S.D.
Torquato Florauantio I.V.C.

O Me obliuiosum? qui cum heri tecum duas horas apud Remboldum, de rebus, quas istic expediendas tuæ fidei commiseram, essem locutus; dixissemque, traditurū me, antequam digrederer; Pontificias Lucij II. litteras, è tabularijs Monachorum nostratium Casinensiū, ab exceptoribus publicorum actorum fideliter exscriptas; vt cum vsus posceret, duodecim viralibus Comitijs obijceres: eas tradere non sum recordatus, & nūc demum occurrit, cum Ocriculum perueni; neque transmittendi copia est, fasciculo per imprudentiam in interiore conclaui ædium mearum relicto. Nec me latet, quātæ mihi iacturæ fuerit, si eo diplomate diutius careas. Ob id subito consilio Puerum ad te extrusi: me enim relegere tantū viarum nec permittat Princeps, nec ego libenter faciam meapte natura tardiusculus, ac morosior: qui si in Vrbem reuolem, istinc ægerrimè postea diuellar. Igitur ad læuam Musæolum nostrum ingredienti, pluteus se offeret διπλωματοφόρος, ac

dabis veniam, si humanitate tua sum abusus ad meam obliuionem redimendam. hoc pacto itineris reliquum pacatiore animo conficiam, & cum istic iudiciorum Rota impelletur, mitiore circumactu nouus cruciabor Ixion. Vale Torquate integerrime, & in arcē caussæ T. Manlij cognominis tui auspicio strenuè inuade, ac Laureatas litteras quàm primum ad Laurum tuū mitte. Ocriculo raptim à calamo ad ocreas, & calcaria. Postridie Kal. Quintilis.

Epist. XLV. Romam.

Petro Stephano & Iulio Gallis Fratribus Io. Bapt. Laurus S. D.

Optimæ spei Iuuenem, qui nec obijci nobis potuit commendatior, in hoc itinere Lauretano, nactus sum. Singulari est probitate, fide, ac pudore; valet ab ingenio, à memoria, graphicè pingit litteras, splendidè loquitur, numerosè & suauiter ad Lyrā canit; prorsus vt tetricū quemque cogat frontem exporrigere, amœnitates amplecti; Philologiæ verò sedulam nauat operam, sic vt tam egregiè Lauro vestro vsui futurus videatur, quàm Tiro, & Laurea Tullio. Iam hoc, quidquid est officij, Auunculo ipsius, quarumdam Monialium à sacris & confessionibus, facere non possum, quin præstem. Propterea habebitis hic libellum supplicē ad illustrissimum Patruum vestrum, amplissimi Senatus Coriphæum. Cupio, quantum queat fieri per vtrum-

vtrumque, opis tantū in egenas conferatis; eāque non quidem apud me, qui alijs nominibus ambobus sum obstrictus; sed apud huius Vrbis Magnates aliquot, probos Viros, ineatis gratiā. Valete. Anconæ.

Antonio Mariæ Gallo Cardinali, Episcopo Ostiensi.

PRemi Moniales hasce magna rei frumentariæ caritate, non semel tibi Illustrissime Domine, indicatum; nec depellendæ inopiæ potiorem vllam hoc tempore fore rationem censent, quàm si ea pecuniæ adhibeatur summa, quę vni, aut alteri Puellarum, in ipsarū contuberniũ cooptandarum, dotis nomine tradi consueuit. Proinde ab istius sacri Consilij beneficentia enixè petunt, id vt sibi cùm tua, tum aliorum Illustrissimorum Patrum voluntate facere liceat: seseque Deum Opt. Max. pro incolumitate omnium assiduis precibus fatigaturas pollicentur.

(i*i)

EPIST. XLVI. Perusiam.

Fuluio Paulucio Pauli V. à cubiculo, nunc etiam Gregorij XV. Io. Baptista Laurus S. D.

ERgò tuus imminet ad Vrbem reditus, Pauluci, exeunte iam Autumno, neque te vnquam appellaui litteris, siue Perusiæ æstiuantẽ, siue inter Aquarum Nucerinarum potores iucundissimè apricantem: profectum quippè ad Virgilium Florentium nostrum, Muceriæ Antistitẽ, hic mihi non semel affirmarunt, qui propediem Cardinalis Beuilaquæ tui aduentũ præstolantur. Sed non committam, vt, Romæ cùm fueris, corã mihi erubescendum sit. Dicã quàm potero breuiter, quid te velim. Sub hos dies quos Aula Pontificia traduxit Tusculi, ego me Tibur, inde ad Varronis Vicum contuli. Eò cũ libellorum aliquid attulissem, & in his Annalium Epitomen, è veteribus Vrbis nostræ tabularijs, non sine magnis sudoribus conflatam; de ANVLO B. Virginis Historiolã in Varroniano secessu, apud Ant. Aegyptium, fideliter, si minus feliciter concinnaui. Sciebam tale quiddã Vincentium Herculanum, nostratem olim Episcopum, me puero, à Contulo seniore exquisiuisse: & Schedia hominis quædã in manus meas fortè inciderant, in quibus Tui erat perhonorifica mentio, in cuius nempè suburbano Dialogum exorsus erat. Sed præter autographam Senen-sium

ſium Epiſtolam, nihil è tumultuaria ſcriptione nobis petere licuit. (nam in Imaginum cultum, & in res ſupra naturæ vim, atque ordinem effectas, latiſsimum parabat excurſum: tũ de Hugonis Italiæ Comitis rebus geſtis, & de Iudæorum Tribubus narrationem pertexuerat) Eam rem tibi indicatã volui, Pauluci, quod & ad dignitatem tuam, & ad fidem meam pertinere videbatur. Quod igitur aut Contulus ipſe per ſe ſe, ſi diutius vixiſſet, præſtare potuiſſet; aut per te, qui in noſtra Ciuitate auctoritate plurimum polles, à Decemuiris impetraſſet: ego abs te majorem in modum peto, vt quandò Sixti IV. atque Innocentij VIII. Litteræ, ſeu Diplomata quæpiam, ſuis locis inſerenda ſunt, eorumque exempla è Bibliotheca Vaticana difficillimè eruuntur; tametſi operam ſuam V. C. Nicolaus Alamannus, qui Anſidæo noſtro ſucceſsit Cuſtos, largiſsimè detulit: ea cupio iſtinc mihi cures, ſiue Conſtantio Abbati, Nepoti tuo mandes. Nec, puto, recuſabit; tanta Viri eſt in omnes comitas, & tam ſingularis erga me beneuolentia. Nam & miro candore conatibus noſtris fauet, qui ea gratia ipſi immortaliter debemus: & publicæ rei deeſſe non debet: quam & iuuare æquè ſcribendo poteſt, cuius ingenium meritò habuerit laudatorem Lipſium. Benè vale, atque horſũ regrediens, vtere propitio Numine. Romæ. MDCXIX.

Romam,

Romam.

Io. Baptistæ Lauro
Fuluius Paulucius S. D.

TIbi vero adeò erubeſcendum non eſt,quod ad hanc diem ſcripta diſtuleris, vt ego potius rubore ſuffundar prolixa tua humanitate, cùm videam , me neque in ſeceſſu à tui memoria ſecedere, quemadmodum graphicè,& luculenter conſcripta epiſtola teſtaris , quæ me Vrbem verſus iter arripientem, occupauit, &, vt fit, viæ ſe iam iam commiſſurum in aceruo occupationũ, quibus ſepoſitis , ſoli huic curæ ſtudui, vt tibi ſatis, imò Ciuitati noſtræ, facerem. Sed magis hoc optaui ,quàm præſtiti: licet enim ſtatim à tuis acceptis,ſedula,atque perhumana, ad peruolutandas veteres , recenteſque Palatij noſtri paginas , Cancellarij opera vſus ſim;paucas tantũ, quæ tuæ rei facere viſæ ſunt , excerpſi,eaſque mitto: Pontificum autem diplomata ad manus ad huc non perueniunt : ſed curioſius perquirentur,vt ſtudium exquiſitius non ſis deſideraturus. At Contuli ſchedia fruſtra exploraui, incuria nãque ſeu illius, ſeu aliorũ perierunt , cum ille perijt ; & plures dumtaxat eum de ANVLO opuſculum exorſum meminerunt: inter quos ego , cuius in Dialogo quodam præcipua, & amica erat mentio. Gratum autem,ac mirum in modum fuit, intelligere, à te prouinciam hanc modò ſuſceptam , tuamque manum inſigni

insigni huic Anulo admotam; & vt iudicij mei calculum addam, quæso te, sic excole tuum, à natura traditum, animi agrum; & quem Deus feracem optimarum Artium dedit, tu ad laudem illius, supra quam nil nisi Deus est, industriæ aratro scinde, præclarumque hoc pignus à te; cui à Musis (veluti de Hesiodo dicebatur) LAVREVM sceptrum datum est, in lucem protrahatur; apud quem autem sequestrem diues ingenij tui supellex tutius potest deponi? Omnes pro hac suscepta prouincia beneficium capient, ijsque, quibuscum hoc communicaui, etiã nunc iucunda præsumptio est. Alacri igitur animo ad opus emoliendũ accingere, atque in hunc Anulum non digitos modò; sed plenam (vt sic dixerim) manum immitte. Verum in laudando Abbate illam contrahe; quæ enim à nimio amore profecta, in calce Epistolæ promis, ille cũ maxima animi contractione legit, velletque vti plenè, ita verè ea esse prolata; sed plenè, vereque vterque te amamus; tu perge amantes redamare. Vale,

Perusiæ.

(?*?)

EPIST.

EPIST. XLVII. In Quirinalm.

Marco Antonio Burghesio Princi-
cipi Sulmonensi, Pauli V. ex Fr.
Nepoti. Io. Bapt. Laurus S. D.

GRauiter peccassem, Princeps humanissime, si in tanta gaudiorum, vt sic dixerim, temulentia, quæ omnium animos in tuis Nuptijs nouo more lymphauit, non & ipse Versiculorum aliquid effunderem, vetus familiæ vestræ Cliens, & Cardinalis Auunculi tui patrocinio validè obnoxius. Siluulā igitur, hoc est, tumultuariam scriptionem vt ab occupatissimo, Tuæque amplitudinis studiosissimo profectam, tā non debes improbare; quàm ea, quæ efferuescentis lætitiæ ebrietas peperit, despicienda non sunt, adeò & auribus auidè combibenda. Deū Optimum oro, vt auspicatissimis primitijs Cōiugium istuc quàmprimum benè fortunet; alijsque gaudendi caussis nos in dies hilariores facti, voluptatem omnium cùm apud sapientissimum Pontificem, pro cuius longæuitate vota facimus, tum apud posteros, quasi voce publica, testatissimam, celeberrimamque reddere posimus. Vale. Romæ Idibus Augusti M. DC.XIX.

EPIST. XLVIII. Braccianum.

Alexandro Vrsino Cardinali, nunc Flaminiæ Legato, Io. Baptista Laurus, S.P.D.

QVærenti iampridem, ecquis mihi aditum ad amplitudinem tuam, Princeps, aperiret; quandò Legio illa Epistolarum mearum, per comitem Bigazzinum, me inscio, tibi reddita, idonea satis non est visa: commodum obtulit se se Nuptiale Carmen, quod Excellentissimæ Sororis tuæ, ac Principis Sulmonensis sanctissimo Coniugio nuperrimè dicaui. Quod quidem ab Amanuensi paullò elegantius descriptũ, cum hic maior Aula, fauentibus & animis, & linguis, ob argumenti nimirum præstantiã, exceperit: non sum veritus, idem formis æneis expressum, ad te Cardinalis illustrissime, transmittere. ratus videlicet minus tibi iniucundũ fore. quia & de tuis ageret, & hominis vobis addictissimi obsequium, religiosamque curam apprimè declararet. Cuius nempe si tibi, Princeps, quoquomodo habendam aliquandò rationem duxeris, non in postrema felicitatis meæ parte ponam: à qua vbi non absit candidi Principis patrocinium; continuò aderit circumfluentiũ bonorum catena felix qua æternùm familiæ vestræ obstringar, mancipium vltrò oblatum, ac re ipsa omnium, quotquot hactenus noueris, fidelissimus Cliens. Vale. Ex Vrbe.

Romam'

Io. Baptistæ Lauro V. C.
Marcus Antonius Rota. S. D.

SVbrusticè fecisse videar, quod auditione pridem cognitum; Epistolarum Centuria, Sannelij ac Moranzani testimonio nuper dilaudatum, mox obuium, adeò & vltrò te te dantem nondum adierim, ac salutauerim. Deberi à me diutius Virtuti, moribusque tuis hoc quicquid est, officij, iam vetat conscia facti mens, & comes erroris pudor: tum verò etiam prohibet SILVA, hic recens edita, in Nuptias Burghesianas; cuius lectio vel ignotos (modò ne sint Musarum, hoc est, Humanitatis expertes) ad Auctoris amorem, & æstimationem inuitet, excitet, impellat. Næ perpulchra isthæc demerendi animos, assequendæ dignationis ratio, optata plerisque alijs, tibi Laure, tam expedita, quàm præsens Apollo est, & Charites; quàm pronus genius, promptum ingenium est ad bonitatem, ad comitatem, ad artes omnes beneuolētiæ, pretijque conciliatrices. Sic itum à te ad egregiam famam, & bonam Virorum Principum gratiam. Sic in Vrbe, Orbis Theatro, Vnus è paucis, hoc est, melioribus, eruditioribus numeraris. Talē & ego, quod olim animo feci, stylo nunc tandē amatum, cultum venio; tarditatis veniam ita non auersatus, vt confessionem paullò antè nō erubi. Tuæ humanitatis fuerit non excludere, quam-

quamquam vnum de plurimis;sed excipere,meritum hoc saltem nomine: qnòd in Te honorãdo, quid publico sermoni, quid priuatis testimonijs,breuiter,quid Virtuti, doctrinæque debeatur, non nihil videri posſim intellexisse. Ceterũ operam,& obsequium tibi meũ,quaqua in re, vbi vbi vsus erit, ex imo pectore defero. Vale, ac Io. Matthæo Moranzano, mihi semper æstimando, plurimam salutem. Viterbij, Die XX. Augusti M. DC. XIX.

EPIST. XLIX. · Viterbium.

Io Baptista Laurus S. D.
Marco Antonio Rotæ V. C.

HAbueram antea Moranzano, ac Sannellio magnas gratias, quòd te mihi Virum tã candidum, & tot virtutibus florentem, vberi prædicatione absentẽ primò, mox præsenti pręsentem conciliassent: (etsi enim breuis admodum fuit congressus noster; istius tamen pectoris diuitias, quasi per transennam, sed non oscitanter, adspexi) nunc verò acceptis à te litteris, adeò rhetoricè scriptis, nihilque prorsus næui, præter meas laudes, habentibus; profiteor illis me debere maximas: qui icti inter nos fœderis auctores, me Viri optimi, elegantisſimique beneuolentia, Te ingenui hominis obsequio auctum voluerint. Nam quid præterea tibi de me polliceri queam, nisi si quid audeat in tui laudem meus, inter Aulæ fucos minimè fucatus

calamus? quos certè plurimũ erga nos subo-luit tuus. quâ vnâ re impedior, quo minus E-pistolam, felicissimo orationis fluxu absolutam, circumferam, atque ostentem, mirè cupidus ab omni ambitionis suspicione abesse, quemadmodum ab ijs studijs longè absum, per quæ in primis comparatur. Porrò ne doctioribus amicis legendi voluptatem inuiderem; constitueram, nudo tuo dumtaxat seruato nomine, meum confodere. Verum post animaduerti, nisi illic eadẽ opera iuguletur Centurio, eradicetur Silua, & carissimorum capitum iucunda commemoratio, quibus omnibus facilè prodar, obliteretur; id, scriptione salua, non licere: quam sic lacerã, atque interpolatam, veluti Aeneas Deiphobum, vix ipse agnosses parens. Quarè mihi seponam, & Gratijs, quæ tibi scripturienti adfuere: ad quas vtique confugiam, vbi frigidius amare incipias, tanquam initæ amicitiæ testes; vbi penitus gelascas, violatæ vindices. Vale & à Morãzano vicissim salue, qui vnà mecum ex animo iubet Sannellium. Romæ XXV. Augusti M.DC. XIX.

Romam.

Io. Baptistæ Lauro V.C.
M. Antonius Rota S.D.

QVæ mihi aliũdè spes erat facilitatis tuæ; fiduciam nunc eius habeo, & arrham, tuã ipsius Epistolam viij. Kal. Sempt. Non enim so-lum

lum ad litterarium colloquium prouocatus admittis; sed vltrò allicis, atque adeò trahis in sinũ. Istuc verò est (aut ego fallor) Longimani Regis munificentiam æmulari, & instar septemgemini Fluuij sitientẽ Aegyptum irrigare vbertim, & ad ebrietatem perluere. Tu tamen paullò lentiùs vide, vt ne quid imponat liberale de me iudicium; neu plus nimio fortasse impari offeras. Nosti communem in dando cautionem, vbi subest in accipiendo suspicio: parua in re vt fidem explores: benè si responderit, credere pergas maiora: si non, tuo quàm minimo impendio desinas. Ego quidem polliceri ausim conatus, & nisus quosque omnes industriæ, curæ, solicitudinis ad tuendum, retinendum, & quo ad eius fieri possit, promouendum affectũ istum in me tuũ largiorem. Sed quid si meri conatus? nec pro voto, pro debito assequi dabitur? satis, inquis, eo casu duxerim debẽtem, volentẽ animum. Ain tu? accipio conditionem. Eccum vtrumque. Nihil iam est officij, quod vel partibus inferior omnibus reformidem à tam munifico datore, debitionem videlicet pro solutione, prò effectu voluntatem accepturo. Vnum est, siue alterum, Laure, quod minus arridet in litteris tuis, de fuco calami, deque hæsitatione amoris mei. Breue sic habeto, & credito, veracẽ illum, constantem hunc; vt animus (à quo, & in quo vterque) simplex est, apertus, minimè varius, immutabilis. Apagè Proteos, & Vertumnos. Odi, odi, & execror semihomines istos, an

pseudoviros? si qui vsquam sunt; non minus amicitiæ, quàm ipsiusmet homologiæ osores, pænè dicam euersores. Ea de re amandum Te, colendum suscepi multò libentissimè; certus niuei candoris, ac illibati pudoris Tui, vel in medijs Aulæ fucis, & fumis, quorum mihi etiam caussæ procul. Restat, vt pari cũ affectu mutua, seriaque inter nos adhibeatur, & exerceatur fides; indeque firmetur, augescat, perennet exortus amor. Quod ego præstare de me possum; de te sperare sic iuuat, vt certum habeam. Sannellius post nuperas sororis nuptias totus fuit in Vindemijs. Bellè, inquies, ab Hymenæo ad Bacchum. Neutrum tamen sine Pallade, Tuque, Moranzanusque mecum putate, & vterque ab vtroque saluete plurimum. Viterbij. IV. Kal. Septemb. M. DC. XIX.

EPIST. L. Præneste.

Francisco Columnæ Principi Prænestino Io. B. Laurus S. D.

IMmemor sim instituti mei, Columna Princeps humanissime, qui amplissimorum Virorum amicitias, ac Principum doctrina excellentium, planè tui similium, gratiam ambire soleo; si oblatam mihi prçter opinionem meã etsi non præter vrbanitatem tuam, tam amicam voluntatem, quam in tuis ad Io. Camillum litteris liquidò perspexi, non exosculer. Debui equidem iampridem Genio Famæ tuæ qualiacũque

que ſcriptorum meorũ libamenta offerre: quæ, quia potius nugamenta emũcto iudicio tuo viſa eſſent, abiecta à nobis ſunt, & ſpontè latuimus intra proſcenium; qui ſapientiæ iſtius Theatrũ exhorrueramus. Iam quandò beneuolum caput nihil tale cogitanti, oblatis tibi noſtris Verſibus, & Epiſtolis, amouit velum, & in ſcenam adduxit: en tibi, Princeps, cultum & obſequium à clientulo omnium deditiſsimo, quantum queas credere, ſinceriſsimum. Neque verò vllam pro humaniſsima Salutatione, delatoque patrocinio tuo à me gratiam exige, qui Gratijs tuis adeò arctè obſtringi in dies cupiam, vt nexu, & mancipio verè fiam, atque habear tuus. Vale, Romæ.

EPIST. LI. Peruſiam.

Io. Baptiſta Laurus. S. D. Alexandro Baleſtrino I. V. C.

ITa mihi, quæ cupio, eueniant omnia, vt conditionem illam liberalium Artium profitendarum nemini malim, quàm Valentino obuenire, nec fore puto inanem prenſationem: modò qui in arena hoc tempore depugnat, miſsionem obtineat; quo de valdè vereor. amat enim gladiatorem Veronenſem Princeps, vt qui maximè. Et quamquã à ſui Antiſtite ſodalitij, vtpotè alienæ prouinciæ ſuccenturiatus, minacibus litteris Tudere reuocatur: qui tamen pro poteſtate vtrique imperare ſolet, negat migrationem

huius ferre se posse. Quarè non manendi solum veniam tribuit volenti, verum etiam vel abnuentem videtur vltrò esse coacturus. Omninò si quid interuenerit, quò sufficiendus alius sit Valentinum nostrum per bonā spem habere iubeo; cui voluntatem erga se meam nedum conatu, re quoque ipsa declararo. Iam hic, si nescis, totū triduum tripudijs, acclamationibus, incendijs nationum vndique gratulantiū, vniuersa Vrbs personat. Propterea quod Pontifex Ferdinandū, Philippi III. Hispaniarum Regis Filium, in amplissimum Cardinalium Senatum cooptauit. Marsilius Peruzius, Archipræsul Theatinus, cū purpurea Infula, ac Galero in Hispaniam profecturus est, aiuntque, complures è Romana nobilitate secum ituros vnà. Quid si & ego eodem cogitem, amicus Præsul non inter postremos, &, cum tantus non esset, perfamiliaris? id consilij agitat & Cybò. Arbitror, æquè illi suum, ac meum mihi Principē eundi potestatē facturos. Quidquid decreuerimus, statim scies. Sed fortasse rides meam hanc ὁρμὴν, ad itinera hoc anno capessenda. Germanicum superiorū Mensium fuit merum somnium, an Hispaniense eò exiturum sit, post videro. Tu quidem, dum huiusmodi desideria præ me fero, caue Laro seu Fulicæ, inania crepanti, cum fœtus in lucē profert, me conferas: sic vt licere tibi putes dicere, quod prouerbij vices iam obtinuit, Larus, an Laurus parturit? Vale, & viro præstantissimo Ioanni Thomæ Giliolo, atque amicis communibus

nibus plurimam. Romæ iiij. Kal. Augusti M. DC.XIX.

EPIST. LII. Vicum Varronis.

Io. Baptista Laurus S.D. Antonio Aegyptio, I.V.C.

QVod tibi ad Varronis Vicũ redeunti erã pollicitus: nunc demum per calores, qui, Augusto exeunte, paululum remiserunt, præstare licet. Ergò ne tu æquo & merito iure verba tibi data expostules, Equum huc ex condicto amandabis, vt quatriduum apud vos sim: & per te non Tiburtinas solũ delicias, quibus in præsens Alexander Estensis, Cæsius, Priulus Cardinales fruuntur, regustem; sed etiam Nomentũ, seu quidquid eius cicatricum non longè extat à Curibus, Varronis Domum, quæque Sublacensis tractus antiquitatis retinet vestigia, perlustrem. Iam hinc tu quoque recentia de nobis audies: præter enim Vrbana, ridebis lepidum Picentis factum, qui occlusus carcere tenebatur: Is, cum dies aliquot, obuoluta capiti fascia, simulasset morbum, carcerarium ita flexit precibus, vt ad se identidem colloquio atque adspectu subleuandum amicè diuerteret, fecit ille scilicet humanius, quàm cautius. Quadam enim die dum inter fabulandum valetudinarius repagulo fortè innititur, & velut ex abdito altum screat, dextramque ad pectus, screatibus validè concussum, sæpius refert: orbiculum argenteũ,

quem astutus summo induerat anulari digito, decidere sibi vltrò patitur, & in varia brachij agitatione, in angulum custodiæ remotiorem proijcit. quem ratus Custos casu dilapsum, dum pronus, vt accipiat, & congerroni restituat, incumbit: confestim captato tempore Picens, impulsa ianua, foras prosilit, ad seque adductam vecte celeriter oppessulat: tum reliquis reseratis latebris, captiuos quosque ceu sublato pileo, ad libertatem vocat. Sed iucundiora in congressum nostrum reijcio: nunc iumentarijs hisce litteris iocorum plus satis. Vale, ex Vrbe postridiè Kal. Septemb.

EPIST. LIII. Lugdunum Batauorum.

Ioanni Meursio V. Clarissimo Io. Baptista Laurus S.D.

ME quidem Criticis ad Plautum tuis, & castigato Arnobio, delicijs meis, egregiè fascinasti. Quid ni ego id verbi apud te, quod tu Vir doctissime, in priore Exercitationũ parte, ad magnum Scaligerum vsurpasti? Alia tua scripta mihi hactenus videre non contigit, & scio esse plurima. vti ex homine cõperi, qui proximè ad nos redux ex Hollandia, hæc & multa retulit de Academia vestra, de studijs tuis, & de affectu in Italos: quæ commemoratio animum impulit, iampridem ad amplissimos litterarũ Præsides, Tui similes, sua sponte anhelantem. Et ecce volatum auspicatur, Iunone non auersa,

calen-

calentibus Nuptijs, & Saliaribus Principũ nostratium Cenis hilariter adstrepentibus. Inter quas enatam Poëticam fœturam ad Te mitto; quæ distorta licet, vt celeriter exclusa; recepta tamen est plausibiliter: quia coniugalis quidam Anteambulo, & Venerij vadimonij index erat. Vtinam non abfuerit à versu Venus: At enim vbi tu, Meursi ornatissime, perlegeris, ipsa confestim aderit; cũ in tuis & labris & libris sessitet; quosque ex te hausit spiritus, eosdẽ in omnia, quæ in manus sumas, immigrare suauiter iubeat. Vale feliciter V.C. Romæ. XXVIII. Augusti, die ipso natali meo. M. DC. XIX.

Romam.

Io. Baptistæ Lauro V. Clariss. Ioannes Meursius S.D.

ET litteras tuas libens vidi, Vir præstantissime, & adfectum in me tuum ex illis didici. Fateor ego plurimũ me debere tibi ob humanitatẽ tantam, & beneuolentiam, quam abundè sic depromis. Debeo autem tanto magis, quanto minus sum promeritus. Munus quoque Libri addis, vt me magis obligares. Quid vis amplius? fateor me debere tantum, quantum soluere nunquam possim. Scito autem seriò me daturum operam, ne tu plus me amare possis, quàm Te ego, Virtutesque istas tuas animitus colo, veneror que, æternùm facturus. Te vicissim rogo enixè, quem amandum sponte tua suscepisti, idque

que ignorantem etiam, eum vt amare deinceps nè desistas. Benè vale Vir Clarissime. Lugduni Batauorum.

EPIST. LIV. Ferrariam.

Carolo Emmanueli Pio Cardinali, nunc Piceni Legato, Io. Baptista Laurus S. D.

NImium diu, Princeps Cardinalis, nostra hæc aduersum te officij ratio congelauit: qua tandem adductus id ad te mitto, quod citra religionem differre amplius non possum. Parco dicere; Perusia vsque expectandum fuisse exemplar, &, quo huc minus celeriter adferretur, imbres assiduos, meorum absentiam, & occupationes obstitisse. Iuuat culpam agnoscere, nec deprecari; vt libenter ignoscas; meque negligentiæ reum agere, libentius vt absoluas. Erat præterea consilium, dare Litteras sine vllis litteris, quo, me tacente, aliquà pudori meo consuleretur, qui modò hac ipsa errati confessione insigniter vapulat. Simul deterrebat iudicij, ac sapientiæ tuæ magnitudo, cui nihil non sobriũ, nihil non emunctum decebat offerri: cum contra in meis Libris pleraque vulgata, ac protrita deprehensurus sis. Ceterum reputans animo, quàm amœna apud Te semper nouerim Gratiarum diuersoria; omni formidine valere iussa, Cauacepio Librum dedi ad te Princeps humaniss. perferendum; quem in primis rogatũ volo,

io, vt expungas nomen, quod contraxi, & accessionem fieri aliquam beneuolentiæ erga vetere͂ clientulum tuæ patiaris, quam etiam in parum aut nihil promerentes conferre liberaliter consuesti. Vale Romæ.

EPIST. LV. Tybur.

Io. Baptista Laurus S. D.
Latino Doncellio I. V. C.

EST quod rideas, indgneris, miserescas: fuga, cædes & conuicium hesternum diem clauserunt, produxere, inchoarunt. Breue faciam: nam renarrare gestientem Rusticus cum Mula clitellata, ad vos festinans, vrget, vt duos vtres fartos Oleo, quod sit defœcatissimum, inde ad nos comportet in Sacros, qui iam imminent, Ieiuniorum dies. Tiburtinum enim pluris æstimo, quàm Soractæum, licet vtrumque optimum, vt si quod aliud. Scito autem, primariam illam feminam, cui Vir triobolare Scortum superinduxerat per speciem obeundi noue͂ Vrbis Templa, magna prius argenti, atque auri vi coacta, sub Auroram, via Ostiensi, ad mare processisse, & conscensa triremi, secundis ventis, in Patriam cœpisse adnauigare.

Iam ad ripas Tiberis, contra radices Auentini, Nauicularij duo, qui, ob prædulam nescio quam, in mutuum odiu͂ exarserant, Monomachiâ controuersias finierunt. Quippe strictis ensibus, irruerunt alter in alterum, sibique ex aduerso

uerso occursantes, vt erant seminudi, ambo se mucronibus induerunt. Ergò lethaliter confossi, littore in ipso, dubium, an recognita fide, expirarunt. At enim feralem casum leniuit perlepida Epularum catastrophe.

Phylosophus quidã, cano mento, atque hircina barba (ad quiduis potius, quàm ad amorẽ factum existimasses) meretriculam deperibat; quę amatores alios elegantiores, opulentioresque malens, suspendebat naso sapientiæ, vt putabat sterquilinium. ijdem, vt riuali ludos facerent, mulieri persuaserant, hominem vt adspiceret placabilius, aureosque decem in cenã posceret. Pecuniam haud ille grauatè largitus est. curant amasij conuiuium, splendidè apparant, adornãtque argenteis in lancibus plures missus. Verum eo consilio vt cena inita, irrumpant ipsi, & scortatorem illusum, atque incenatum extrudant. Adest ille ad certam horam; iãque accumbit. Vasa argentea escaria, & potoria adferuntur, vix vesci dapibus cœperant; egregij ganeones superueniunt, Satellitum exemplo, obstrepentes, inclamantes, fores effringentes. De industria pallere meretricula, & barbatum Adonim obsecrare, vti secedat, & alicubi tantisper delitescat; dum furentes, aut ebrios amiculos dimittat. Porrò astutum hominem minus fefellit Muliercula. præsefert vltrò metum, oratque, cereos, vt extinguat, donec illi triclinium intrent, vt & ipsa spatium mox habeat turbatores dimittendi. Aequa res visa est, paretur.

paretur. Ergò dum quaſi tentabundus poſticũ petere videtur; vaſa duo argentea clam ſurripiens, ſub axilla recōdit, ac vafer exit foras. Nebulones riſu diffluunt, illato lumine, vino, atque epulis largè ſe ſe ingurgitant. Poſtridiè decocta temulentia, quanti ſibi Epulum conſtiterit, deprehendunt lamentantes; non auſi hiſcere, & Philoſophum, fortaſsis negaturum, in ius vocare. Quamuis, quæ vltronea hominis liberalitas fuit, ſæpius rogatus demũ recuperato, quod numerauerat, argento, quæ ſublegerat, reſtituerit. Nec profectò imponere Philoſophis meretriculas decet: plurimũ enim inter hos, atque illas conuenit, ſi Pythagoræ credimus, qui in Aſpaſiam Mileſiam renatus fertur, & cũ Pericle conſuetudinem habuit. Verboſitati huius Epiſtolæ veniam dabis mi Donzelli; ac quandò in rebus friuolis olei nimium conſumpſi: ſi memineris curare mihi optimum, antè quàm huc ad Ruuereium tum redeas, ſtudijs ſeuerioribus, vtroque noſtrum magis dignis, affatim impendã Petrus Heredia, qui cum à prandio hæc cõmunicaui, ſimul Adulationis Imaginem, fuſius deſcriptã, quam loquentẽ facio, atque audies inter deãbulandũ (nã hic inuoluo) me tibi ſalutẽ ſuis verbis adſcribere voluit. Vale, ex Vrbe. Caue excidat in reditu, ad Pontẽ Lucanũ, exſcribere mihi poſtrema verba [ex publico marmore, quæ exemplari meo deſunt, ſic eſt clauſula.]

Moeſiæ ita præfuit vt nõ debuerit in me differri Honor Triũphaliũ eius ornamẽtorũ . . . .

Innatat

ADVLATIONIS ICON.

INnatat ergò oculis etiamnum turbida vestris
Caligo? prohibetq; meum deprendere Numen,
Et nomen? quod fumosis mihi robur in Aulis,
Quas acies armare queam, quod milite t agmen,
Iuratũ dextramque meã, patriumque Tribunal?
Pone supercilium, caramque agnosce Parentem,
O septemgemina grex consultissimus Vrbis,
Extrude ignauam noctem, lux impigra mentem
Irriget, & nostrum sollers circumspice mundum.
Me natura sagax, & rerum prouidus vsus
Nascenti peperere Orbi: cum cœpit in vnum
Turba coire rudis, profligatoque ferarum
Agmine, constructis se occlusit mœnibus vltrò,
Meque Deam coluit. per me Pax omnibus, à me
Et cultus, vitaque tenor fluxere trahendæ.
Exuit hinc pecudem, commercia comis iniuit,
Sincerum eliciens arcano è pectore amorem
Fortiter his, duro fuerant qui è stipite nati.
Cernis ab auricula, excutio cum tempus vtrũq;
Quàm multæ glomerentur Apes? vt Tibia spargens
Dulce melos, franet Ceruorum examen, & altè
Sopiat? exornetque Animal versatile pallam,
Nẽpe hominis quod imago decet, quodque aëre a-
Vescitur; atq; albũ præter, roseũque colores (perto
Induit omnigenos, quarè inspice sedulus, ecquod
Ingenium, moresque mihi; tum collige, nostro
Quidquid aq exemplo faciundum reris, vt Aula
Ancipites venere animos, & vincula nectas.
Vndent ora fauis, cupidas transmissa per aures

Mella

Mella Hyblæa fluant, mentesq; à rupe profectas,
Monstrosoq; mari. facili mitescere coges
Alloquio, certoque tibi fœdere iungent.
Scilicet Aonio non absque Amphione muros
Thebarum extructos, atâs memorauit Auorum;
Et rigida immoto mansissent vertice Quercus,
Ni Geticum sonuisset ebur. Mea frangere Pitho
Corda potest, adamante sata; & cum flexilis in me
Versus amor, sensus animi explorare laborē,
Quà vergat, quid pronus amet, quidue oderit; illac
Se meus insinuet, personamque anxia in omnem
Vertar, & occulto quouis me tramite sistam
Indoleat, flebo: latabitur, abdita rumpent
Gaudia; vindicibus gladijs armabitur, ira
Me quoq; raptabit, ferroq; vltore probabit
Vel sociam Bellona suam; flagrabit amore,
Meq; suo Puer Idalius spectabit ab igne
Exustam, laudabo manus, labra, ora, comasq;.
Tum siue ipse sui captus dicetur amore,
Ac laudet speciem ipse suam; super Astra feretur
Iudice me, pulcher; frustra et se conferet olli
Phryx iuuenis, Narcissus, Hylas, Hyacinthus, Adonis.
Si meliora probans, se vel sapientibus aquet;
Dixero, Socraticis illum maduisse fluentis,
Et Sophia assuetum dapibus, superasse Mineruam.
Non aliter geritur quodcūque vbicūque latentem
Vt prensem faciem, memetiq; per omnia laxem
Exempla. Ingenio sic versicolore notatur
Piscis, arenosa qui stans in margine ripa,
Instar lucentis speculi, quo cuncta coruscant,
Effigiem quamcumque bibit. sic vnda quiescens
Nullo infecta luto rerum simulacra refundit,
Qua latè inciderint, puppis Magister aquosa
Vtitur indicibus ventis, & quemque fauentem

Ad pelagus, cursumq; adhibet. moderatur et alnum;
Ceu consanguineum reserauerit Aeolus Vtrem.
Artibus his ergò quisquis feliciter vsus,
Qui sapiens lateri Domini regnantis adhæres;
Conscendes animorum arces, Aulaq; triumphans
Impeiro; titulis, amploq; augebere censu,
Et tua venturi surgent ad facta Nepotes.

EPIST. LVI. in Collegium Græcorum.

Andreæ Baiano Theologo Conymbricensi Io. Baptista Laurus S.D.

O Aulicas compedes hodie mihi permolestas! quas excutere tantisper non licuit, dum operam tibi darem, Persianum nodum in conferto præstantissimorum Virorum theatro, docta oratione explicāti. Mœroris habeo sociū Dominicum Francuccium, qui iturus ad Cl. Cęsarinum, mox ad te recursurus, neutrum potuit, laxato in violentum, atque obscenum imbrem Cælo. Itaque in Aede sacra ad Mineruam, mecum substitit, leniuitque diei tædium institutus à nobis de facundia, & eruditione tua sermo. Quamquam autem ille apud te mei vices tum salutantis, tum purgantis gnauiter obibit; decreui tamen tibi aliundè obrepere, nec in totum hac nocte, quod interdiu nequiui, à te abesse. Me scilicet in Siluam abdidi, quam ad te mitto, nescio, an expertem prorsus Venerum & Gratiarum; hoc scio, de industria dicatam Musis, quæ, vt nubentium Principum tripudijs canentes

nentes intersunt, ita animorum nexus fauentes curant, meque tibi arctissimo vinculo obstringunt. Vale. in Vrbe.

Ioanni Baptistæ Lauro Theologo Andreas Baianus S. D.

QVid Aulicus ad Rusticum? Egonè ille dignus, quem, non explicantem, sed rusticè abscindentem nodum Persij spectaturus, Aulicas, vt ais, compedes velis excutere? atque eas denique trahens præ studio mei audiendi, vim imbrium incuses importunam, quibus de via in ædem sacram ad Mineruam recesseris? scilicet ducebas tuas aulicas in aureas tantisper vertere potuisse compedes, quod in aureas alterius Herculis Gallici catenas incidisses. Benè tecum, & melius mecum actum esse iudico; quòd imber mihi ille aureus, tibi verò tunc sanè pro singulari tua in me humanitate, ferreus, & molestus incubuit; quo minus tantum Te ego auditorem, & tu me tam ineptum Oratorem sustineres. Siluam tandiù mihi optabilem, tuis in litteris promissã, nondũ vidi: videram tamẽ apud Francuccium nostrum, cũ recens nata fuit. legi, & relegi, atque eam δαφνίνων totam censui, & tuo dignam nomine, & ingenio, ac denique Burghesio Principe dignam. Tetigit me tũc etiam canendi nescio quæ prurigo, non Epithalamia, absit, non Cælestes Nodos, non Siluas (quid enim post tãtos, ac tales viros mihi ex Ca-

ſtalia hauriendũ ſupererat?) ſed Repotia quædam: qui tandem partus elanguit, & abortus eſt in aduerſarijs, alioquin naſciturus integrè, ſi tunc obſtetricem inueniſſet. Vale, & in Tuis me accenſe, ac refoue. Romæ ex Aedibus noſtris.

EPIST. LVII. Firmum.

Tiberio Cincio Vtr. Sign. Refer. Præſidi Firmano Io. Baptiſta Laurus. S. D.

REfrixere de Cæſare rumores omnes, quibus Aula admodum ſuſpenſa incumbebat, qui & inter ſe ſe euentu collidebãtur. Compreſſæ ſunt ſimultates, verſa in amorem diſsidia, & optimè conuenit inter eos, qui de Imperatoria ſpecula laborabant: mirè anxij, ecquis in ea ſtatuendus eſſet, ecquis Germanicæ vigiliæ præponendus. Immortales Superis ſunt habendæ gratiæ, piacularibus hoſtijs gratulantibus conſalutandus Deus. Ac poſtridie faciet vna cũ ſanctiſsimo Hierarcha Cardinalium Senatus.

Nam hodierna die complures nuncij, alius poſt alium, huc maximis itineribus è conuentu Francfurdienſi conuolarunt à Legatis, litteras afferentes de Ferdinando Auſtriaco ad Imperij faſtigium euecto. Dici non poteſt, quàm omniũ libentibus, & propè ad tripudia compoſitis animis, ea vox fuerit excepta. tam altè Cæſarianæ ſtudium gloriæ in hominum mentes deſcenderat:

rat: de cuius iampridem in Christianam religionem peruigili cura celebris apud omnes fama percrebuit. Pontifex cum, peracto sacro, secedere decresset in Tusculanum; perlato nuncio, profectionis consilia distulit, & comitia indici in crastinum imperauit, rem Patribus, sicuti est gesta, renarraturus. Quæ te, Præses integerrime, ignorare nolui, haud omittens, Farnesium, ac Sfortiam Cardd. in Capranicensem pagum pridie huius diei commigrasse. Tresium propediem abiturum, vt quidem ille ait, Laure tũ religionis ergò, alij qui verius, in Hispaniã, Ego quoque ad te, Octobri ineunte, per occasionem Lauretanæ peregrinationis obeundæ: quam sanè diù est cum cogitat Card. Auunculus tuus, Dominus meus, Ni animum abducat, Gregorium Narum, & Io. Baptistam Astallium, clarissimos hospites, expectes licet. Aesium inuitat Lucas Cellesius Prætor, Maceratam Felix Card. Asculanus. Vale, ac litteras ad Ferdinãdum Imperatorem. N. nomine conceptas, quarum exemplum Nino debeo, prius lege, & nos ama, Romæ B. Virginis Natali die M. DC. XIX.

(i*i)

Ferdinando Cæsari semper Augusto.

SI quisquam est, qui diuinæ clementiæ magis ex animo gratias agat, quod tam multa Germaniæ dissidia læto fine composuerit, quæ ad Maiestatem vestram in isto fastigio collocandam, arcana quadam ratione conspirare voluerit; hunc vnum sciat Maiestas Vestra esse me, qui erga eandem iampridem tantum amoris, obseruantiæque suscepi; quantum & meæ non semel transmissæ istuc litteræ, & creberrimi hic in Vrbe habiti sermones, palam fecerunt; quique nihil vnquam ardentius concupiui, quàm vt, sublatis bellorũ incendijs, is triumphali solio imponeretur, qui cùm maiorum suorũ amplissimis benefactis, tum sui ipsius promeritis, totius Orbis suffragio dignissimus iudicaretur. Quandò igitur Dei optimi beneficio in ista Imperatoria quasi vigilia Maiestas Vestra constituta est, cuius consilium, ac studium in Christiana Repub. flagrans antehac semper fuit, & deinceps boni omnes flagrantissimum fore confidunt: superest, vt ab eodem Numine summis precibus contendã, vt perpetuum idem esse velit, & Maiestate Vestra aduersus Fidei catholicæ hostes, tanquam firmissimo propugnaculo diutissimè vtatur: mihi verò facultatem præstet, officij, obseruantiæque erga eandem meæ præcipuo aliquo argumẽto declarandæ. Romæ:

EPIST.

EPIST. LVIII. Bononiam.

Bartholomæo Florauantio Vtr. Sign. Refer Io. Bapt Laurus, S.

Nihil mihi Thomæ Dempsteri elegantissima Præfatione potuit accidere opportunius, quæ BONONIAE titulũ præfert, & laudes ingeniosè, copioseque narrat. Triduo enim ante egeram pluribus cum Viro primario è familia Iulij Cardinalis Sabelli, cui Bononiensẽ legationem proximè decreuit Pontifex, de Galliæ Cisalpinæ nomine, deque Rege Celsino, à quo, ceu à Boijs, aut à Bono Rege, Bononia, sic Felsina fuerat transnominata. Cũque non occurreret, vbi adnotassem: accessit in tempore Scotus testis locuples, qui permulta in vnum, è multis petita, quasi gemmas, congessit, ad Vrbem exornandam, cuius ornamenta amplam adeò segetem tot Scriptoribus, quos marginarios cõsuluit, peperere. Quod autem exquirebas iudicium, quandò tanti mediocritatem nostram facere videris, elicit à me breuibus Thomæ castigata scriptio, quam commendant eruditio multiplex, iucunda varietas, & felix castæ dictionis fluxus. Nam quot, quantaque quatuor paginis complectitur rara, arguta, atque recondita! quæ vix cuiquam diuturna multorum voluminum lectio queat obijcere. Quamobrẽ gratulor plurimum Patriæ tuæ, quæ Corrados, Sigonios, & Titios non est cur desideret.

Vnum abs te, Vir humanissime, prius quàm ad nos reuertaris, mihi curatum velim; Caroli Sigonij de Episcopis Bononiensibus librum, cui hic iam tres menses frustra immineo, neque dum alicundè possum eruere. Geminam cum vestrate Historiam de Episcopis Perusinis conscriptam, breui excusam, videbis. Sigonij tamē exemplum aueo, vt conferre liceat, ordinem, & diligentiam, si Cardinalis imperet, in Tudertinis secuturus, quorum Iconas, & Elogia breuiuscula, in maiore Aedium Episcopalium Aula penicillo expressa, in itinere Perusino, si quandò Tuder diuertisti, facilè annotasti. M. Antonij Capellij scripta, quæ imperaueras mitto per Hondedæum: ea partim Venetos, partim Colonienses typos subiere, item Matthæi Ferchij Veglensis Apologias. Apocalypsim Bohemicam in tuum reditum reseruo. Amphiaraum aliquem, vt apud Papinium, te auditurum canentem numerosè, & diuinantem, puta. Vale. Ex Vrbe.

(*i)

EPIST.

EPIST. LIX. In Quirinalem.

Scipioni Burghesio Cardinali S. Chrysogoni, Pauli V. ex sor. Nep. Io. Baptista Laurus S.D.

NVnquam, vt Antisthenis vocẽ illam probarem, adduci potui, qui, cum inequestri pompa Platonem audisset, dilaudantem Equũ crebro hinnitu excelsos spiritus indicantẽ, propterea hominem reprehendit, quod instar Equi, fore aliquandò ambitiosulum suspicaretur. Animum enim gloriæ appetentem, modò eam sibi rectè factis, ac liberalibus artibus comparare studeat, tanto æquius magnifaciendum semper existimaui, quantò in illos acrius sum inuectus, qui amant ignoti esse, vt in otio, quod aiũt tranquillè viuant, hoc est, turpiter in desidia consenescant. Quam equidem vt ab hac ingenij mediocritate pro virili excuterem, vel à prima adolescentia dedi operam: decreuique in eo pergere, quotidie promendo aliquid: cum præuolantem ætatem nulla re videam tenacius inhiberi; quàm si litterarius vtcumque clauus infigatur. Ergò habes vndeuigesimi huius anni litterariam vsuram alteram, quam rogo, Princeps beneuole excipias securus laudum capaciore abs te modio colligendarum, si patrocinium vel leuissimæ lucubrationi non deneges: quàm si grauissimas obijcerem, quas mea tenuitas conferre non potest, & tua amplitudo, etsi à sum-

mis ingenijs requirat; à nobis certè non paruis conatibus parua molientibus, haud expectat. Quamobrem non semel humanitatem istam experti, Te hoc munusculo appellare non dubitauimus: quippè in spem adducti, fore vt non reijceres. Qui non Artaxerxem modò Persarum Regem in recipienda Aquula imitari consueueris: verum etiam Pij II. comitatem ipse Pauli V. Nepos, ad viuum exprimere tibi proposueris. Cui ad Senenses proficiscenti gregarius custos, emuncta celeriter Vacca, in ligneo vasculo lac potandum deferre non erubuit. Admisit generosus Princeps, & suo & Cardinalium obequitantium ori apponi iussit. Laudauitque hominis angusta in re liberalitatem, qui largiter voluit, quiq; ne largius valeret, donariorum penuria meliorum malignè excludebatur. Vale Burghesi illustriss. atque eandem Cælitum indulgentiam te quoque obiturum cogita; quæ tibi alterutrius Hierarchæ infulas, longa serie felicium auspiciorum pollicetur. In Vrbe.

Romam.

Io. Baptistæ Lauro
Brtholomæus Tortolettus S. D.

CVm sæpissimè de tua in me beneuolentia Cauacepius noster ad me retulit, tum quãdocumque vsu venit, vt præclara ingenij tui monumenta in publicum edita, ad ipsum perferenda curaueris, & mihi, quod & proximè præstitit, tuo,

tuo iussu, qui meum iudicium nimium videris æstimare, legenda permisit: quod quàm mihi iucundum fuerit, pluribus explicare non est necesse. Etenim & tua scripta mirificam, & satis hominibus perspectā, & laudatam præse ferunt elegantiam, & isthuc volūtatis, & iudicij de me tui testimonium ad meam dignitatem magnoperè arbitror pertinere. Itaque non sum ratus committendum, vt toties prouocatus, diutius sileam, neque tibi gratias agam, quàm maximè fieri potest, liberales, certioremque faciam me tui amantiorem, aut studiosiorem esse neminē: cum meæ beneuolētiæ, & studij caussa à tua virtute profecta sit; ac si mea opera vti opportunū duxeris, me tibi officio nullo tempore defuturū. Quid autem sentiam, non de tuis laboribus sanè luculentis, id enim satis explicaui, sed de latini sermonis, quem præcipuè colis, peritia, & vsu; dicam meo more liberaliter, nulla me vberiore affici voluptate posse, quàm cum in ea me lingua aut legere, aut scribere aliquid contingit. cui præsertim quidpiam inusitatum insit nitoris, & gratiæ, quæ omnium linguarum, omniū gentium, omnium seculorum, meo quidem iudicio, facilè obtinet principatum. Quid enim ei desit aut ad exprimendas res efficax, aut ad venustatem concinnum, aut ad maiestatem decorum, & splendidum, in mentem non venit, imò verò abunde omnia, & supra ceteras; nam tametsi communi fe[illegible]onsensione ea potissimum inualuit opinio, vt Hebræa, Græcaque linguæ

aut

aut locupletiores, aut elegantiores, aut certè significantiores fortaſſe videantur; tamen neſcio qua ratione factum ſit, vt nihil amabilius, nihil gratius meis auribus inſtillari poſsit, quàm argumentum illud, quod latinis characteribus conditur, ſeu illa ſit conſuetudo, aut propenſio naturæ quædam, ſeu quod ratio ſoni Hebræi, Græcique ſermonis à noſtro vſu vehementer abhorrens, ad latinam me ſuauitatem conuertat. Quo magis commoueri me ſentio, cũ audio quoſdam, qui latinas litteras infenſi reſpuũt, & planè improbãt, quarũ vim, & pulchritudinem non intelligunt, iiſque hunc, quem communi conſuetudine vſurpamus ſermonem, æquiparant, atque etiam, ſi Superis placet, impudenter anteponunt. Quaſi verò, ſi quid magnifici, ac ſplendidi in familiari huiuſmodi noſtro idiomate continetur, non illud è latinis fõtibus deriuarint maiores noſtri; atque in illa temporum colluuie, qua inuadentibus Italiam Barbaris, vnà cum dominatione & potentia, bonæ Artes interiere, in hanc noſtratem linguam, quoad per eos fieri potuit, haud totum contulerint. Etenim nihil noſtrum habemus, quod laudem mereri poſsit, omnia extera, aliena, peregrina, ipſa doctrinæ, & ſapientiæ arcana, nedum eloquentiæ, ad imbuendos animos, è Græco penu in Latium manarunt; è Latio in noſtros vſus tranſlata ſunt. Quod ſi ex hoc maximè inquiant, vt ſanè faciunt, huic generationis, quæ vulgari vſu recepta eſt, Philoſophiam, nec non recon-

conditarum quarumcumque disciplinarum intima, consignata fuisse mysteria, ac propterea superuacaneum esse latinis litteris operam dare, in quibus addiscendis flos, & ver ætatis frustra deteritur: non inficiar, eam esse conditionem scientiarum grauissimarum, vt exutæ latinitate proprium decus, & maiestatem tueri minimè posse videantur, & Reginas plebeio vestitu indutas, ac sordidas repræsentent: imò vêrò, neque integrè neque significanter nostram linguam referre posse eiusmodi sententias censeo, quæ in latina suum quasi corpus proprium habent. Quamobrem si peregrinam, nihilque ad nos pertinentem orationem latinam existimant, neque potius domesticam, & cognatam nobis, sed fato quodam ereptam, quid est, quod ab ea tantoperè abhorrent, cum peregrinas vestes, externos, atque alienos mores Itali homines tanto studio prosequantur, & induant? Etenim ita vsu comparatum est, vt quæ olim natio omnes imperio sine controuersia superauit, ea nunc specie quadam illecta quietis, & lucri, vno seruiendi desiderio flagrare videatur. De Lectione, nisi pertinacius agere velint aduersarij, conuictos medius fidius se esse fatebuntur; de Scriptione fortasse maior quæstio. Nam qui latinè scribant, scribere eosdem aiunt admodum paucis, & gloriam suam angustius coërcere, cũ ea cognitio arctis sanè terminis nostra ætate cõclusa sit. Aberrant tamen in hac quoque partè toto Cælo, nisi fortè latius patere statuendum

sit,

sit, quod vnius Italiæ finibus circumscribitur, quàm quod per vniuersas Christiani Orbis prouincias largissimè peruagatur; scriptoresque figulis potius, ac tonsoribus, quàm viris doctis, & eruditis suam industriam præstare velint.

Ceterum eò vel iniuria temporum, vel ignauia, & socordia præsentium hominum deducti sumus, vt non modò politiores litteræ, sed studia propemodum omnia, quæ sapientiam pariunt, conticescant, obsolescant: Philosophiam magistram vitę qui attingat, aut nemo reperitur aut oppidò pauci Solę fortasse Leges nõnihil loci, ac cõmodi apud nouissimũ seçulum videntur inuenisse: quippè quę in re familiari tũ defendẽda, tũ amplificanda versantur vt plurimũ: nõ enim, quæ virtutẽ inducãt, sed quæ censum augeant, eæ artes suspiciuntur. Indignum verò, nisi cum venalibus animis sentiamus, flagitij genus, mentem instruere disciplinis, quæ nobis ad benè, beateque viuendum, à Deo immortali singulari beneficio traditæ sunt, vt corpus vilissimo, ac sordidó quæstu ditetur, & pingueat. Quâ ratione autem sapientes isti Leges calleant, interpretentur, administrent, sine pudore dici vix potest; cum absque litteris plerique, ac latini sermonis expertes, omnem barbariem in subsellia, & fora traducant, & buccis ambitiosè inflatis, solos paragraphos sonent, & digesta; quæ tamen minimè digesserunt, ac fortasse non degustarunt. Nam si sapientum responsa, & leges illas à summis viris dictatas vidissent, ac me-

moriæ mandassent, haud profectò in tantam vocum fatuitatem corrumperentur, & nobilissimam facultatem non inquinarent; cum illæ candido, atque eleganti sermone, illustribusque in primis dicendi formulis conscriptæ sint. Satis habent hi, si posteriorum scriptorum riuos attingant; fontes perhorrescunt; nimirum cõsilijs vt plurimum ad quæstum magis, quàm ad veritatem accommodatis, nunc demum vniuersa prope Iurisperitia continetur. An verò animas incorruptas, immortales, ad beatitudinem diuinitus procreatas, corporibus postponendas, iudicandum est? virtutemque auro posthabendam? Ita sanè contendunt. Litteras præterea aut nullas vulgò attingunt, aut fastidiunt plurimi, atque in eam væcordiam adducuntur, vt litteratos homines explodendos putent, eosque planè ineptos, atque inutiles in Republica prædicẽt; litteratorũ autẽ conatus, & opera nõ secus irrideant, ac si essent furentium deliramenta, & somnia ægrotantium. Qua verò de re in Aulis, in Foris, in Ciuili societate, atque amicorũ consuetudine inter se hostes isti Musarum, & Mineruæ strenui admodum colloquãtur, pudet commemorare. nam cui sententias, è nobilibus disciplinis erutas, liberalis cognitio neutiquã subministrat; ille in obscenos, indignosque sermones degeneret necesse est; aut benè loqui nesciat, malè loquatur; ac tum demum summam gloriam sibi adeptus esse videatur, cùm bonorum studia, fortunam, mores maledictis exagitauerit.

tauerit. Viderint cùm ipsi, tum qui alunt eiusmodi dedecora (vtinam non plerumque in suam perniciem) Sed vniuersus terrarum Orbis propè iam consenuit; bis pueri Senes; puerorum autem illud primum ac potissimũ elementum est, vt litteras odio habeant. Tibi quidem, Laure, gratulor, qui ab eorum instituto longiùs abes; neque insanas huiusmodi inimicorum voces, fortissimè, reformidas. Ego quoque eandem tecum viam inirem, si aut ingenium, aut otium suppeteret; sed cum meas vigilias attentius intueor; animo me oportet planè concidere. Nam nisi ab Aula quietem impetro, desperata res est, nihil perfectum, absolutumque de meo vnquã penu depromere licebit: adeo multa, eaque varia temerè (quod Iuuentutis est vitiũ) inchoata sunt à me, in vtraque lingua vtraque oratione tum ligata, tum soluta, præsidia futuri nominis; quod quemadmodum parare possim in tantis virium, ac temporis angustijs comminisci nequeo. Illud saltem fortuna permitteret, sin minus meliora, at non deteriora vt secernere valerem, atque aliquo delectu testari posteritati, me inertem, ac desidiosam vitam quasi fortuitò non agitasse. Tu, qui ingenio plurimũ vales, cumque ad aptè, ornatèque scribendum tuo stylo nihil desit, facilitate nihilominus dicendi iacturam temporis redimis, quemcumq; aditum ad summum litterarię gloriæ fastigium & appetere, & sperare potes. Vale. Ferrariæ x. Kal. Nouemb. An. 1619.

EPIST.

EPIST. LX. Ferrariam.

Bartholomæo Tortoletto.
Io. Baptista Laurus S.D.

OMninò præter ſpem tuæ mihi obuenerunt litteræ, diſertiſsime Tortolette: quæ eò gratiores, quo expectabantur minus, putabam enim me Cauacepio excidiſſe, aut abeſſe ipſum Ferraria, à quo (ſex ſeptem abierunt Menſes) tantum accepi binas. in his ſemel de te mentio, cum permulta de ſtudijs, ac lucubrationibus tuis poſſet, & à nobis rogatus, deberet, quæ hic corã receperat, quo tempore Romã à Cardinale veſtro ablegatus, Gibertum Pium, cùm ſuorũ ſplẽdore nataliũ, tũ Columnẽſi nupero coniugio florentem, immatura morte præreptũ offendit, quem crediderat valetudinarium. Homini autẽ cum negotium dedi, ſcriptorum meorum cuiuſque modi miſiſſẽ, tibi, noſtri amantiſsimo, indicandorum; meum non fuiſſe conſilium, vt ex eo laborem ſcribendi vllum ſumeres. vtique in iſta Aula occupatiſsimus, inde opinor, licebat intelligere; quod ad te per eam occaſionem verbum nullum: quem ego Artibus & facundia, excultũ quamquam rudi, ac ieiuna Epiſtola, appellare vltrò non dubitaſſem. Quamobrem magnas beneuolentiæ in me tuæ gratias ago, qua adductus, litteras ad nos miſeris tam vberes, tam elegantes, tam veras denique de re, hac quidem tempeſtate, ad miraculum, penè dicam, negli-

genter habita. Etenim per quàm pauci hic sunt, qui(vt missos faciam eos, qui Philologiæ, & Philosophiæ haud quidem nuncium remisere, nam aliquandò agnouissent, sed sibi in totum interdixere) Tullij, meliorumvè splendidas, & omni Gratiarum penu refertas cenas, desiderent: adeò multi triuiali & famelica oratione contenti, vulgariter ac sordidè conuiuantur. Aduersus quos, sermonis elegantiæ osores, æquissimo iure strinxisti gladium, Tortolette; cui tamen(quandò nullius iam rei vberior est annona, quàm hominum, à Musis amœnioribus abhorrentium) nullus adijci ignis satis queat, ad hanc excetram exurendam, nullum fulmen ad hos Salmoneos deterrendos, obterendosque. Non possum obliuisci spinosas quasdam, imò monstri similes litteras, quas legit mihi nuper Vir amicissimus, cumprimis eruditus & eloquens, ad se, vti dicebat, à quopiā ab Insubria exaratas, qui Historiā nescio quàm aggressus est scribere. Lapides, ita me Cælites ament, non verba loquebatur: tum periodos sic obuoluebat, & vocibus quibusdā ab Oscis, & Volscis malè corrogatis, interpolabat; vt latinæ orationis faciem non agnosceres, planè asper, horridus, olidus, veluti è pistrino prodijsset. haud certè Plautino, aut Apuleiano(nam hoc ferendum erat) sed ex hircosa aliqua Aboriginum caula, qui rancida omnia fuerant balba de nare locuti. Qui vero salebrosæ Epistolæ lectione meas aures onerauerat, à nobis bona sanè fide expetebat, vt cum illo data litteraria syngrapha,

grapha, amicitię fœdus institueremus, Esse enim apud Magnates suos in summa gratia; nec minoris candidatum Aulæ à nobis: qui in Vrbe viueremus, reijciendum videri. Ad quem ego: Apage, inquam, Spurinam & Labeonem istum: cuius vel remota consuetudine, facultas dicendi hæc, quantula est, illicò maculas vsq; adeò luridas cōtrahat; vt me deinceps, furenti Aiaci persimilem, intemperijs actum, sis iudicaturus. Porrò Latinæ Linguæ maiestatem ita à puero deuenerari cœpi, vt nullo non thymiamatis honore, nulla non dignam victima semper existimauerim. Eius simulacrū Plautus, Terentius, Cæsar, Cicero graphicè conformarunt, & ductas vtcumque lineas à Liuio, Curtio, & Cornelio, nemo aliqua ratione delendas hactenus putauit. Qui omnes, mixta colorum artificiosa temperatione, hanc apud sanioris iudicij viros expresserūt Helenam; quemadmodum apud Crotoniatas Zeuxis expressit suam. Ab hoc archetypo hodie non deflectūt oculos Barclaius, Sacchinus, Famianus, Gallutius, alij, qui quotidie apud V.C. Paullum Mancinum ad doctissimam Humoristarum Palæstram confluunt. Tu reddis ad amussim Tortolette. Testis olim mihi Pompeius tuus, & in parū dissimili genere, Secularis Clementi viij. oblatus, proximæque ad nos litteræ abundè declararunt. Perge autem Vir eximie, & quæ multa habes iampridem contexta, atque perpolita, quæque in dies procudis, ede nobis; ede Vrbi, quæ tui præsentis orationem

mis ingenijs requirat; à nobis certè non paruis conatibus parua molientibus, haud expectat. Quamobrem non semel humanitatem istam experti, Te hoc munusculo appellare non dubitauimus: quippè in spem adducti, fore vt non reijceres. Qui non Artaxerxem modò Persarum Regem in recipienda Aquula imitari consueueris: verum etiam Pij II. comitatem ipse Pauli V. Nepos, ad viuum exprimere tibi proposueris. Cui ad Senenses proficiscenti gregarius custos, emuncta celeriter Vacca, in ligneo vasculo lac potandum deferre non erubuit. Admisit generosus Princeps, & suo & Cardinalium obequitantium ori apponi iussit. Laudauitque hominis angusta in re liberalitatem, qui largiter voluit, quiq; ne largius valeret, donariorum penuria meliorum malignè excludebatur. Vale Burghesi illustriss. atque eandem Cælitum indulgentiam te quoque obiturum cogita; quæ tibi alterutrius Hierarchæ infulas, longa serie felicium auspiciorum pollicetur. In Vrbe.

Romam.

Io. Baptistæ Lauro
Brtholomæus Tortolettus S. D.

CVm sæpissimè de tua in me beneuolentia Cauacepius noster ad me retulit, tum quãdocumque vsu venit, vt præclara ingenij tui monumenta in publicum edita, ad ipsum perferenda curaueris, & mihi, quod & proximè præstitit,

tuo,

tuo iuſſu, qui meum iudicium nimium videris æſtimare, legenda permiſit: quod quàm mihi iucundum fuerit, pluribus explicare non eſt neceſſe. Etenim & tua ſcripta mirificam, & ſatis hominibus perſpectā, & laudatam præſe ferunt elegantiam, & iſthuc volũtatis, & iudicij de me tui teſtimonium ad meam dignitatem magnoperè arbitror pertinere. Itaque non ſum ratus committendum, vt toties prouocatus, diutius ſileam, neque tibi gratias agam, quàm maximè fieri poteſt, liberales, certioremque faciam me tui amantiorem, aut ſtudioſiorem eſſe neminẽ: cum meæ beneuolẽtiæ, & ſtudij cauſſa à tua virtute profecta ſit; ac ſi mea opera vti opportunũ duxeris, me tibi officio nullo tempore defuturũ. Quid autem ſentiam, non de tuis laboribus ſanè luculentis, id enim ſatis explicaui, ſed de latini ſermonis, quem præcipuè colis, peritia, & vſu; dicam meo more liberaliter, nulla me vberiore affici voluptate poſſe, quàm cum in ea me lingua aut legere, aut ſcribere aliquid contingit. cui præſertim quidpiam inuſitatum inſit nitoris, & gratiæ, quæ omnium linguarum, omniũ gentium, omnium ſeculorum, meo quidem iudicio, facilè obtinet principatum. Quid enim ei deſit aut ad exprimendas res efficax; aut ad venuſtatem concinnum, aut ad maieſtatem decorum, & ſplendidum, in mentem non venit; imò verò abunde omnia, & ſupra ceteras; nam tametſi communi fe[illegible]onſenſione ea potiſſimum inualuit opinio, vt Hebræa, Græcaque linguæ aut

aut locupletiores, aut elegantiores, aut certè significantiores fortasse videantur; tamen nescio qua ratione factum sit, vt nihil amabilius, nihil gratius meis auribus instillari posſit, quàm argumentum illud, quod latinis characteribus conditur, seu illa sit consuetudo, aut propensio naturæ quædam, seu quod ratio soni Hebræi, Græcique sermonis à nostro vsu vehementer abhorrens, ad latinam me suauitatem conuertat. Quo magis commoueri me sentio, cũ audio quosdam, qui latinas litteras infensi respuũt, & planè improbãt, quarũ vim, & pulchritudinem non intelligunt, ijsque hunc, quem communi consuetudine vsurpamus sermonem, æquiparant, atque etiam, si Superis placet, impudenter anteponunt. Quasi verò, si quid magnifici, ac splendidi in familiari huiusmodi nostro idiomate continetur, non illud è latinis fõtibus deriuarint maiores nostri; atque in illa temporum colluuie, qua inuadentibus Italiam Barbaris, vnà cum dominatione & potentia, bonæ Artes interiere, in hanc nostratem linguam, quoad per eos fieri potuit, haud totum contulerint. Etenim nihil nostrum habemus, quod laudem mereri posſit, omnia extera, aliena, peregrina, ipsa doctrinæ, & sapientiæ arcana, nedum eloquentiæ, ad imbuendos animos, è Græco penu in Latium manarunt; è Latio in nostros vsus translata sunt. Quod si ex hoc maximè inquiant, vt sanè faciunt, huic gener[illegible]ationis, quæ vulgari vsu recepta est, Philosophiam, nec non re-

con-

conditarum quarumcumque disciplinarum intima, consignata fuisse mysteria, ac propterea superuacaneum esse latinis litteris operam dare, in quibus addiscendis flos, & ver ætatis frustra deteritur: non inficiar, eam esse conditionem scientiarum grauissimarum, vt exutæ latinitate proprium decus, & maiestatem tueri minimè posse videantur, & Reginas plebeio vestitu indutas, ac sordidas repræsentent: imò verò, neque integrè neque significanter nostram linguam referre posse eiusmodi sententias censeo, quæ in latina suum quasi corpus proprium habent. Quamobrem si peregrinam, nihilque ad nos pertinentem orationem latinam existimant, neque potius domesticam, & cognatam nobis, sed fato quodam ereptam, quid est, quod ab ea tantoperè abhorrent, cum peregrinas vestes, externos, atque alienos mores Itali homines tanto studio prosequantur, & induant? Etenim ita vsu comparatum est, vt quæ olim natio omnes imperio sine controuersia superauit, ea nunc specie quadam illecta quietis, & lucri, vno seruiendi desiderio flagrare videatur. De Lectione, nisi pertinacius agere velint aduersarij, conuictos medius fidius se esse fatebuntur; de Scriptione fortasse maior quæstio. Nam qui latinè scribant, scribere eosdem aiunt admodum paucis, & gloriam suam angustius coërcere, cũ ea cognitio arctis sanè terminis nostra ætate cõclusa sit. Aberrant tamen in hac quoque partè toto Cælo, nisi fortè latius patere statuendum

sit,

ſit, quod vnius Italiæ finibus circumſcribitur, quàm quod per vniuerſas Chriſtiani Orbis prouincias largiſsimè peruagatur; ſcriptoreſque figulis potius, ac tonſoribus, quàm viris doctis, & eruditis ſuam induſtriam præſtare velint.

Ceterum eò vel iniuria temporum, vel ignauia, & ſocordia præſentium hominum deducti ſumus, vt non modò politiores litteræ, ſed ſtudia propemodum omnia, quæ ſapientiam pariunt, conticeſcant, obſoleſcant: Philoſophiam magiſtram vitę qui attingat, aut nemo reperitur aut oppidò pauci Solę fortaſſe Leges nõnihil loci, ac cõmodi apud nouiſsimũ ſeculum videntur inueniſſe: quippè quę in re familiari tũ defendẽda, tũ amplificanda verſantur vt plurimũ: nõ enim, quæ virtutẽ inducãt, ſed quæ cenſum augeant, eæ artes ſuſpiciuntur. Indignum verò, niſi cum venalibus animis ſentiamus, flagitij genus, mentem inſtruere diſciplinis, quæ nobis ad benè, beateque viuendum, à Deo immortali ſingulari beneficio traditæ ſunt, vt corpus viliſsimo, ac ſordidó quæſtu ditetur, & pingueat. Quâ ratione autem ſapientes iſti Leges calleant, interpretentur, adminiſtrent, ſine pudore dici vix poteſt; cum abſque litteris plerique, ac latini ſermonis expertes, omnem barbariem in ſubſellia, & fora traducant, & buccis ambitiosè inflatis, ſolos paragraphos ſonent, & digeſta; quæ tamen minimè digeſſerunt, ac fortaſſe non deguſtarunt. Nam ſi ſapientum reſponſa, & leges illas à ſummis viris dictatas vidiſſent, ac memoriæ

moriæ mandassent, haud profectò in tantam vocum fatuitatem corrumperentur, & nobilissimam facultatem non inquinarent; cu illæ candido, atque eleganti sermone, illustribusque in primis dicendi formulis conscriptæ sint. Satis habent hi, si posteriorum scriptorum riuos attingant; fontes perhorrescunt; nimirum cõsilijs vt plurimum ad quæstum magis, quàm ad veritatem accommodatis, nunc demum vniuersa prope Iurisperitia continetur. An verò animas incorruptas, immortales, ad beatit[illegible]em diuinitus procreatas, corporibus postponendas, iudicandum est? virtutemque auro posthabendam? Ita sanè contendunt. Litteras præterea aut nullas vulgò attingunt, aut fastidiunt plurimi, atque in eam væcordiam adducuntur, vt litteratos homines explodendos putent, eosque planè ineptos, atque inutiles in Republica prædicẽt; litteratorũ autẽ conatus, & opera nõ secus irrideant, ac si essent furentium deliramenta, & somnia ægrotantium. Qua verò de re in Aulis, in Foris, in Ciuili societate, atque amicorũ consuetudine inter se hostes isti Musarum, & Mineruæ strenui admodum colloquãtur, pudet commemorare. nam cui sententias, è nobilibus disciplinis erutas, liberalis cognitio neutiquã subministrat; ille in obscenos, indignosque sermones degeneret necesse est; aut benè loqui nesciat, malè loquatur; ac tum demum summam gloriam sibi adeptus esse videatur, cùm bonorum studia, fortunam, mores maledictis exagitauerit.

tauerit·Viderint cùm ipsi, tum qui alunt eiusmodi dedecora(vtinam non plerumque in suam perniciem) Sed vniuersus terrarum Orbis propè iam consenuit;bis pueri Senes;puerorum autem illud primum ac potissimũ elementum est, vt litteras odio habeant. Tibi quidem, Laure, gratulor., qui ab eorum instituto longiùs abes, neque insanas huiusmodi inimicorum voces, fortissimè,reformidas. Ego quoque eandem tecum viam inirem, si aut ingenium, aut otium suppeteret; sed cum meas vigilias attentius intueor;animo me oportet planè concidere. Nam nisi ab Aula quietem impetro,desperata res est, nihil perfectum, absolutumque de meo vnquã penu depromere licebit:adeo multa, eaque varia temerè(quod Iuuentutis est vitiũ) inchoata sunt à me, in vtraque lingua vtraque oratione tum ligata,tum soluta,præsidia futuri nominis;quod quemadmodum parare possim in tantis virium,aç temporis angustijs comminisci nequeo.Illud saltem fortuna permitteret, sin minus meliora,at non deteriora vt secernere valerem,atque aliquo delectu testari posteritati, me inertem,ac desidiosam vitam quasi fortuitò non agitasse. Tu,qui ingenio plurimũ vales,cumque ad aptè, ornatèque scribendum tuo stylo nihil desit, facilitate nihilominus dicendi iacturam temporis redimis,quemcumq; aditum ad summum litterarię gloriæ fastigium & appetere,& sperare potes. Vale.Ferrariæ x.Kal.Nouemb.An. 1619.

Epist.

EPIST. LX. Ferrariam.

Bartholomæo Tortoletto.
Io. Baptista Laurus S.D.

OMninò præter ſpem tuæ mihi obuenerunt litteræ, diſertiſsime Tortolette: quæ eò gratiores, quo expectabantur minus, putabam enim me Cauacepio excidiſſe, aut abeſſe ipſum Ferraria, à quo (ſex ſeptem abierunt Menſes) tantum accepi binas. in his ſemel de te mentio, cum permulta de ſtudijs, ac lucubrationibus tuis poſſet, & à nobis rogatus, deberet, quæ hic corã receperat, quo tempore Romã à Cardinale veſtro ablegatus, Gibertum Pium, cùm ſuorũ ſplẽdore nataliũ, tũ Columnẽſi nupero coniugio florentem, immatura morte præreptũ offendit, quem crediderat valetudinarium. Homini autẽ cum negotium dedi, ſcriptorum meorum cuiuſque modi miſiſſẽ, tibi, noſtri amantiſsimo, indicandorum; meum non fuiſſe conſilium, vt ex eo laborem ſcribendi vllum ſumeres. vtique in iſta Aula occupatiſsimus, inde opinor, licebat intelligere; quod ad te per eam occaſionem verbum nullum: quem ego Artibus & facundiá, excultũ quamquam rudi, ac ieiuna Epiſtola, appellare vltrò non dubitaſſem. Quamobrem magnas beneuolentiæ in me tuæ gratias ago, qua adductus, litteras ad nos miſeris tam vberes, tam elegantes, tam veras denique de re, hac quidem tempeſtate, ad miraculum, pænè dicam, negli-

K genter

grapha, amicitię fœdus institueremus, Esse enim apud Magnates suos in summa gratia; nec minoris candidatum Aulæ à nobis: qui in Vrbe viueremus, reijciendum videri. Ad quem ego: Apage, inquam, Spurinam & Labeonem istum: cuius vel remota consuetudine, facultas dicendi hæc, quantula est, illicò maculas vsq; adeò luridas cōtrahat; vt me deinceps, furenti Aiaci persimilem, intemperijs actum, sis iudicaturus. Porrò Latinæ Linguæ maiestatem ita à puero deuenerari cœpi, vt nullo non thymiamatis honore, nulla non dignam victima semper existimauerim. Eius simulacrū Plautus, Terentius, Cæsar, Cicero graphicè conformarunt, & ductas vtcumque lineas à Liuio, Curtio, & Cornelio, nemo aliqua ratione delendas hactenus putauit. Qui omnes, mixta colorum artificiosa temperatione, hanc apud sanioris iudicij viros expresserūt Helenam; quemadmodum apud Crotoniatas Zeuxis expresſit suam. Ab hoc archetypo hodie non deflectūt oculos Barclaius, Sacchinus, Famianus, Gallutius, alij, qui quotidie apud V.C. Paullum Mancinum ad doctiſsimam Humoristarum Palæstram confluunt. Tu reddis ad amuſsim Tortolette. Testis olim mihi Pompeius tuus, & in parū diſsimili genere, Secularis Clementi viij. oblatus, proximæque ad nos litteræ abundè declararunt. Perge autem Vir eximie, & quæ multa habes iampridem contexta, atque perpolita, quæque in dies procudis, ede nobis; ede Vrbi, quæ tui præsentis orationem

hausit sæpius, & nunc anxiè requirit, nec ferrè potest absentem. Vale, Romæ, Non. Nouemb. M. DC XIX.

Epist. LXI. Romæ.

Federico Cæsio Principi S. Angeli Io. Baptista Laurus S.D.

DE Tubo Optico, de nouis stellis per eum in Cælesti regione deprehensis, deq; Maculis Lunaris Orbis iuxta tecum sentio, Princeps doctissime. Aliud turbat, quod antequam experirer, propè neglexeram, expertus modò, satis admirari non queo, cuius tu caussam ex abditissimo tuæ Physiologiæ penu mihi eruas oportet. Haud cuiquam ignotum (ecquis verò rem ignorat insigniter noxiã, industria opinor, ac manu Furiarum in Orbem inuectam?) quæ sit vis pulueris tormentarij, quem è sulphure, nitroque conflatum, cum in pharmacum, quisquis ille fuit, apparasset, prosiliens è percussa silice ignis, morti propius inferendæ idoneum declarauit. Nefarium inuentum vt iam amplius, amissa nouitatis gratia, non suspicimus, ita pessimè execramur. De puluere autem aureo si forte minus inaudisti, per me intelligas licet, &, vbi ad experientiæ libellam reuocaueris, etiã alios doceas. Ego proximè argẽteo cocleari imposui, tũ subtus ignem admoui, è vestigio nõ in sublime, quod nitratus cõsueuit, sed deorsũ facto impetu, se proripuit prorsus

ſus contra quã efficax, potens, & in pyramidem euadens elementum ſoleat. quod hic diuerſo vtatur ingenio, ac degeneri combibita indole, quaſi amputatis alis, de more in altum non audeat ſubuolare. Hac in re Princeps acutiſsime arcanas naturæ vires ſcruteris velim: quamobrem in flammam procliuior aurea ſcobs contrario nitatur motu, tametſi dum id neutiquam ſomniculosè cerno, ad ſecretiora me referre ipſum non curo: quodq; tam facilè oculis obijcitur, qua ratione valeat fieri, altius non inquiro. Temerè quippè dubitẽ poſſe contingere, quod oculata fides mihi indicat cõtigiſſe. E Muſæolo.

EPIST. LXII. In Vaticanum.

Io. Baptiſta Laurus S. D.
Angelo Roccæ Epiſc. Tagaſtenſi, Apoſtolici Sacrarij Pæfecto.

EST cur tibi gratias agam, Pater religioſiſsime, qui Muſas noſtras iampridem altiſsimo otio incubantes, & marcenti veluti ſomno ebrias, B. Patris veſtri Auguſtini, cuius ego feſtum diem Natalem meum colo, ſublato vexillo, inflataque tuba excuſſeris, & ad ſanitatem redire imperaueris. Niſi, ſi verius Caduceator dici debeas, qui obiratas, & ſimultatem nobiſcum ſe velle diutius exercere interminãtes, prę ter ſpem reconciliaris, & in pangenda B. Præſulis ſanctimonia, mecum tam amicè conſpirare volueris. Enimuerò ex quo ingenuas Virgines

iussi Fornacem calcariam extruere; Triumphũ Murium & Ranarum canere, & in Abdera Vrbe excindenda fortius insudare, quàm præceperat in Batrachomyomachia sua Græculus auctor, quicumque fuit: illæ mihi, quasi violatæ maiestatis dixerunt diem, & vltione acerrima, hoc est, longissimo silentio, de impudentia nostra supplicium sumere statuerunt. Exinde non nisi in biduum paullò mitiores sum expertus; cũ præissent vtique multa verborum lenocinia, & prensassem vocibus adeò in obsequium calamistratis; vt redimere ferreas compedes, & duritiem à silicibus possent amoliri. Impetraui nimirum breuem haud auersi Numinis vsuram ad Icona Adulationis effingendum, in Aulica Venatione indicatum, mox ad ingenium rediere. Nunc demum per te Virum integerrimum, nobis sunt placabiliores factæ: puto, tam gratioso oratori non potuisse pernegare. Tibi igitur debetur vni sacrum Carmen; quod, ne prorsus contemnã, haud quidem illud præstat, quia ego condiderim, homo, vt tu vis, plusculum eo in genere à prima Iuuenta exercitatus: verum quia ipse intercesseris, atque obtinueris; quippè nec tibi ingratũ, qui poposcisti, nec pio Parente, quẽ pro virili cantat, planè indignũ: In posterũ cum quid eiusmodi ab irato Choro extorquendũ erit; neminem alium mihi pacificatorem, præter te, malo. Præsto enim ille tibi sit, quem minus obsequentem à celeberrima Bibliotheca, abs te magnis sumptibus apud Augustinianos Sodales

excitata, poſsis prohibere. Vale in Vrbe.

EPIST. LXIII. Romæ.

Iulio Cæſari Stellæ Comiti, Pauli V. ab intimo Cubiculo. Io. Baptiſta Laurus S. D.

CRede mihi, Stella Comes humaniſsimè, cũ eſſem Tuderi, nihil propius eſt factum, quàm vt cultiſsimas Muſas tuas peracri Iambo, hoc eſt, ciuilitatum aculeis obarmato prouocarem, quæ mihi tamdiu Nuptiale tuum Carmen in Burgheſium, cui & ego tantò antè proluſerã, differrent. Et ſanè obtinuerat apud me, quod coram dixeras te in illius veſtibulo præfatum: fore vt olim concepta, quamquam emiſſa poſt tres menſes fœtura, ac fortuitò eò vſque dilata, homines legendi percupidos nanciſceretur, neque ſcriptionum eiuſmodi amplius aceruo delaſſatos. Cum prius tam multi, varia cantuum modulatione, quaſi Pyrrhica Chorea indicta, ad præliares Nuptias proſiluiſſent. Hodie demum cum maximè nubilum eſt Cælum, perindè atque ægrè ferat, Pontificiæ Alæ aſſeclas, vnà cum ſanctiſsimo Hierarcha, in Tuſculanum commigraſſe, Stellæ à vobis, vel meridie, cum eſt ſudũ, clariores, ſunt redditæ. Nam tuo Carmini Io. Baptiſtæ, Fratris tui, Elegia adiuncta erat, quã in ſuam ad Epiſcopatum Bitunti conſecrationẽ decantarat. Nihil ea poteſt fieri emunctius, elegantius, religioſius. Tanti verò illa non apud me

modò, sed etiam apud omnes germanæ latinitatis æstimatores, atque animæ in negotio plurimum oculatos, futura est; quanti & Roberti Card. Bellarmini ad Angelū Episc. Theanensem Nepotem Parænesis; Io. Victorij Roscij de Episcopo perelegans Oratio; & Ioannis Gualterij, Burgentiū Antistitis, ad se inauguratū præscripta Admonitio haud ita pridē fuit. Eā amicis ad Ecclesiarū fastigia idētidē euectis, Animarū paro segetem; nec vnquam in manus sumam, nisi beneficij tui, Stella præstantissime, memor: cui gratias ingentes habeo, tibique, & amplissimo Fratri gentilitias Stellas propitias ac fauentes continenter precor. In Vrbe.

EPIST. LXIV. Neapolim.

Io. Baptista Laurus S. D. Laurentio Mancino Abbati.

LOngè opinionem meam fefellerunt nonnullorum præpostera iudicia, qui arbitrati sunt à nobis Mineruam, quod dicitur, Athenis violatā. Taceo de loquēdi formis, à Christianis Scriptoribus passim vsurpatis. illud non debeo, quod vni mihi fraudi fuerit, nō paullò liberius, sed vberius ea per succenturiatū militem pronunciasse, quæ à compluribus noueram multò antè diuulgata. Haud tamen malæ caussæ, Antesignanis nostris ita decernentibus, patrocinari volui. Nam alios, qui, in legendis nostris, tenebras in oculis videntur ferre, adeò nihil moror, vt,

vt, qua ipsi nos verberant, eadem ego illos, æquius castigatione verberandos putem: quibus, si qua lux affulsit, palustris, vt appellat Persius, verè fuit. Sed non vacat, Laurenti, litteris prolixioribus tecum in præsens vti: cum immineat Tabellarius, & ex cohorte Aulica omnes à scribendo reuocent, præproperũ hinc abitum Lauretum versus molientes. Puer quoque meus colligere sarcinulas habet, mulionibus tradendas. Vale mi Laurenti, cui multum gratulor amplissimi Principis Alex. Cardinalis à Monte alto effusissimam liberalitatem. Cælites benè faxint vnico huius æui Mœcenati, qui tam munificè fortunis tuis tuorumque, prospiciendum putat.

Litterarum Pontificiarum, quibus Vrbis nostræ nobilitati pariter, atque vtilitati paternè consultum ijt proxime Paulus V. exemplum Theodorus reddet. Perusiæ proponentur publicè, & tanquam inflato classico, indormientes nostrorũ animos ad rem familiarem studiosius comparandam, excitabunt. Vale iterum, expeditiore nũc Via ad nos reuersurus, quã cũ olim per caussam virium à morbo recuperandarum, istuc concessisti, vsus es, & quidem curante Viro sapientissimo, Philippo Philonardo Card. Ex Vrbe Roma.

EPIST. LXV. Perusiæ.

Gaspari Matthæio V.C. nunc vtriusque Signat. Refer. Io. Baptista Laurus S.D.

QVod inter deambulandum hodie narrare tibi institueram, & cuius gratia exemplar Inscr iptionis ad fossam Bracchianam requirebam; te postridie ad Thrasymenum Lacum profecturo, vt animum à grauissimis Iurisprudentiæ, artiumque studijs parumper leues, dicam planius per Epistolam; enixè cupiens, cum illic fueris, alicui tuorum negotium des, vt describat, & ad me Romam mittat, qui talium manipulum ad V. C. Svvertium meum paro, Selectis Christiani Orbis Delicijs additurum.

Cum Laci Thrasymeni Emissarium, labe interna soli interclusum, prohibuisset per plures annos exitum aquis; excreuerat adeò Lacus, & super stagnauerat, vt nō solum vicini campi, ac vineta occuparentur, & piscatio, quæ solet esse admodum copiosa & quęstuosa, impediretur; verum etiā Oppida, quę in Insulis Thrasymeni, & ad ripam in continenti sita sunt, inundarētur ad eam altitudinem, vt incolis, domos ingredi volentibus, non nisi per fenestras, ostij vice, pateret aditus. Neque tantæ calamitati opera Cardinalium nonnullorum, qui Legationi Perusinæ præfuerant, aut aliorū à Clemente VIII. vt id curarent vnum, transmissorum, remedium vllum

vllum adhibitum fuerat. Tandem missus est ab eodem Pontifice Maphęus Barberinus, tunc Cameræ Apostolicæ Præsidens Clericus nunc verò Cardinalis, qui anno M.DC.II. quatuor mensisium spatio, in pristinam formam Emissarium restituit, & securius aduersus imminentes terrę labes, & Chasmata, nouo addito diuerticulo, reddidit: vti ex Epigraphe conijcies, à Viro disertissimo concepta, & ipsius iussu ad Emissarij ostiū in marmore incisa; in qua tamen, quæ fuit Principis modestia, nullam de se mentionem fecit. Ac ne cura exscripti Lapidis non tibi, Gaspar humanissime, fœneret, ego Principis eiusdem ROSA te donatum volo, vnà cum Bonciarianis litteris, vt ad Dulcium, suauissimis. Vale iterum atque iterum, & nostræ obseruātiæ semper memineris. Cras me, Superis addiuuantibus, ad Card. Proauunculum tuum. Cui, Tuderti cùm fuero, verbis quàm potero officiosissimis plurimam ex te; in Vrbe, Mario dicam Patri. Perusiæ ex Aedibus.

Ἔμφοβον ἐκπροχέον πλοῦτον καὶ ἥδυμον ὀσμήν,
Ὄμμασι πορφυρέῳ χρώματι χάρμα φέρον,
Φαιδροσύνην πεδίου, πάντων κλέος ἔξοχον ἀνθῶν,
Ἀνθηροῦ τ' ἔαρος κόσμον, ἔροντε κορῶν,
Ὀξυτάτων δ' Ῥόδον φρουρᾷ περιέφραξεν ἀκανθῶν,
φίλτατον ὡς ἔργον ζηλοτυποῦσα φύσις.
Καὶ τάχα τῷ φύλακας περιέφυσεν, οὕνεκεν ἀλουργόν
Ἄνθεσι βουλομένη τὸν βασιλῆα δόμεν.
Ὀλβίζεις ὅπλοις ἀρχὸν φρουρούμενον, ἀνθεῖ
ὡς Ῥόδον, ἀμφοτέρων κῦδος ἐφημέριον.

INgenitas quæ pandit opes, & odore superbit,
Et splendore oculos Muricis exhilarat,
Camporum iubar eximium, Iuuenumq; voluptas
Insignis florum gloria, Veris honor:
Spinarum Natura Rosam munimine cinxit,
Vt rem, cuius amor sollicitum cor habet:
Forsan & hanc positis custodibus induit ostro,
Vtpotè Reginam floribus esse velit.
Vt fœlix colitur septus Rex milite! floret
Ceu Rosa. vtrique rapit, quæ dedit hora decus.

Bononiam.

M. Ant. Bonc. Francisco Dulcio. S.

O Verè vernum, verè roseum, imò melleum ac nectareum Epigramma, Dulci suauissime, quod fruendum nobis apposuisti, à communi Domino, græca pariter, latinaque conditura laboratum. Id verò cum alter aurium mearum Anagnostes, grecè plusculum intelligens, antea mihi gustandum exhibuisset; in men-

mentem venerat conari, si possem quoquo modo repræsentare Atticas illas Veneres Gratijs latinis, tum remittere ad Illustrisimum Patrem, alijs indutum vestibus infantem. Vbi verò & latinos gerêtem habitus, & pari passu incedentem conspexi (valeat Philosophus) eodem temporis momento, & dolui meam vicem, spe frustratus reuestiendi, & gauisus sum vicem illius, aptiore, quàm ego facere potuissem, veste conspecta. Mens rursus inciderat euocare Musas Etruscas, & tertium illi habitum concinnare. Sed veritus sum, ne aut me non agnoscerent, diu illarum consuetudine intermissa, aut ne nõ bonam mihi operam nauarent, post habitę latinis. Masinium nostrum, cum redierit, rogare in animo habeo, siue ille diutius cunctabitur, Narduccium, aut Chrysaldum. Apagè qui dicunt, ex Principum Aulis exulare Musas, exulãt vnde non aluntur, siue vbi cuiuspiam ipsæ altrices non fuere. Ingenuos, magnanimos alumnos suos nunquam deserunt, sed his semper adsistunt, obsequio paratæ. Raros, inquies, huiusmodi sit inuenire Principes doctos, liberales, elegantes. Non est dubium, raros nempè quia raros Calliopa & Minerua aluit. Propè libet hoc loco instituere querimoniã aduersus Principes. Age Dulci, diuina, aduersus quos? Nempe inquis, aduersus hostes Musarum; Imò, inquam, aduersus earumdem cultores, atque amicos. Nam si cum opibus, dignitate, potentia bonas quoque Artes sibi vindicant; quid obsecro priuatis

natis nobis relinquunt, in quo eminere, gloriari saltē acquiescere possimus? Id verò si principes efficere pergant, & Cardinalis Barberini exemplum sequantur; quis non censeat fore actum de priuatis eisdem ingeniis, eisdē famelicis litteratis? Nā si Epistolā scribere, si dictare Orationē, si pangere Carmen, si quiduis mittere in litteras græcè pariter, ac latinè tam poterit (exempli gratia) meus Antistes, quàm ego facere soleam; quis nō intelligit facilè fore, vt nos frigeamus, & minore apud Principē in honore, ac pretio simus? Hæc, inquam, se se obtulerat calenti calamo querimonia, quām post paullum refrigerata mens, non admisit, experientia reclamante. Itaque desino, votum reponens pro querela. Dominis meis Illustrissimis Legato, & Prolegato fœlicem, ac Prosperum precor Sacrosanctum Redemptoris nouum Natalem. Tu etiam atque etiam vale, Dulci dulcissime. Te Laurus & Saluucius saluere iubent. Ego Bertolanum & alios Lucenses. Perusiæ postridie Non. Ianuarij M. DC.XIII.

EPIST. LXVI. In Vaticanum.

Constantino Caietano Abbati,

Pauli V. à sacris litterarum monimentis,

Io. Baptista Laurus S. D.

QVàm multa præter opinionem, adeò & contra votum accidunt! Abbas reuerendissime. heri vesperi cum me domum recepissem,

ſem,nihil habui potius, quàm vt tibi Dionem conquirerem, quo Clariſſ. Comes ab Arcu in dies aliquot vti cupiebat. Quid verò cenſes?Bibliothecam diligenter excuſsi, omnia ſcrinia, omnes arculas ſubuerti: nuſquam tamen Nicæus,aut Xiphilinus ſaltem inueniri potuit. At recordatus ſum, Volumen vtrumque abſtuliſſe ſecum Tybur Tiberium Fontium meum, Cardinalis Priuli Iathrũ, qui eò hoc æſtatis cõmigrauit,& vt Romanæ Hiſtoriæ cõtinuata poſt Galenos ſuos lectione,tempus falleret,inde nos fefellit, ſpe nunc reperiendi deſtitutos: quique commoditati Libri oblitus eram, eius fortaſſe in diſcrimen fides apud te adducitur, cui, de me iampridem optimè merito, in re longè maioris ponderis ſemper gratificari cupiam. Igitur dabis veniam culpam ingenuè fatenti; quam redimere precibus non par fuerat, niſi fuiſſem temerè pollicitus. Repræſentare equidem tunc potero,cum non erit vſus,& veluti æs alienum diſſoluere, cum non repoſcetur. Sed quo tibi arctius deuinciar, noméq; haud facilè expungendum tuis rationibus accedat; Roſvveydum in triduũ à te expecto, vt poſt doctiſſimam velitationem tuam recognoſcam. Amo te de Monaſteriologia, à V.C.Carolo Stengelio tuo nomini dicata. Miræi Benedictinis Originibus adiunxi,vt muneribus cariſsimorum capitum me identidem oblectem. Vale Vir acutiſsime,& eruditionis tuæ face Antiquitatem perge illuſtrare,cui noſtro ęuo propitius Caſtor affulſiſti.

sisti. Ex Aedib. in Vrbe.

EPIST. LXVII. Romæ.

Aloysio Capponio Cardinali, nunc Archiepisc Rauennati, Io. Baptista Laurus S.D.

NIhil non debeo Horatio Mancino Abbati, qui in me amando, tuendo, demerendo, nullum seruat modum Mitto dicere, quam dulci me officiorum sarcina apud Principes Lenium & Lantem non semel onerauerit: voluit id etiam nuper apud Te Cardinalis amplissime, cuius patrocinium, ac beneuolentiam sperare quidem propter ingenitam tibi humanitatem, potui, præstare aliquid, quo ea haud planè indignus viderer, non potui. Nam pro oblato illo ingenioli nostri fœtu adeò habere gratiam nullam debuisti; vt magnæ mercedis loco fuerit, quod Vir grauissimus nugacem, & linguacem non reieceris. Quid autem iucundissimus Senex de me tibi insusurrauit nescio, an facilè credideris, quod dicturus sum: cùm magnum pudorem incussit, vbi renarrauit, tum excidit iam illud mihi, qui referri infelicius rationarium ex quo in hanc militiam me volens mancipaui, vix somniare sum ausus. Honorificè nimis quidam de me & sentiunt, & loquuntur; sed quibus perbellè imponat Amor, & quorum errore si tantisper delector, paullò tamē post hinc

me grauiter obiurgo ipsum,qui gregalis in litteris notæ,virtutis dumtaxat cutem , nunquam initima viscera scrutatus sim.Ne verò Cardinalis humanissime, cōmēdatione adductus Horatiana eò prolabaris,quo & tua te benignitas vltrò impellat ; egoque interim sustinendo oneri impar,cogam dependere de suo,quicumque de tenuitate nostra aliis plusculum polliceantur: sponte hac te Epistola præmonitum volo, tuum vt potius mihi amorem serues, quam alienam gratiam eblandiaris.Hanc non exambiam propter humilitatem , quæ & in immerentem non proficiscatur; illum tua deferat humanitas,cuius amabiles nexus nostra ferre imbecillitas non recuset. Vale in Vrbe.

EPIST. LXVIII. Louanium.

Erycio Puteano V. C.
Io. Baptista Laurus S D.

NEc cumulatiorem pietatem erga Bonciarium , popularem meum , tui olim peramantem , præstare queas, Clarissime Puteane: nec ego plus officiorum à quoquam efflagitare; quàm vt litterarium xeniolum,quod humanitati tuæ defero,non repudies.Iam tu decennio antè ex Italia nostra,quàm M.Antonius è viuis.Vigetnè verò tuus etiānum erga hunc,atque illam Amor ? En hunc & Hymenæus noster adit , qui nuper Burghesiorum & Vrsinorum Nuptijs castissimè prælusit. In earumdem scriptiunculam

vsque, vel quidquid constantiæ suadebit laus, vel fides iubebit. Vale, Louanij. Postrid. Eid. Feb. M.DC.XX.

Si Siluæ locò Epigramma admittis hoc istud, Ethicum magis, quam Poëticum, in ἀντίδωρον accipies. Si pateris, per te ausim Clarissimos VV. Bonifacium Vannozziũ, & Berrardum Gulielmum salutare.

Est iam Romæ amicus quidam meus, & contubernalis nuper Henricus Bonerus; huic vt faueas, rogo, imò hunc vt noscas, rogo. Est in Collegio Germanico nostræ gentis Iuuenis nomine Van Heisteren, is indicium faciet.

Vita hominis
Via.

Vt via, sic vita est, spinoso plena labore:
Dulcia sunt acidis sunt bona mixta malis:
Ferre referre gradum, stare & labi, esse nec esse,
Hæ sunt humanæ sortis in Orbe vices.
Inconstans animus; fallax fortuna, caducum,
Naturæ robur: quod sine labe decus?
Diuitias curæ comitantur, liuor honorem,
Pœna voluptatem, fit Libitina Venus.
His tamen abripimur votis, trahit error euntes,
Blanda per ambages semita cuique placet.
Dum fugis, inuenies obliquo calle laborem:
Aut dolor, aut dolus est: viuere, nulla quies.

Seculi Auaritia.

In nummis hominum pietas, & numen in auro;
Nil opus est ara possidet arca Deum.

Σπουδαῖος ζῆν ἄριστον.

EPIST LXIX. Louanium.

Erycio Puteano V.C.
Io. Baptista Laurus S.D.

ACcepi litteras, & adiunctum Carmen, tanto vtrumque gratius, quanto illę boni audaciam meam consuluisse visæ sunt, & hoc docebat breuiter, quod veterum elaborata Poëmata, perspicacibus ingenijs vix longo ambitu adumbrarunt. Sic mihi ex vero iudicati, grauissimum accessit Maphæi Barberini Cardinalis, Viri cùm omni disciplinarum genere, tum poëtica vtriusque linguæ peritia excellentis, testimonium, qui famę ac nominis tui studiosissimus est, nec secius Musarum nostrarum, ex quo à te non fuerunt improbatæ. Huius Odem aliquam transmisissem, nisi nonnullas Parisijs exscriptas, vbi legatum Pontificium apud Henricum IV. Regem diutissimè egit, te iam vidisse existimarem. Henricum Bonerum tuum, cum se commodum Verona ad Vrbem contulisset, agnoram, oblatum à vetere Amico in Aula Quirinali; cui à perlectis tuis, me, meaque, nec quo solent Aulici more, largissimè detuli. Ex eo Vir humanissime, vbi ad vos redierit, de meo in te affectu ac fide, non herclè melius, quam si adesses ipse, cognoscere licebit. Totum enim me candidissimo Boneri ingenio aperui, & veram mentis huius, in tui amorem exardescentis, imaginẽ expressi. Addet quàm multa in studijs velim, quæ tu præ-

stas

ſtas; quantum eadem apud me gelaſcant, dum ciuilitates feruent, quibus tu comites adiungis Muſas, nouos quotidie Orbi fœtus progignẽtes. De ijs ſermo hic mihi frequens cum Viris doctiſsimis, Petro Denores, Gulielmo, Vannozzio, Chifellio, Bartholino, alijs, apud quos gratiam in dies maiorem colligam; quo Amicitiæ noſtræ Genius, à te, veri candoris Myſta, effuſius ac religioſius coletur. Vale V.C. Romæ.

EPIST. LXX. Romæ.

Io. Baptiſta Laurus S.D.

V.C. Henrico Bonero Ruræmondano.

TE profectò, Volumen iterum euolui, ac diligenter excuſsi, ſicubi Imago Bonciariana delitеſceret, quæ per compactoris incuriam, quippè nullo numerorum indiculo præſignata, turbatis folijs ſeſe adglutinaſſet, & properantium oculos effugiſſet, fruſtra. Itaque ſuſpicatus ſum, loco motam, atque ſubductam; cum permultis librum commodauerim, quorum aliquis minus bona reddidit fide. Vide autem, quantæ mihi curæ fuerit votum tuum, ſciebam in meis ſchedijs Epiſtolæ exemplum reperiri, quã Bonciarius olim ipſe ad Perottum dederat de ſui ipſius Imagine à Pictore expreſſa, à ſeq; deſcripta. Ea cõtinuò ad manum, quæ quia perlepida, & elegans viſa eſt, afferri eam ad te iuſsi, vt hominis ſimulacrum animo ſaltem comprehenderes, cuius ſpectandi deſiderium iniecerat habita à Puteano in meis litteris commemoratio.

Elegiã cupio meo tradas Puero, quam dixeras te ad Barberinũ concepisse: porrò gratiam humanissimi Principis, & Musarum maximi cultoris, meliore ratione non poteras aucupari, quàm per Musas. Vale, E Musæolo appetẽte nocte.

Cùm suaderem hodie, vt ad geminum probitatis ac sapientiæ exemplar, Galeatium Sanuitalem Archiepiscopum, & Ioannem Baptistam Agucchium te conferres excidit mihi per quos facilis posset ad horum notitiam tibi aditus patere. Nominaui tres, quatuor, in his Ioannem Ciampolum & Camillum Venantium, homini, qui has tibi reddidit. Huic si indicaueris diei tempus, quod commodum fore dixeris ad exeundum, ex condicto aderit, & fidelem operã hospiti amabilissimo præstabit. Vale iterum.

Sentinum.

M. Antonius Bonciarius Torquato Perotto S.

Dubito quantum debeam tibi, vel potius debeam necne, Torquate humanissime, quod effigiem mei pingendam, & palam domi habendam tibi putaueris. Nam ex altera parte dubium esse non potest, quin hoc singularis beneuolentiæ argumentum sit, velle ob oculos in conspectu habere imaginem amici, & cum eodem absente, tanquam cum præsente quodammodò versari. Habet enim frequens ille occursus, & amabilis ille coniectus oculorum non inanem speciem, domesticæ cuiusdam consuetudinis, congressusq; familiaris. prȩsertim si quod quan-

quandoq; opusculum hominis fuerit ad manũ (esse autẽ frequenter tibi audio Perotte)ac loqui:iocari,ludere iubeatur,tanquam filius ante parentem. Ex altera parte quot incommoda ea res mihi pepererit, atq; in dies pariat, breuiter ausculta. Primum Frater Angelus tuus,& Pater Innocentius meus dies ipsos quindecim iteratis precibus me fatigarunt per se ipsos,per amicos,per cognatos,per dominos etiam meos, vt me paterer in tabula depingi,quod ego aliquot antè annos multis flagitantibus obstinatè negaueram,nec isti vnquam à me impetrarũt, sed callido commento sic extorserunt. Laurus mihi amicissimus,ab eisdem (sicut postea comperi) sollicitatus,& subornatus,scio,inqnit,M. Antoni,datum esse pictori negotium effingendi os tuum quoquo modo liceat, Vel orantis in Templo, vel sedentis in Academia,in cõcione,in cõgressu, vel deniq; in lectulo decũbentis,& dormientis: differre rem(at nõ diu tamẽ) diligẽtia, sagacitate, solertia tua potes; vitare autem, & effugere prorsus non potes. Quin ego video, inquit,periculum imminere, si pergas ipse abnuere pertinaciter,ne simulacrum tui distortius, & fœdius effingant,quã fortuna deformauit. Ad hęc tales insuper adiecit precũ machinas,& põdera rationũ, quibus tandẽ expugnatus est pudor meus: nihil Hercules dicã dolo Torquate. Cum Pictor ad condictam horam præstò fuisset, atque aduersum me consedisset confidentem, vix prima oris lineamenta designauerat, cum mihi primum ex totis artubus su-

dor frigidus manare cœpit, deinde tam vehementer, & tam ſubitò cohorrui, vt me ſtatim lectulo credere opus fuerit, & pictorẽ dimittere, tantum opere inchoato. Cauſſam ſubiti horroris Medico indaganti, & ex me requirenti, nihil habui aliud, quod reſponderem, quàm quod etiam in præſens memini tunc mihi accidiſſe. cũ ſenſi artificem expedire arma, & conari quodãmodò abducere formam meam, viſus ſum adimi egomet mihi & paullatim deficiẽs, alio quopiam transferri: quantum tabulæ color dabat, tantum mihi & coloris, & corporis perire videbatur, ita ſcilicet exieram, & erã extra me magnam partem; cum me animus etiam, & memoria deſeruit. Oblangui ego propter eam cauſſã dies aliquot continenter, &, ne me fabulam narrare tibi putes, ad teſtimonia meorum pictoris ipſius fides accedit; qui me quartodecimo tandẽ poſt die validum factum, rurſus inuaſit, & redditum mihi priſtinum vigorem felicius rapuit, nihil amittenti. Quàm me autem ſcienter, & proximè ad naturam effigiauerit; iudex iudicauit pariter ſciens, & incorruptus, infans triennis Nepotulus meus, qui ad tabulam fortè conſpectam ſubitò cucurrit, & patruum blandiens compellabat. Audiſti primum incommodum, quod tua mihi ſedulitas creauit, & id multiplex, longum, moleſtum circa renaſcentem, cognoſce nunc quid obuenerit, & idẽtidem obueniat adulto. Noſti Torquate, pulchritudinem meam; iſta tibi effigies ad viuum repræſentat; mihi

mihi nec tabulæ vllæ, nec ſpecula indicare potuerunt. Sed habeo tamen formæ admodum honeſtæ certiſsimum teſtimonium. Me, quacumq; incedã,& vbicumq; compareã, matronæ puellę, virgunculæ, ac fœminæ planè omnes præſertim iuniores, præſertim pulchriores, tã curioſè, intentèque ſpectant, reſpectant, contemplantur, quaſi nihil vnquam adſpexerint magis mirandum. Ex eo factum eſt, vt pleræque imaginem mei ad iſtud exemplum, quod tu primus efformandum curaſti, partim tela repictam, partim cera expreſſam, habere ſecum voluerint, aliæ in aperto, atque propatulo, ſi aut viduæ ſunt, aut natu grandiores; aliæ occultius, atque latentius, ſi viros habent, eoſque Zelotypos, aut nimis ſuſpicaces. Intelligis ex hoc quantum mihi, & quantum illis impendeat periculorum; quę quidem formidine, & cura caruiſſemus, tu ſi quieſſes Perotte, neque nos tam indulgenter, atque adeò tam flagranter amares, vt iſta etiam effigie indigeres in ardoris alimentum. Denique facis in eo etiam mihi aliquam iniuriam, quod pluris penniculum alienum, quàm pennam meam æſtimare videris: non contentus videlicet alterutro Iconum, quem aut ego ſcripſeram ad Scottum, aut Muſa cantauit in Bello Litteratorum, ex quibus alterum ipſe tuis vidiſti oculis, alterum (ſic mihi perſuadeo) Petrolinus ab ſe viſum ore facundo, ac lepido tibi repinxit. Verſus vereor vt meminerim: experiri certum eſt, vt garrula epiſtola minus moleſtè in

cantu desinat, quæ à querela sumpsit initium, sic igitur in Quinto.

.... ex adytis erumpit homuncio quale
Credo equidem non ipsa suum Natura fatetur
Esse opus, ingeniti vestigia nulla decoris
Agnoscens ipsi non agnoscenda parenti
Effigies adeò primæ sub flore Iuuentæ
Mulctauit fortuna virum. Lacero ore cruentos,
Infessosq́ oculos (quamquam Vulcanus in illis
Ardeat) obscura damnarunt nubila nocte.
Torua riget, tumidas si quandò exsurgit in iras,
Occursu factura fugas, frons. cetera lenis
Grata renidenti spondet solatia vultu.
Exossata manus, digitoq́ informis adunco,
Vt retinère tenax, ita prendere tarda nec ægri
Sustentare pedes, vel humo se attollere possunt,
Quamuis exiguo libratam pondere molem.

Breui hunc etiam nugacem filium à me habebitis, si Calliopæ parturienti bona Iuno præstò fuerit. Angelellum meum volo coram à vobis, & Mercatum nostrum per litteras meo nomine salutari. Fabrino pariter vbi, vbi est, vel dicite, vel mittite salutem; omnes in Domino valete. Perusiæ iij. idus Septembris M. DC. X.

Romam.

Io. Baptistæ Lauro suo V. C. Erycius Puteanus. S. D.

PLurimum te amo, mi Laure, qui & mea caussa meos complecteris. iam debet humanitati tuæ Bonerus, nec minus ego obstrictus sum: debet

debet tam magnis Viris, quibus obstringi, magnum ego honorem puto. O ingens verò nomẽ Illustrissimi & Reuerendissimi Cardinalis Barberini! hic ille Vir est, qui illustrare seculum suum potuit, clarior nescio, diuiniorque dignitate, an doctrina; virtute, an humanitate. Ergò & calamo offerre animum meum audebo. fiet, mi Laure, ac tua vtar manu, vt in manus eius litteræ me æ veniant. Sed munusculum aliquod simul mittere cupio, nec inanes venient. mittere quoq; ad te Syntagmation meum de Stipendio Militiæ Romanæ. Hoc expecta, me amantẽ ama, & caussa mea complecti Bonerum perge. Et Vannozzium & Gulielmum, Viros optimos, clarissimosque saluere iubeo. Vale Louanij in Arce.

EPIST. LXX. Romæ.

V. C. Angelo Gryllo Abbati, Io. Baptista Laurus S. D.

A Quo die de Casinatis Montis augustissimo secessu sermo inter nos est habitus, non facilè crederes, Pater Reuerendissime, quãta animo meo iniecta cupiditas fuerit, antiquissimum Patris vestri Cœnobium perlustrandi, quæque illic spiritus saginandi pabula à vestris veræ Sapientiæ alumnis præbeantur, degustandi. Quoties enim hic ambitiosorum atque inuidentium nonnullorum ingenia contemplor illud vnum spectant, vt sese, aliosque intestino

ſtino diſsidio continenter lacerent, & vbi ſatis ad infectionem, & deriſum Virtutis excubarunt, malarum Artium venena diffundant, quæ incorruptis antea moribus morbum inhalent ſuum: venit illicò in mentem Mercurij, aut Perſei alarum, quibus in ſublime elatus, auferam me ab his Gorgonibus, & aliquò deuolem, vbi aulicæ huius graueolentiæ nihil ſuboleat. Quãdò igitur Caſinatem commorationem mirificè laudaſti, expedi nobis, quæſo Pater, pennas ad hoc faſtigium. Ei de meliore nota nos commenda, qui illic Antiſtes imperat, vt paucorum dierum hoſpiti Bibliothecam, & arcana quæque inſpicere, ac ſcrutari liceat. Nec gratuitam fore humanitatem ipſius aut tuam, audeo polliceri; quæ æterna gratiarum actione, à nobis poſtmodò litteris tradenda, penſabitur. Vale.

EPIST. LXXII. Montem Caſinatem.

Roberto Vbaldino Cardinali, Epiſcopo Politiano,
Io. Baptiſta Laurus S.D.

EXcuſarem pluribus hanc vel fiduciam vel audaciam, Vbaldine Cardinalis Illuſtriſsime; niſi is, à quo hæ litteræ tibi fuerunt redditę, noſtri memoriam, quæ apud te fortaſsis exoleuerat, renouaſſet. Vndeuiginti ſunt anni, ex quo te Peruſiæ ſtudiorum gratia diuerſantem ego, atque Honorius, cum ille nondum à ſeculi ſtipẽdijs ad Benedictinos defeciſſet, fide, ſtudio atque obſer-

obſeruantia ſingulari colebamus. Vtinam viuerent, quos ego teſtes locupletiſsimos haberem, tibi deditiſsimi, Palettarius, Maſsius, Anſidæus: ſed quibus adeò non indiget generoſus iſte animus; vt neminē litterariæ cuiuſuis notæ à ſe reijciat: olim autem vtrumque cognitos vltrò admittat, & perhumaniter complectatur. Itaque neque diuturna tua apud Galliarum Regem pro Pontifice cōmoratio, neque beatæ purpuræ collatus fulgor mores ſuauiſsimos immutarunt; quin comitate, facundia, ac ſanctiſsimo virtutum lenocinio omnes ad te allicis, &, ſublato quaſi beneficentiæ vexillo, palam vniuerſos inuitas. Mihi verò quamquam ijdem tuæ benignitatis paterent fontes, idemque Honorius ſæpius ad te auctor adeūdi fuerit; ſemper tamē ſiue metus quidā intempeſtiuus, ſiue pudor ſubruſticus deterruit. At nunc cognita iſtuc migratione veſtra, quò & meus iampridem anhelat animus, vbi & adoleſcentiæ veſtræ dulcis recordatio feriatos à negotijs animos iucundiſsimè excipiet: non putaui prætermittendam occaſionem verecundiæ abijciendæ, meique prodendi tibi, Patrone antiquiſsime: ſequeſtro præſertim capite amiciſsimo, coram quo de huius cordis ſpecu tantum erga claritudinem tuam obſequij antehac eduxi, quantum in poſterum neque tu facilè mente concipere, neq; ego ſcriptis vllis meis, aut Muſis demum tuis, quibus Iunior vſque adeò fauentibus es vſus, explicare poſsim. Vale ex Vrbe.

EPIST.

EPIST. LXXIII. Genuam.

Stephano Saulio Vtr. Signat. Referend.

Io. Baptista Laurus S D.

EX quo Roma discessisti Sauli humanissime semel à te accepi litteras: cum ego iterum ac tertiò scripserim, sollicitus valdè de tua valetudine, de qua hic non belli rumores ferebantur. Quarè nunc summoperè gaudeo, certior factus cùm de incolumitate, tum de redeundi consilio sub exitum Mensis huius ad nos: teque antè ad Lauretanam Aedem profecturum, vbi tantisper decreueris intersistere, dum Cardinalis Iustinianus eò perueniat, quo, biennio quoque exacto, in tota vita Princeps religiosissimus condixit sibi. Vide autem, ecqua in re aduentu illuc tuo abuti velim. Epistolam ad eumdem inuolui tibi, quam statim à congressu offeres: cumque in ea sit de quadam officij purgatiuncula: cupio de studio, obseruantiaque mea non minora prædices, quàm de tua, nec enim audaculus dici verear, qui in hoc paria tecum facere contendam. Cedam quidem libens tibi fortuna, maiorum promeritis, nobilitate, & præclaris animi dotibus; cultu verò, fide, atque obsequio aduersus hunc Principem nunquam cedam. Benè vale, Romæ.

EPIST.

EPIST. LXXIV. Lauretum.

Benedicto Iustiniano Cardinali, Episcopo Portuensi,

Io. Baptista Laurus S. D.

ROmanas litteras, priùs Genuam profectas, habes Laureti à Genuense, Cardinalis amplissime, easque faustam, ac felicem tibi istuc euenisse peregrinationem gratulantes. Miraberis, opinor, primùm, me tantum itineris voluisse Epistolam conficere; deinde id officij tecum iussisse obire, quod aut hic antè migrationem debebatur: aut ne debebatur quidem, præsertim ab homine, tibi maximis nominibus obstricto, quem propè nosses, quotidie vota pro tua incolumitate facturum; ac nunc de absente multò magis sollicitum, enixius Cælites, qui redeuntem sospitent, deprecaturum. Quamquam autem hoc tua mihi vltrò largiebatur humanitas: quia tamen ægrè tuleram, mihi, propter inualetudinem coram benè auspicari abitum non licuisse; quandò de profectione Saulij isto versus factus eram certior, eo consilio, vt se tibi, Patrono optimo, ad Vrbem redeunti, adiungeret; vna opera ad ipsum, Genua abiturientem dedi litteras, & ad te: quæ clientuli memoriam eodē articulo non ingratè renouarent, cum Saulius tui obseruantissimus obijceretur. Nec enim verendum erat, ne nō meæ paullò acceptiores redderentur litteræ, quas tātus Præsul, nostri magnoperè

noperè studiosus, exhibuisset; qui & austeritatem sermonis mei omnem sua lenitate mitigasset, atque importuni oficij reas, omninò amabiles effecisset. Ne igitur perbonam occasionem salutandi tui, putes mihi frustra oblatam. Quod si dicas, Genua vsque à nobis fuisse accersitam; dicas, vt volescumque, ab extremis hominum Morinis. Profectò è longinquitate tanta incredibilem amorem, atq; obseruantiam nostram erga tuam claritudinem metiare necesse est; qua tibi perpetuò adesse cupimus, coram augustum vultum venerari; co plecti manus, purpuram exosculari. Vale Romæ.

Romam.

Io. Baptistæ Lauro V.C.
M. Antonius Rota S.D.

EN tibi à Rota litteræ pro more temporum, pro meo debito salutis nunciæ, Noui Anni auspices. Præsens auebam vtrumque, & re vera sperabam. Sed votum & spes dumtaxat fuit; nõ vna interueniente occupatione, quæ ire prohibuit. Quamobrem Laure humanissime, excusa, ac duplicis officij vicariam Epistolã, vel in magna turba salutantium, adeũtem excipe humaniter, & audi Breuiloquentem esse, ac vbi affectus nostri memoriam renouarit, obsequium detulerit; nihil mutire præterea, retrò statim cedere iussimus. Ea nunc scriptionis caussa, Vir clarissime. Vale, ac Moranzani, Viri seriò colẽdi,

lendi, beneuolentiam mihi conserua. Viterbij xxiiij. Decemb. M.DC.XIX.

Habes & hic N.N. Hymenæum, cuius ille impresioni me præesse voluit. Non noui hominem; per te mihi notum cupio, vt scribere gratias posim. Vale iterum.

EPIST. LXXV. Viterbium.

Io. Baptista Laurus S.D.

M. Antonio Rotæ V.C.

FVit mihi maiorem in modum gratum, quod me Anni iā aduētantis, atq; ineuntis prænūcia Epistola appellandū putaueris. Qamquam enim animū multò magis: mirum tamen quantum amo ciuilitates istas, modò latinis Verbis nitidè efflorescāt. Ac suadere mihi nuper conabatur Belgarū candidissimus, amicus intimus, vt officiosarum litterarū quasi manipulum conficerem, quibus caperentur plurimum vtriusq; Germaniæ populi; ad quos Aulicorum deliciæ dudum cœpissent adrepere, &, certissima spe gloriæ, posse hunc laborem sumi. Eam prouinciam, prolato tuarum exemplo, iubebo tibi Rota cultissime, deferri, quam splendidè obiturus es: mihi per occupationes non licet: habeboque nunc demum satis, si Centurionem alterum ante huius exitum hiemis extrusero. N. vix de fama noui, de cuius Epithalamio nudius quintus mecum locutus est Reuerendissimus Apostolici Palatij Magister. Ago gratias, legamque per oti-

M um

um,& aceruo aliorum addam. Opinor, Musas videri propè iam effœtas,& nauseantes; tã multis editis, ac tanto post interuallo. Ego primus omnium(absit verbo inuidia) in scenam produxi,& Theatrũ alijs reseraui, mox non illibenter cedens,me,obducto velo, nequà fortè Nuptiarum cernerem cadauera, vltrò occultaui. Hæc statim à tuis; vt imminentis Anni exordia, lætitijs omnibus cumulatissima, meis inauguranti-bus litteris, vnà cũ rotundissima, oblata nobis Poësi,ingredereris. Vale, Romæ xxv. Decembris M.DC.XIX.

NIHIL
Kal. Ian.

Ianus adest, festa poscunt suà dona Kalenda:
Munus abest, festis quod possim offerre Kalendis?
Siccine Castalius nobis exaruit humor?
Vsq; adeò ingenij nostri est exhausta facultas,
Immunem vt videat redeuntis Ianitor anni?
Quod nusquam est potius noua per vestigia quaram
Ecce autem partes sese dum versat in omnes.
Inuenit mea Musa NIHIL: ne despice munus:
Nam Nihil est gemmis, Nihil est pretiosius auro.
Huc animum, huc igitur vultus aduerte benignos:
Res ea nunc canitur, qua nulli audita priorum,
Ausonij & Graij dixerunt cetera Vates:
Ausonia indictum Nihil est, Graiaq; Camena.
E Cælo quacunque, Ceres sua prospicit arua,
Aut Genitor liquidis Orbem complectitur vlnis

Oceanus, Nihil interitus & originis expers:
Immortale Nihil, Nihil omni ex parte beatum.
Conspectu lucis Nihil est iucundius almæ;
Vere Nihil, Nihil irriguo formosius horto,
Floridius pratis, Zephyri clementius aura.
Nobilius Nihil est magnorum sanguine Regum.
Firmius est adamante Nihil, chalybumq; metallis.
Felix cui Nihil est (fuerant hæc vota Tibullo)
Non timet insidias, fures, incendia temnit,
Sollicitas sequitur nullo sub iudice lites.
Ille ipse, intrepidis qui subijcit omnia plantis;
Zenonis sapiens, Nihil admiratur & optat
Socraticiq; gregis fuit ista scientia quondam
Scire Nihil: studio cui nunc incumbitur vni:
Nec quidquam in ludo mauult didicisse Iuuentus;
Ad magnas quia ducit opes & culmen honorum.
Nosce Nihil, nosces, fertur quod Pithagoræa
Grano hærere faba, cui vox adiuncta negantis.
Multi Mercurio freti duce, viscera terræ
Dura liquefaciunt, simul & patrimonia miscent,
Arcano instantes operi, & carbonibus atris.
Qui tandem exhausti damnis fractiq; labore
Inueniunt, atque inuentum Nihil vsq; requirunt.
Hoc dimetiri non vlla decempeda possit,
Non numeret, Lybiæ numerum qui callet arenæ.
Vel Phœbo ignotum Nihil est: Nihil altius Astris.
Tuq; , tibi licet eximium sit mentis acumen,
Omnem in naturam penetrans, & in abdita rerum;
Pace tua Memini, Nihil ignorare videris:
Sole tamen Nihil est, & puro clarius igni,
Tange Nihil, dicesq; Nihil sine corpore tangi.
Cerne Nihil, cerni dices Nihil absque colore,
Surdum audit, loquiturq; Nihil sine voce, volatq;
Absque ope pennarum, & graditur sine cruribus vllis.

Absque loco, motuq; Nihil per inane vagatur,
Humano generi vtilius Nihil arte medendi.
Ne rombos igitur neu thessala murmura tentes,
Idalia vacuum traiectus arundine pectus;
Neu legat Ideo Dictaum in vertice gramen:
Vulneribus saui Nihil auxiliatur Amoris.
Vexerit & quamuis trans mœstas portitor vndas,
Ad Superos imo Nihil hunc reuocabit ab Orco.
Inferni Nihil inflectit pracordia Regis,
Parcarumq; colos & inexorabile pensum.
Obruta Phlegrais campis Titania pubes
Fulmineo sensit Nihil esse potentius ictu.
Porrigitur magni Nihil extra mœnia mundi,
Dijq; Nihil metuunt, Quid longo carmine plura
Commemorem? Virtute Nihil prastantius ipsa,
Splendidiusq; Nihil: Nihil est Ioue deniq; maius.
Sed tempus finem argutis imponere nugis;
Ne tibi, si multa laudem mea munera charta,
De Nihilo Nihili pariant fastidia versus.

EPIST. LXXVI. In Vaticanum.

Io. Baptista Laurus S. D.
Gregorio Donato, Sacri Palatij
Apostolici Promagistro.

FVit longè auspicatissimus hesternus dies in quo per otium congredi inter nos licuit. Placuit iudicij tui candor, nostri æui scriptoribus personam detrahens, & laudes cuique citra fucum attribuens; nihilque prorsus erat, in quo à te dissiderem; nisi quod tuarum litterarũ eruditam facilitatem, & felicissimum Tullianæ di-

ctionis

ctionis fluxum, ne attingebas quidem. Cum ego contra, vel vnâ D. Thomę scriptis, quæ vos nuper formis æneis ad speciẽ elegãtibus, ad vsum fidelissimis excudistis, præfixã epistolã lucubrationibus multorũ anteferrem. Ecquid enim potest ea fieri limatius, presſius, argutius? ac nos alias te insignem Theologum, nunc facũdum Oratorem prædicamus. Propterea mirari non debes, si vigilias nostras paullò timidius tibi, singularis iudicij viro, excutiendas damus. Igitur Epistolarum nostrarum Volumen alterum, cognosce, cense, subscribe. Romanos typos Transrhenanis vltrò prætulimus, quod hic malimus Aiaces nostros in spongiam incumbere; quàm alibi per insaniam gloriari. Nec verò vt quàm primũ legas, vrgebo; cum tua fœnerare nobis queat comperendinatio. Rogabo potius, veniã vt des, qui tibi molestiam tantã in rebus maioris ponderis occupatissimo, exhibemus. Sed non committam, vt in vestibulo me adeò verbositatis damnes, cuius verba in toto opere sine penũ, & pecunia, quod prouerbio fertur, agniturus sis. Vale, in Vrbe.

(?*?)

Epist. LXXVII. Romæ.

Alexandro Buccabellæ
Doct. Theol.
Io. Baptista Laurus S.D.

EN tibi Viri acutissimi Libra Astronomica, mi Alexander; cuius nunc quidem alterum & alterum examẽ, quod in rem meam facere est visũ, inspexi. Ea Reuerendissimus Gaspar Pallonius per me fruatur, licet, cui te illam debere indicasti, ego disputationi vniuersę otiũ paullò vberius reseruaui, tuo iterum vsurus libro, nisi interim mihi aliunde compararo. Dedissem etiam plusculum suauissimę lectioni, sed noctę propemodum totam Nicolai Trigautij Belgæ litteris impendimus, quas anno superiore Goa ad nos misit, iisdem responsum meditantes, & quæpiam in mundiore charta describentes, quę ille contracto admodum & perturbato charactere exarauit, de Nouatis apud Sinas atque Iaponios suos rebus. Non es oblitus, opinor, hominis quadriennio ante Romam ex India profecti, qui & hic edidit de Christiana expeditione apud Sinas suscepta à PP. Soc. Iesu Libros quinque, ex Matthæi Ricij Maceratensis cõmentarijs deprõptos, quos Princeps meus, cui ille dono dederat, tibi in aliquot dies vtendos tradidit. Is vbi institutæ ad V. Id April. 1618. nauigationis ordinẽ ex Olisipone ad Aequatorem renarrauit, tũm incommoda, difficultatesque in Christiana re promouenda,

promouenda, & pleraque de Iaponicæ Ecclesiæ statu persecutus est. verbum subdit de obseruatis sub finem eiusdẽ anni Cometis duobus: quos, ait, visos eodem propè tempore, præcessitque alter alterum diebus ferme xiv. vterque è Scorpij domicilio egressus, prior ad meridiem, ad Aquilonem posterior deflexit, qui & adhuc apparebat, dum scriberet 20. Decembris; sed prior subobscurior emergere cœperat xj. Nouẽb. Quibus perlectis litteris, venit in mentem subuereri, an illi ipsi Cometæ forent, qui hic à nobis per idem tempus conspecti sunt. Et quamquam in hanc magis propendeo partem, eosdem videlicet fuisse; quia tamen in præsens minus vacat rem istam acutius indagare; pergratũ feceris, si PP. Horatij Grassij, aut Christophori Grambergerij sententiam exquisieris. Hæc; relictis stratis, ante foculum lacernatus, dictaui Puero cum Epistola, cuius hic inserui exemplum, N. nomine ad eundem Belgam, sodali cuidam reddendam, qui Goã mittat. Ex Aedibus xxj. Ian. M.DC.XX.

Goam.

Nicolao Trigautio
Belgæ.

QVas litter[illegible]xvij. Decemb. M.DC.XIIX. ad me d[illegible]isti, eas x. Ianuarij ineuntis huius M.DC.XX. accepi, quæ haud

quidem tui oblitum,quod suspicabaris,me valdè delectarunt. Nulla enim negotiorum moles interuenire queat tanta, quæ Virorũ, pro Christiana Republica laborantium,memoriam à nobis vnquam eripiat. Est cur potius te amemus plurimum,quòd maximo locorum interuallo à nobis disiunctus, inter tot nauigationis incommoda, ægritudines, & apud Sinas atque Iaponios tuos exhausta pericula, nostri memineris; qui tamen studium istuc tuum flagrantissimum in Domini Verbo disseminando, & hic coram multis laudauimus, & absentes absenti multò felicius euenire in dies precati sumus. Gratissima etiam fuit breuis & succincta narratio vberioris Commentarij,quem de rerum vestrarum statu propediem te in lucem emissurum, significasti. Deus Optimus te istic incolumen seruet & iucunda relatu vtiliter scribentem, & perpessu aspera fortiter sustinentem, quem ego vero affectu in eodem diligo, cuique, si quid tua, tuorumque Sodalium caussa possim, ex animo defero. Dat. Romæ. XXI. Ian. M.D.C XX.

EPIST. LXXVIII. Perusiam.

Neapolioni Comitolo Episcopo Perusino,
Io. Baptista Laurus S.D.

PEssimi ominis instar habueram, Præsulum nostri æui decus, quod vixdum sublato nostri litterarij exercitus vexillo, te iubente, re-

ceptui

ceptui canere; & in castra tantisper retrude r necesse fuit. Adeòne, aiebam, imperitè concinnaui, tam malè rei militaris peritus, vt probro esse debeat Centurionis nomen? en æquissimis studijs reclamabunt ordines, detractoque cingulo, ac paludamento, merito iure exauthorabunt. Verum planè contra quàm suspicabar euenit. quia nempè quartus Decuriæ quartæ miles, haud ita graphicè in conferta acie incedere posse videbatur, fuit in tempore reuocãdus; proindè vestra maturiore disciplina instructus, decentius ambulat, tantaque cum securitate, vt, si quæ hostiles obsistant turmæ, certæ spem victoriæ sibi pollicens, discrimen quodvis alacriter aditurus sit. Ergò mirandum in modum amo te, de tã effusa beneficẽtia, Pater; cui haud, opinor, excidit eius tẽporis recordatio cũ copiolas nostras in hoc exerceres, in hoc educeres, vt in acie Statarij aliquãdò militis decora cõsequeremur. Per te nũc illud est: sub te quæ meruimus stipẽdia, Thrasonicis velitationibus submotis, verè prædicamus; dumtaxat fatentes, siquid profecimus, & in quem Epinicia, & Pœanes nostri verè refundi habeant. Deus Opt. Max. viridem istã senectutem, Antistes integerrime, atque doctissime, Perusinæ Ecclesiæ, è cuius re plurimum est tua longæuitas, sospitet quàm diutissimè. Tuderti.

EPIST. LXXIX. Viterbium.

Io. Baptista Laurus S. D.

Fabiano Dominico.

QVo die mihi abs te litteras Theodorus noster attulit, tot me Epistolarum sepserant acerui, quibus pro Principe respondéri necesse erat; vt tuas aperire non vacauerit. Quarè seposueram, vt postridie, leuatus illo onere, resumerem, & per otium rescriberem. Iusseram verò te per eumdem Theodorum saluere, cui abeunti verbũ exciderat de M. Antonij Rotæ inopinato interitu. idque in primis tibi ad nos scribendi ansam præbuisse, quo sanè verbo, tanquã iaculo, cum animus meus confoderetur, obiecit in tempore vtcumque clypeum, ne ictus penetraret altiùs, quæ imminebat cogitatio concipiendi ad diuersos diuersorum litteras argumentorum; ac sic tum quidem summa cute hæsit vulnus, quod postmodum, dimisso Tabellario, recurrens grauiter mentem sauciauit. Itaque requirenti tuas, ex quibus rem propius cognoscerem, nullæ repertæ sunt, quæ hoc ipso mihi perierunt, quòd, ne in reliquas chartas abderentur, alio in pluteo composueram, & studueram anxiè, ne perirent. Ceterum quantum suspicor, vltrò se meis oculis abduxere, ne me iterum iacturæ, quam in M. Antonio mansuetiores fecerunt Musæ, admonerent; & venturas arbitror aliquandò ad manum, cum mœror resederit, & grauissimum dolorem ferre mitius didi-

didicero. quamquam plus ſatis in miſeriarum ludo mihi videor edoctus. Mitto clades antiquas meorum,& non meorum, ne, quæ propè iam elanguit,acerbam calamitatum memoriam refricem. Vel nuper, cum huc ab Vrbe profectionem adornarem, inſcendenti currum renunciatum eſt; Peruſiæ Rodulphum Calidonium meum vixiſſe,cuius ego ingenium,ad quoduis diſciplinarũ genus factum, millies exoſculatus eram, cuique parem demum videram à Gymnaſiarchis noſtræ Ciuitatis relatam gratiã, qui ad profitendas publicè humaniores Artes honorificè, poſt Quirinum Cnoglerum Auſtriũ, ſponte euocarant: quod pulcherrimum munus eo ipſo die,quo aggredi ſtatuerat, ſeptimum & vigeſimum agens annum, Muſis indignantibus, è viuorum contubernio ſubreptus eſt,è ſuggeſto propè ad pheretrum translatus. Quamobrem intra paucos dies amiſi duos exquiſitæ eruditionis Viros,mei peramantes, alterũ altero iuniorem. Nam M. Antonium Rotam noſtrum vſque adeò firmis vtentem viribus,ingenio feſtiuo,hilari,atque arguto præditum, ac vix quadragenario maiorem, quænam morbi vis tam properè extinxit? Quis nobis turbo, quod gelu hunc edecumatæ virtutis florem decoxit? quàm doleo vehementer, me, quod potueram non crebrius eius per litteras expetiſſe ſermones? Quas enim pauculas,at mirificè diſertas,& veris eloquentiæ luminibus inſignes,ad me dedit veluti vniones,ſeruabo in ſcriniolo, cuius ſi tu Domi-

nice,nobis quamplurimas curaueris,fortaſſe vtriſque fœnerari ad gloriam poſſet,ſiquam tamen ab ſtudioſo famæ calamo, ſi minus culto, expectare fas eſt.Sed non pergam vlteriùs mœrorem noſtrum exagitare. Soluerunt illi, quod debuerant,nil iam Naturæ legibus obnoxij,aut Cæleſtibus vllis Nos,mi Dominice, obfirmatis aduerſum luctum animis, vt amorem inter nos mutuum, ſic valetudinem diligenter tueamur. Vale. Tudere. Poſtridie Kal.Maij 1620.

EPIST. LXXX. Romam.

Petro Franciſco Paulo V.C.
Io. Baptiſta Laurus S.D.

ODarum tuarum Volumen alterum,in quo vſque adeò ſapienter ludit Etruſca Venus,cōtigit mihi nuper legere apud Francucciū, vtriuſque noſtrum amantiſsimum, cùm in Collegium Græcorum diuertiſſem,quos ille ſanctioris doctrinæ penu copioſè nutrit. De libro quidnam ſentiam, quantumque fuerim in ſingulis exoſculatus lepores vndique Gratijs ſcatentes,vndique elegantibus aculeis vellicantes, de eodem Francuccio audies,qui non modò ſententiæ noſtræ, quæcūque ab erecto in tui admirationem animo proficiſci potuit,locuples teſtis erit: verum etiam ipſe, de cuius iudicio placere tibi admodum queas, conſtanter affirmabit: in vniuerſa illa Odarum ſerie nihil reperiri nō ſanum,lepidum,argutum, emendatum. Equidē tribuebam antea multum eo in genere Coppet-

tæ

tæ,atque Alberto meis, non tam quia cum ambobus ius Patriæ mihi cõmune erat; quàm quia à vestræ disciplinæ coryphæis in meliorũ classem relatos sciebam. Nunc si iidem reuiuiscant, tuarumque Musarum festiuitates & seria contemplentur, liquet deierare, cessuros vltrò tibi, tamquam Cycno Fulicas. Sed mitto priuatim illud tecum, quod nulla fuci suspicione vsurpare vulgò licet, idque plausu litteratorum accedente, à quorum sensu meus qui discrepet? & quibus, si ex consuetudine veterum Comitiorũ tabula circumferretur, haud dubie puncto apposito, centuriatim omnes tibi suffragarentur. Enimuerò Pars haud ita pridem edita legentis adeò sitim non sedauit, vt vehementer accenderit, nihilque in hoc otio Tiburtino malim, quàm priorem degustare. Eius tu Vir humanissime, ne ad alium frustra sit eundum, valdè cupio mihi copiam legendæ facias, neque homini tui studiosissimo paucarum horarum inuidere voluptatem decet: sicut nec à Musis tuis nouas libationes auertere. quibus veluti alias è Græcia, aut Latio profectas semper colui; ita Etruscis tuis thymiama eò vberius debeo, quò illas iam sum expertus ceteris canere suauius, grandius, rotũdius. Fac valeas, & Paulo Sabello tuo, Principi Excellentissimo, cui decretum audio à Ferdinando Imperatore Legationis apud Paulum V. obeundæ munus, nostræ memoriam obseruantiæ in tempore quàm officiosissimè subijcias. Tibure. Id. Maijs. M. DC. XX.

EPIST.

EPIST. LXXXI. In Collegium Romanum.

Bernardino Stephonio è Soc. Iesu Io. Baptista Laurus S.D.

NVnquam mihi auspicatior illuxisset dies, si cum heri à te Vir doctissime, digressus sum, non offendissem domi, quod lætitiæ magnam partem euertit, indignissimèq; corrupit. Accersiuerat me sub prandium Alexander Cardinalis Vrsinus, qui biduò antè è Bracciano redierat; & quia præ festinatione (nam sub ipsũ abeundi tempus nostræ illi obuenerant litterę) respondere non potuerat; coram purgarat se mihi, quæ generosi Principis prodigiosa humanitas visa est, deque celebratis Sororis Nuptijs non vulgares gratias habuerat, relaturus omninò, vbi quidpiam è re mea fore indicassem. Pomeridianis horis me ad te contuleram, donoque dederam alia typis descripta Carmina, quæ immodicis onerasse laudibus non contentus, tantum Encomicorum in Centuriam [illegible]rem nostram effuderas, vt iam os amplius non haberem, quod pudorem illum, quem tam honorifica prædicatione adsperseras, deuorare posset. Quarè cõfusus animi, & incredibili elatus gaudio recesseram, idque dum domi in pectus altius demitto, &, vt par huic aliquandò sim, lucubrationibus alijs deinceps promendis, posteritatis calculo fortasse magis dignis, non humili cogitatione mecum agito: Ecce Puer lamentabundus

bundus offert se mihi: indignum facinus, exclamans, Here, admisit Abrius Abrius, inquam, hominum, quantum viuunt, ingratissimus, à te supra ceteros amicorum, laudibus & beneficijs auctus, heu quali, quantaque ignominia Virgines à te profectas Gratias affecit, & vitio illato, in ganeum relegauit? Cui ego, rem nulla circuitione vsus expedi, & quodnam sit hoc flagitij, haud cunctanter aperi. Volumen, subdit, Carminum tuorum, Furia nescio qua percitus, non aliter ac Medea Absyrtum Fratrem, aut Agaue Mater Penteum discerpsit ac lacerauit. Nō potui, fateor, ad rem nefariam non commoueri, etsi subrisi paullò post atq; Abrij, an ebrij? intemperias excusaui. Quin adieci, merito id factum iure, & perceptam antea intemperantius voluptatem tam vberem, tam profusam, aliqua tristitiæ nubecula debuisse redimi, & Anuli iacturam reijciendam non fuisse, vt Fortunæ fauentis onus, temulentus gaudio animus ferendo esset: quam tum demum deprehenderam nobis ad eam diem in pœnam pepercisse. Hoc ego ludibrium, Vir ornatissime, nostris scriptis, à te plus nimio dilaudatis, obiectum, potui de industria, vni mihi proditum, celare alios, & vltronea obliuione delere. Consultò autem illud exposui tibi, posthac vt in nostris fœtubus exornandis parcior sis; ne, admota laude, veluti fascino quopiam, infantuli proximè in lucem exituri, sublædantur. Vale, ex Aedibus Romæ.

Io.

Io. Baptistæ Lauro V.C. Leuinus Hielius S.P.D.

VTinam, Vir Doctiſsime, cuius nomine hęc à me diuertit epiſtola: ex eiuſdem præſcripto comparatis auxilijs inſtructa, appelleret ad manus tuas. Næ tu tantundem in ea perlegenda laudum tuarũ gratulationis haurires; quantum in pręſẽtia leuaminis tibi trãſmittere in animo. Quibus, Deus immortalis, adſperſã ſalibus, quibus leporibus litã, quibus aut ſententijs ornatã, aut diſtinctam luminibus, quàm ponderoſam, quàm rerum omnium plenam orationem offenderes? Verum quæ ingenij mei vel anguſta capacitas eſt, vel perceptio incontinens; vt ab aureo eloquentiæ fonte parum liquoris imbiberim: minimum effundere neceſſe habeo. Parendum tamen eſt aut ad obſequiũ erga clariſsimum virum, aut ad ſolatium amici. Quorſum iſta? inquis; pluribus te non moror. Conueneram ſub hodiernum diluculum vtriuſq; noſtri amantiſſimum, Bernardinum Stephonium: quem Tuſculum iamiam cogitantem ſubaudierã pridie. Deprehendi hominem expeditiſsimum, planèq; paratum ad iter; adeò vt pænè inſalutatus abſceſſerit. Detineo tantiſper, dum ex auri, argentique venis, vt moris eſt, eius ab ore fluentibus aliquid ſuffurer; quod animi mei medullam imbuat, ac recreet; cum ecce tuæ nos interpellant litteræ. Is, quà eſt comitate, quod tua, ait, cum

venia

venia fiat; Amici occurrendum eſt commodo & voluntati. Litteras accipit, reſignat, perlegit: puerumque recurrere vacuum iubet. Tum riſu in me conuerſo, tuum, inquit, erit meis partibus nō deeſſe. Laurus noſter, vt cetera, non minus hæc ornatè, quàm lepidè Mox altiùs repetita oratione, quantas & quales faces meum in pectus iniecerit, pereã, ſi tibi enarrauerim, concepta illa imploratione non adhibita, ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι. Demum decurſi ſermonis ad calcem; En Lauri litteras tuo nunc ſinu reconde in domiciliū tuum. Quod meis verbis reſpondeas, è multis, quę de me hoc tempore accepiſti, ſollers delige. Me vt officio ſoluas, pręproperam Tuſculum concedendi feſtinationem cauſſare. Communis amici ſolatus orbitatem, ſalutem ei adſcribe quàm plurimam. Tunc valere me iuſſo, confeſtim ſeſe abſtulit intra conclaue. Domū lymphatus reuertor; quippè quem aut Mænadum, Corybantumque ritu oratio planè volubilis, & concitata cōieciſſet in flammas: aut ſuppreſſa amici calamitas, cuius ab inſpectione præcepti prohiberet religio; ceriti, laruatique ſpeciem incerto & fluctuanti animo indidiſſet. Cubiculū, exhauſto propemodum ſpiritu, fanaticus adhuc ingredior: litteriſque tuis identidem lectitandis animo nubes detergens, tandem reſipiſco. Qui fit, mi Laure, vt Abrij ad furias, tua bacchatim carmina diſcerpentis, tantoperè commouearis? Conſilij certè non tam eges, quàm abundas: illud tamē animaduertas velim; Muſas, immortali patre

N natas

natas mortalitatis legibus obnoxias esse non posse. Virgines, easque acceptissimas Cælo Gratias, è fœdis Intemperiarum vnguibus multò formosiores emergere. Exegisti tu quidem *are perennius Monumentum.* tuum nomen immortalitati inseruisti non semel, Typis non tã commendatos ingenij partus, quàm gloriæ tuæ famam propagatam rere. Quid si exemplar vnũ, aut alterum temulenti hominis lanienæ addicatur? nonne Inuidiæ deuotam, & constitutam hostiam melius arbitreris? nempè, vt cetera eius extra Imperij metas, nullis terrarum finibus coërceantur. Quod si, vt optimus ait præceptor, *Dignum laude virum Musa vetat mori*: vatem ipsum, cuius munere *Spiritus & vita redit bonis post mortem Ducibus*; patiatur *Longa vrgeri nocte, & impunè liuidas obliuiones carpere*? tuus *Hic meret æra Liber Sosiis: hic & mare transit.* Quid si ad infames impudentiæ scopulos affligatur: nùm propterea ea laude careat; *Et longum noto Scriptori prorogat æuum*? Si quod procudisti; carmẽ aureis omniũ iudicio exarãdũ est litteris; nùm ab vna Abrij inuidentia liuentibus aspergatur notis? fuerit hæc ingrati hominis inconsulta temeritas: nùm eius propterea oblitteretur memoria? quin potius illud audiat;

Laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur.

At quo tandem Iudice? Alexandro; quem tu is tute litteris appellas; Cardinalis Vrsini testimonium instar omnium esto: cuius nec dignitas mentiri, nec fallere claritas, nec decipi sapien-

tia

tia poteſt. Stephonium verò noſtrum hoc in loco non laudo: cuius in tua carmina congeſta præconia nec ego recenſere poſsim, ſi velim: & ſi fortè quis poſsit, nolit omninò; vt conſulat modeſtiæ tuæ Neque verò tuis, vt ais, fœtibus in lucem proximè exituris à tanti Viri laudatione, velut ab aliqua aſperſione faſcini, timendum eſt; cùm ea quæ tu caſtiſsime Muſarum interpres, ſcriptis ſemel mandaueris τῶν ἀποτροπαίων ratione aduerſus inuidiæ veneficia circumferri queant; quicquid ebrietas Abrij moliatur, quidquid ſomniet. Quo in genere tibi indiligéti eſſe nefas autuma. Noui multa penes te repoſita, eaque omnium expectatione digniſsima. Qualẽ, quæſo; intemperantiæ ſuſpicionem incurras: ſi eorum exortum in dies protrahas: quæ cum ab omnibus auidiſsimè expectentur, nullo vnquã tẽpore occaſura ſint? Quæ in animũ tuũ ornamẽta præ ceteris liberaliter adiecit, & cumulauit Deus: memineris nõ tibi vni, ſed cõmuni beneficio cumulata. Adeò vt, ſi ea hominum ſocietati deneges: idem facias ærarium publicè expilanti. Verũ video me iſtiuſmodi parergis tabulæ appingendis; Epiſtolæ terminos tranſilire. Nolim exiſtimes hanc quaſi παραινετικὴν appendiculam admotam ei, quo vitæ magiſtro commodius vtar. A Stephonio eam tibi renuncio ſalutem, quam ſperare potes maximam. Ceterum me tibi conſtantiſsimè addictum puta. Valetudinem tuã cura diligenter: proſpice immortalitati, atque iterum Vale. Ex Aedibus, In Vrbe.

EPIST. LXXXII. Romæ.

Io: Baptista Laurus S. D. Torquato Perotto.

ATtulit mihi Puer tuus latinam Odem, quam cupiebam, concinnam, viuidam, & è viridarijs Sacrarum Historiarum petitis flosculis elegantissimè adspersam. Quanta legerim cum voluptate, testis est Comitolus Antistes Perusinus, qui Romanum otium, sic enim appellat, ijsdem vacans sacratioribus Musis, suauissimè traducit, cui ostendi, apud quem Clariss. Barclai sententiam non reticui: colligenda omninò esse tam præclara carmina, & ad alendam Spiritus religiosi curam, in publicum proferenda. Statui autem, vbi ad vos accessero, meum quoque arietem admouere, vt petentibus rem honestissimam Barberinus Princeps diutius non debeat; ac permittat euulgari, quæ ab inuito tandem, Hymnorum einsmodi quotquot appetentes sumus, extorquebimus, publicabimus, nec habebimus gratiam. De eo tamen nolim Perotte, verbum vllum, dum litteras in hunc fasciculum coniectas ipsi ex me reddes. Ausus sum; vti vides, nimis verbosas & inanes ad occupatissimum, rudes ad sapientissimum. Sed legi nimirum apud Homerum, Menelaum & ignauum, & inuocatum ad Agamennonis, hoc est, Viri præstantissimi cenam

nam fidenter accessisse, quod reprehendat fortasse aliquis; perinde atque hominem frugi ad bonum duntaxat deceat adire. Perfugium verò mihi vtcumque fuerit in Homerico exemplo; & nequaquam opinor οὐδ' ἰνέας nostræ; verum suæ rationem humanitatis duxerit humanissimus Barberinus. Vale. ex Aedibus. V. C. Odoardo Santarello salutem meis verbis nunciari velim.

EPIST. LXXXIII. Romæ.

Maphæo Barberino Cardinali
Io. Baptista Laurus S. D.

Libet apud te Princeps doctissime, idémque humanissime, non tam producere oblectationis gratia, Mimos quosdam, è plebecula litteratorum nuper exortos, more veterum, procurrentes cum canistris florulentis, & obuium quemque conuicijs lacessentes: quàm per ludum, iocumque refellere ludibria quæpiam, in Nuptialem fœturam nostram congesta. Tibi certè, iudicij acerrimi Viro, non improbatam, ne quid in me speciosius retantem, qui, vt fucatis circumueniri laudibus æquo animo non fero; ita, cùm mea Viris doctis, hoc est, tui similibus propono excutienda, eosdem ad Rheni fluuij ingenium in primis voco, qui Celtarum infantes nothos absorbebat; incolumi

Matris pudicitia susceptos, blandè ac salutariter complectebatur. In meo autē in scripto illud vapulat plurimum, quod sapientum aures suboffendit minus. Ob id verò, inquies, tibi neglectui habendas puta stultas sciolorum voces; alioqui frustra. Cancros rectè ingredi doceas. Audio: sed Romano flumini vllam conflari iniuriā non possum pati: quamuis Iuuenes plus potos iurè excusauerint, qui in lauto conuiuio referti cibo, & vino languidi, eructare probra in Tiberim debuere, cuius aqua sibi tum persanctè interdixerant. Velim tamen pro tua sapientia, statuas, quàm immeritò illi in crimen vocent quæ ego, calamo licet festinante, Poëmatium tumultuarium exorsus, tamen certò consilio confinxi. Facio Tiberim cum Hierarcha interdiu colloquentem. Negant benè, Virgiliano exemplo permoti, à quo temerè non fuerat recedendum: apud quem idem Tiberis Aeneam in somnis alloquitur. Indecorum autem videri, personas fictas meridiana in luce cum veris congredi, & fabulari. Quæ quidem obiectio non leuis momenti ab ijs censeatur esse, qui Græca non norint, vnde meliora expiscatus est Maro. Mitto dicere; Aeneæ magnò curarum æstu fluctuanti, mox & dormienti, spectrum illud offerri aliter non decuisse. Quēadmodum enim exagitato curis animo perfacilè obrepit somnus, sic bonum Numen sub idem tempus per speciem aliquam iucundiorem, afferre præsidium ac leuamen solet. Ceterum

rum Homerus, cuius meditata omnia præclarè commendauit antiquitas, & eximiæ ſemper ſibi laudi duxit æmulari, aut adumbrare poſteritas, Xanthum fluuium in vigeſimo primo Iliados Lib. pugnanti Achilli interdiu opponit; cùm prælium aduerſus Troianos maximè incaleſceret; qui Apollinem deinde increpat, quod Iouis mandata neglexerit, præcipientis, vt Troianis tantiſper opitularetur, dum nocteſceret.

ὢ πόποι ἀργυρότοξε Διὸς τέκος, οὐ σύγε βουλὰς
εἰρύσαο Κρονίωνος, ὅ τοι μάλα πόλλ' ἐπέτελλε
Τρωσὶ παριστάμεναι καὶ ἀμύνειν, εἰσόκεν ἔλθῃ
δείελος ὀψὲ δύων, σκιάσῃ δ' ἐρίβωλον ἄρουραν:

Rurſus Achilli laboranti eodem die affuerunt Neptunus & Minerua, qui.

--- δέμας δ' ἀνδράσιν ἐΐκτην.

Ac Deorum deſcripta pugna, neque dum die in veſperam inclinante:

Εἱστήκει δ' ὁ γέρων Πρίαμος θείου ἐπὶ πύργου,
Ἐς δ' ἐνόησ' Ἀχιλῆα πελώριον.

Quod per tenebras haud ſanè licuiſſet, ſeni vtique. Et Agenor ab Apolline excitatus, priusquam in Achillem ſtricto gladio prorueret, cum multa ſecum locutus eſſet, adiecit demum:

Ἑσπέριος δ' ἂν ἔπειτα λοεσσάμενος ποταμοῖο
Ἱδρῶ ἀποψυχθεὶς, ποτὶ Ἴλιον ἀπονεοίμην.

Poſſem etiam de Acheloo commemorare, qui apud Naſonem, vt ad ſe diuertat, Theſeum inuitat, & vin amicè infert, ſui alueum fluminis

intumescere præcipiens. Possem de Pado in Alaricum conuicia apud Claudianum effundente. Sed quid plura hoc loco subijciam tibi, qui sexcenta eiusmodi exempla è Græcis & Latinis habes in numerato? quibus religio non fuit, Præsides fluminum (vt de reliquis Dijs taceam) ingeniosè ex machina cum hominibus inducere loquentes, die procedente ipso, nec prospectu tenebris adempto, siue vt Homerice exprimam:

----ἢ ἠὼς, ἢ δ' εἵλης, ἢ μέσον ἦμαρ.

Neque enim æquum semper fuit, Vespertilionibus similes, aut laneis, quod aiunt, pedibus noctu Deos obambulare, & suauissimum somnum à dormientibus excutere. Atqui in hoc fortassis censores mei, verum iam edocti, non sint amplius durorum Capitonum filij. In altero cõsultius turbent ὅλῳ τῷ μυκτῆρι: quod Tiberim ad Arnum longè minorem fluuium, retorto præsertim cursu, adduxerim, cum ex Apennino pari fermè interuallo originem trahant. Sed hallucinantur profectò, dum Currus, quem multo apparatu descripsimus, insignioribus appictis rebus Burghesiorum, rationem nullam habent. Hi verò, præterquàm quod omnes elidunt τὰς μηχανὰς, ad quædam in Tragœdijs Sophoclis, & Aeschyli, vt putantur, errata insolenter exclamarent, O Cælum, ò Maria Neptuni, quem in præsens oblæsæ Tiberis Maiestatis vindicem accersant. Videntur autem ignorare, Florentiã ad Romæ imaginem olim exædificatam; quodque inter cetera Nomina Floralibus fuerat Vr-

bi

bi impositum, idem postmodum Florentiæ obtigisse. Quippe Anthusam rectè appelles Floram aut Florentiam: quæ vocabuli communicatio cur non & honori Vrsinorum, nunc vocet ad populos, profluentis Arni accolas, Tiberinum Patrem? Verum tam obliquo, inquiunt, traiectu, non potuit, non debuit: quasi, Aquila & Dracone præeuntibus, quadriga inuectus, Triptolemi aut Medeæ ritu, vehi per aërem nequiuerit, vel humi repens, Serpentis Epidaurij more: vel concitato curulium vectationum impetu prævolans, obire Latium, Vmbriam, Thusciam; & cùm denique Florentia abesset propius, ad sui ingenij μηχανὴν diuertere? vt omittam illud ex Heliodori libro tertio: agnosci Deos τῷ βαδίσματι πλέον, οὐ κατὰ διάστασιν τοῖν ποδοῖν, οὐδὲ μετάθεσιν ἀνυομένῳ, ἀλλὰ κατά τινα ῥύμην ἀέριον, καὶ ὁρμὴν ἀπαραπόδιστον, τεμνόντων μᾶλλον τὸ περιέχον ἢ διαπορευομένων. διὸ δὴ καὶ τὰ ἀγάλματα τῶν θεῶν Αἰγύπτιοι τὼ πόδε ζευγνύντες, καὶ ὥσπερ ἑνοῦντες ἱστᾶσιν. Quod Homerus, vt Aegyptius minimè ignorauit; licet multi veluti αἴνιγμα prætereant libro decimotertio Iliados, Aiacis Oilei filij de Neptuno dictum,

Ἴχνια γὰρ μετόπισθε ποδῶν ἠδὲ κνημάων
Ῥεῖ' ἔγνων ἀπιόντος.

Quamobrem autem vitio vertatur nobis, quod datum Claudiano non est, qui ad Romæ Simulacrum, cuius tunc Aedes in Palatino cliuo cernebatur, perduxit Stiliconi gratulantes, Hispaniam, Britanniam, Africam, Italiam? Quas

ego Prouincias si suis è sedibus feminarum habitu (volatùne, an pedibus tantum terrarum emensas?) ad Vrbem euocassem, quibus me bibones illi scommatibus vellicassent? quos non pergam redarguere iam ἐιφακοπίδας; ac nimis stultè facio, qui facilitate abutar tanta, Princeps amabilissime, ad delendas notas, ab indoctis inustas, quibus, non præter solitum, minus est frontis, & plus audaciæ, quàm eruditis. Quin igitur barbaros homunciones aculeis gentilitiarum Apum absterres, doctissime Barberine? quod si Musæ agrestiores nostræ vrbanissimis tuis Mel aliquod propinare non audét: obtrectatorum planè fumus in caussa est; quem vbi tua difflarit eruditioni par auctoritas; nos continuò, si non Pindaricis tuis æquales cantiones (quis enim elegantissimis illis pares meditari queat?) obseruantia certè erga amplitudinem tuam plurimum assurgentes, mittere in istum benignissimum sinum non verebimur. Vale, in Vrbe.

EPIST. LXXXIV Romæ.

Io. Baptista Laurus S.D. Felici Contelorio I.V.C.

ERgò acceptam iniuriam persequi nos vetas, qui non lacessentes, à sycophanta Cisalpino grauiter læsi fuimus. Haud profectò impetrares, nisi præclaram heri, citra cædem & sanguinem, vltionis capiendæ rationem didicissẽ, quam

quam, ne in hoc Ianiculensi Rusculo planè obmutescam, nostra huc in dies aliquot translata Aula, docere te per litteras volui, Contelori. Ad ædes N. me contuleram, delaturus arguto seni patrocinium caussæ Cornelianæ: ac quia distinebatur nonnihil, me in Bibliothecam abduci imperauit, vbi, si diutius expectandus foret, minus molestè moram illam percoquerem. Igitur picturis, quibus Musæum abundabat, oblectari cœpi: pendebant quaquauersum elegantissimæ Tabellæ, quæ expressos ad viuum insigniores quosque Aulæ Dynastas repræsẽtabant. Dum singulorum effigies, quæ animo inhærebant, & vnà artificium excellens contemplor, ac laudo: in altera atque altera nequeo risum cohibere. Quamobrem, inquam, decrepitus hic & recaluaster exprimitur, qui est formosissimus? quasi exerceat carbonariam Cupido, aut Helene transformetur in Hecubam. Quid item alius fastigiato vertice, impexis capillis, cute rugosa, & in aterrimum exusta colorem, opilionẽ & bubulcum agit? cum sit alioqui Vir adspectu hilari, & festiuo, Medicinæ deditus, nec à Musis alienus. Itaq. ridebam pariter, atque indignabar. Pictori existimans vitium, & incogitantiã, quod N. nostri certum consilium fuerat. Dimissis litigantibus homo sese ad me proripit: quid tu, inquit, modò superciliosus, modò risu diffluens inambulas, neque ab imaginibus oculos detorques? Ego autem: opportunè ades, frontis huius nubeculam discussurus, mihique, quid

istuc

ſtuc rei ſit, palam facturus, quarè mentitam adeò faciem horum vni & alteri affingi volueris. Rectè, inquit: quos ita deformes cernis, Aduerſarij noſtri ſunt: nam malè de nobis meriti, benè pingi non debuerunt. Scilicet iniuriarum & contumeliarum fabros hiſce picturis vlciſci ſoleo: ac vel ipſum Herculem, ſi probra in nos iaciat, non ſecus atque olim Celtæ, deformabo. Illud modeſtiæ noſtræ eſt, etſi tale nihil promereantur, quòd à me prætereunte non conſpuuntur: quo dedecore Conſtantienſis quidam, Bataui oratoris effigiem cumulabat. Papæ, inquã, factum perplacet, æmulabor. Hoc edico iam, Quiſquis in poſterum contumelioſus in me ſit, fingetur enormi naſo, diſtorto ore, obliterabitur, conuicijs impetetur, lacerabitur; denique mentitum vultum nulla non labes, nulla nõ turpitudo inquinabit, ac frangar, ſi legem frangam. Ride, & Vale, mihique, vbi hinc pedes auolaro, in inſtructa ad miraculum Viri doctiſsimi, humaniſsimique Io. Baptiſtæ Coccini Bibliotheca, ſellam para. Ex Hortis Martialis. Kal. Iulij

M.DC.XX.

(?*?)

Io.

Io. Baptistæ Lauro Theol. Felix Contelorius S. D.

PErlepidam vltionis capiendæ rationem tuis ex litteris didici, Laure, qua & ego vti statui &, scio, alij, quibus factum renarrâro, vsuri sunt. Quod verò tibi Musarum ac Mineruæ alumno Martialis, an Martiales? arrideant Horti, nec nouum mihi, qui viuax robustum ingenium agnoui tuū, nec ab amœnioribus studijs, quæ inter grauissimas curas cumprimis alis, alienum.

Bibliothecam Coccinianam, vbi ad nos redeas, reperies Voluminibus omnium generum, multò quàm antea, refertissimam, quorum adspectus longè tibi futurus est gratior, Laure, quàm Laurorum istic frequēs Silua, quæ deambulantes, totam vt Romam vnico obtutu deuorent, æstimantque, egregiè defendit à Sole. Sed iam pro picturis ludicris, & contorto vultu hominum, facies inuersas exsibilantium, lege seriam scriptionem Ghisellij nostri ad te de te, quā nisi admittas, Centuriam non remittam. Vale. Ex Aedibus, & Cardinali Illustriss communi Domino me veterem clientem etiam atque etiam commenda. in Vrbe. V. Idus Iunij.

(?*?)

Io.

Io. Baptistæ Lauro V. C.
Henricus Chifellius S. D.

GRatulor tibi Vir doctiſsime, delicium nouum, & recentes ex amœniſsimo ingenij tui viridario decerptos flores, qui me ſapientiæ tuæ pratis inambulantem, delicatiſsima odorũ fragrantia perfuderunt. Legit mihi, ſi neſcis, Felix Contelorius alteram tuarum Epiſtolarum Centuriam, & perlegit, & relegit; quo enim dulciora vina ſunt, eò ſerius ſitim abigunt; ſuauiſsimus Muſicæ concentus non vnica ſatiat auditione. Suſpicio puritatem ſermonis, ſententiarum grauitatem, certantem cum eruditione doctrinam, ſuis condita ſalibus omnia, candida prorſus, atque concinna, quamque admodum paucis huius æui Scriptoribus contigiſſe video, ſummam in exprimendo, quod ſentias, facilitatem; quæ nullatenus tamen in exilitatem vergat, verùm tenuioribus ac vulgatis inimica formulis, decora in grauitate, æquabili vſque tenore perduret. Nil herclè mirum priorem tuã Centuriã à Germanis ac Belgis, ceteriſq; politioris litteraturæ fautoribus comiter exceptam, ſollicitè nutriri: cum Tulliana facilitas, Senecæ grauitas, & Plinij ſuaues argutiæ, iucũdiſsimo ad ingenij tui fornacem colliquata miſto, nouo velut æris Corinthij fluxu non vnam Vrbem, ſed vniuerſæ tractus Europæ irrigarit. Nec in ſpeciem verba compono, aut amicitiæ quidquam tribuo, vel affectui. ea enim eſt animi

mi tui modestia, quæ adulantium lenocinia respuat, ea doctrinæ excellentia, quæ his planè nō indigeat. Quid differs? prodeat in lucem & hic partus; maturus est, Lauro dignus est; & gemmæ istæ singillatim amicis tuis abs te missæ, auidè simul expectantur vniuersæ. De Beraldi tui ac Veliæ Dialogismo, & Clarorum Virorum aptè contextis Elogijs, repeto, quæ nuperrimis ad te meis. Addo, ni in publicum das, alienæ subtrahis gloriæ, nouercaris tuæ. Vale feliciter. Dat: Romæ, Pridie Non. Iunij. M.DC.XX.

Epist. LXXXV. Tuderti.

Marcello Lanti Cardinali Episcopo Tudertino

Io. Baptista Laurus S.D.

IPso D. Romanæ Virginis peruigilio, quam tua mihi liberalis pietas, Princeps religiosissime, delatis iampridem eius vectigalibus, præcipuo cultu venerandam & colendam proposuit, superioribus mensibus (habitis meo more nocturnis appetentis diei supplicationibus, expensisque, quæ ad secundam vigiliam interseruntur narrationes) non ab re suspicari cœpi, vtrum ab idoneis scriptoribus illæ fuissent proditæ, quas Angelus Cæsius Episcopus, annis ab hinc viginti quatuor, in Ecclesia Tudertina recitari iusserat. Propterea quod in eum coniectæ Librum Sanctorum Vitæ (modò vnā & alteram excipias) adeò videntur impolitæ rudes

rudes ac subfrigidæ, vt non satis dignas putē, quæ pro solemni horariarum precum penso Cęlitibus persoluantur. Illa enim animi, qui in Dei amorem rapi gestit, exarescat cogitatio necesse est, quæ nullis diuinarum illecebrarum veluti scaturiginibus irrigetur. Licet autem quorumdam vestri ordinis Patrum calculus non improbarit, à nobis tamen stat sapientissimi Cardinalis Baronij de refingendis ineptiū Viographorum scriptis sententia; ad Tudertes verò spectantia, non ob aliud olim Cæsio permissa, nisi vt importunis pariter, ac pijs religiosi Præsulis obsecrationibus fieret satis. Neque nūc ego submouerim, quid in illa serie immutandū, addendum, amputandùmue censeam, neque cōsuluerim in parte repurgandum, quod pænè in totum spongiam mereatur. Vnam D. Romanæ Vitam diligenter excussi, in qua cùm minus quæpiam possem ferre, & Codex fortè peranti-quus, Italicè cōscriptus, se mihi obtulisset (pluribus enim coniecturis licuit assequi, tunc temporis in lucem datam, quo eius sanctitatis fama, recens à funere, per ora hominum volitabat) eam prolixiorem aliquantò, latino stylo leuiter strinxi, & per otium, animo meo gratificaturus, reconcinnaui. Quam visum est tibi Princeps integerrime, legendam tradere, vt Romanam Tutelarem quondam tuam (etenim nobis transcripsisti, qui Prioratu Memminensi te vltrò exueras, vt clientulo tribueres) alio ornatu; alijsque oris lineamentis se tibi in conspe-

spe-

ſpectum dantem, ex interuallo recognoſcas, tum hominis tibi addictiſsimi induſtriam non contemnas, qui eloquentiæ calamiſtratæ fucos mentis demiſſæ affectu redimere conſueuit, ipſamq; Virginem aſsiduis precibus ſollicitat; vt valetudinem tuam diutiſsimè tueatur. Vale, Ex Aedibus, Idibus Septemb.

VITA S. ROMANAE VIRGINIS. EX CODICE ITALITICO MS.

Claruit temporibus Conſtantini Imper. cùm S. Siluester Romanæ Eccl. præeſſet.

Romana Virgo, quod Placidiano Patri, opulento ſanè homini, res domeſtica Romæ proſperè ceſſiſſet, nomen ſortita, eam Tudertini agri partem diu incoluit, qui Memminenſis olim dicebatur, & ad ripas Tiberis Vrbis Veteris attingit fines. Porrò Placidianus ruri agens, quod impunè palam non liceret, clam Chriſtianæ Religionis præceptis atque inſtitutis, quos alebat in familia, erudiendos curabat. Romana verò auditis aliquandò Euangelij verbis, quæ de abdicanda ſeculi cura, deq; erogandis in pauperes diuitijs feruntur, Chriſti amore incredibiliter exarſit: ac quandò iã per ætatem nouerat; è Martyrum ac Virginum Choris Eccleſiæ ſpectari gloriam, nec ſui ſexus vllam in oculis Dei commendari, quæ Mundi opes et ornamenta non contemneret; cum reſciuiſſet etiam, Patrem, quod formoſa eſſet & vnica, nubilem ſeſe cuidam deſpondiſſe, mirè anxia qua ratione terrenis nuptijs præferre cæleſtes poſſet, lacrymis, precibuſque Deum conſuluit; hinc à Columba cælitus demiſſa ſalutatur, & vocibus Cæleſte

Oraculum testantibus, quid sibi agendum foret, præmonetur.

Ergò proiecto vestium ornatu, è paterna domo tacitè profugit, & infidelium quorundam occulto conuictu Tuderti menses aliquot traduxit. Fortè per id tempus Constantini Imperatoris animus in sincera pietate maximè intepuerat, quam malorum Dæmonum administri opportunitatem nacti, Christianos quosque minis, & blanditijs auitæ superstitioni litare cogebant, in ipsumq; totius veræ Religionis Antistitem irruere meditabantur. Quorum furori Siluester cedendum tantisper ratus, ne capite in vno vniuersa Christi Respublica periclitaretur, quod & Imperator longiùs ab Vrbe aberat, eadem relicta, in Soractem Montem secessit, vbi diurnis, nocturnisq; vigilijs vnius Dei laudes multorum spiritus personabat. Huc quoque Romana, quanquam parum tutis itineribus, alacriter adrepsit, tum Christianorum latentium, & B. Pontificis pedes in primis deosculata, vbi omnes in Domino saluere iussit; subindè quotidianis omnium exemplis didicit, non tam disertè pro Euangelij professione tuenda esse disputandum, quàm fortiter pro amplificanda carnificum immanitati caput offerendum. In qua autem Soractis spelunca iacuerat, eandem, miraculis illustratam, Posteri in Sacellum transformarunt.

Tandem Romana, fausta cum prece à conuentu dimissa, & à B. Pontifice constantiæ admonita, quo parentes, aliosq; in Christianæ militiæ pugna acrius incitaret, in Memminensem se recepit; suosq; ex interuallo reuisens: vberiore voluptate affecit, cùm de cælesti, quam Siluester Pontifex in terris ageret, vita renarrauit. Huius plerique dictis & exemplo permoti se in siluam ac solitudinem ad latus fluminis abdidere, quod præruptis saxis ab vtraque ripa coërcetur, vti & immi-

imminet Cupressetum, odore feras venenatas ac pestiferas propellens. Atque hic vna cum fidelium cœtu Antistita Romana permulta edidit miracula; sed multo plura eiusdem consecuta sunt mortem, quam febri acutissima decumbens, ad VII. Kal. Martias sanctissimam obiuit. Hoc deinde loco Templum cum Cœnobio, Virginis indito vocabulo, excitatum est, quod Monachi è D. Benedicti familia obtinuere. in proximo delubrum cernebatur D. Gregorij Magni appellatione nobilitatum, in quo ante Pontificatum, incommodis & corporis macerationi sedulò studens, delituerat. sed procedente tempore cum Tudertium ille tractus sceleratorum hominum cædibus ac populationibus vastaretur, ipsaq; adeò, quamuis structura firmissima, paullatim collaberetur Aedes (vt in quam Tiberis præterfluens violentiùs incurrit) Tudertes Romanæ Virginis corpus in Vrbem religiosè transtulerunt, & in Ecclesia S. Fortunati, Ciuitatis Patroni, in arcula inclusum, honorificè recondiderunt.

EPIST. LXXXVI. Romam.

Io. Baptista Laurus S. D Antonio Rodulpho I. C.

RES ipsa lóquitur, quantoperè abs te amici caussa fuerit aduigilatum. nempè hoc est mores à leuitate forensi incolumes seruare; magnificè præstare, modestè polliceri. Dormitatum ab alijs erat plus satis in pecunia mihi ab homine obærato qui tantum non vertit solum, vindicanda. Tu officij atque operæ tantum adhibui-

 sti,

sti, quantum nunquam à quoquam sperare fuissem ausus. Nam quoties ille me ludificasset, occurrebat; damnabam vltrò, quod imprudens Perusiæ consilij cœperam; & vehementius indignabar, quod videram istic omnia frustra per Augustinum acta, neque habita secius Florentiæ, Senis, atque in Oppidis Sfortianis, in quæ tanquam in arcem tutissimam nebulo concesserat. Vnus mihi Vulpeculam deprehendisti, quæ istuc se tutò adrepsisse putabatur; dum, misso clam viatore, in Sabellianum carcerem deportari iussisti; è quo exeundi facultas non detur, nisi prius vxor, & liberi sese vadimonio obstringant, & argentum ad cartam diem repræsentent. Hoc pacto, quod aliena admiserat incogitantia, tua cura, diligentiaque sarcitum est; soluetque scelus iam bona fide, quod nimis diu nobis debet: pro quo tibi Rodulphe, vel cum soluere ille desierit, nunquam non debuero. Vale. Sed heus tu! ecquid hic vulgatum de Manfredoniæ Vrbe à Turcis direpta, ac deuastata? fac quæso, ne ignorem. Mitte expressam ære fluitantem Iocti Pictoris Nauim (ni Cymbam Asaroticam ab effigie appellare mauis) nūc in area, prius in propylæo Vaticanæ Basilicæ visendā; tūm V.C. Pantheri Pantheræ Equitis Nouocomensis de Naualí Prælio absolutissimum Volumen, & Iulij Cæsaris Capacij Elogia. Sub hos dies in Memminensi Rusculo meo effossus est Lapis characteribus planè rudibus, ac præ vetustate fugientibus inscriptus. Lege hic

Epi-

Epipraphem, quam Io. Baptistæ Guazzaronio excutiendam dedi. Vale iterum, Tudere Non. Septemb. M. DC. XX.

GALLICLES ET GALLIOLE FILIVS TERMINOS LAPIDARES DE OFICINA. PANDIONIS CALLISTI AVG. I. SVB MARTIALE SERVO DONVM ERCVLI FF. EX ASIA GRÆCIÆ.

EPIST. LXXXVII. Romam.

Prophyrio Feliciano Ep. Fulgin. Pauli V. à Secretis, Io. Baptista Laurus S. D.

ET incidunt persæpè tempora, quibus à caritatis officijs recedere, nisi grauißimo admisso piaculo, non liceat, & ego is sum, qui eiusmodi occasiones non facilè è manibus mihi elabi sinam, non tam (quod dicendum hic sit) vt laudabili rei operam nonnullam locem; quàm vt ex eo siue ad Virorum Principum notitiam adrepam; siue apud Veteres Patronos memoriam mei indormientem excitem. Ea propter cũ tuæipsius Fulginatensis Parœciæ res agatur, pronior vtique ad iuuandum fueris magnus Curio, ac spectatißimæ religionis Antistes; & à me, tui obseruantißimo ad id prouocari æquo

animo patiere. Est hic femina in summum vitæ, ac pudicitiæ discrimen adducta, quæ cum in mariti aduersum se antea sæuientis, & perduellionis rei, manu, mancipioque, tabellari sententia Iudicis, esse desierit; nullumque Gynecæum, apud Fulginates sit, in quo, Virorum contubernio seiunctæ, tutò mulieres degant, inter Moniales Trinitarias citra flammeum cooptari velit. Illæ, Patres modò, qui ius istic in Familias Deo dicatas dicunt, ac tu Præsul, non abnuatis, admittendam censuere: solutis in præsens, præterea, quæ in victum cultumq;, quo ad vixerit, fore decernētur satis, donatiui nomine aureis centū quadraginta. Abs te igitur, & à Patribus ceteris Magdalena (id feminæ nomen) flagitat verius, quàm orat; vt in sacrum commilitium, vel cum seculi tessera, adscribi queat. Ego vniuersos rogo, obsecroque, & Pastoribus Ouiculam in Domino commendo, ab eodem amplissimum prœmium pro tanto beneficio relaturis. Vale Fulginia. XI. Decembr. M.DC.XX.

EPIST. LXXXVIII. Pisas.

Io. Baptista Laurus S. D. Sancti Ballarino I. V. C.

HEus tu Ballarine! quære calculum, vnionem, margaritum, & siquid his potes cādidius,

didius, preciosiusque; tum felici nota signa huc diem, quem ab hinc annis duodequadraginta frustra expectatum, amicis nobis iucundissimũ, Perusinæ Patriæ gloriosum, singularis Cælitum adduxit indulgentia. Diuturna fuit orbitas, amplissimum est, quod obtigit, vt ferè semper altius crescunt Arbores, quæ tardius. Sed iam cupimus ambo & tu scire, & ego significare, quid hisce litteris demum velim. Cæsarem Gherardium ex Academia Firmana, ne diutius Viri excellens doctrina ijs angustijs teneretur, quam ipsa Romanæ Curiæ expetere videbatur amplitudo, à Cardinali Burghesio Romam vltro accersitum, & consilijs maximarum rerum præesse iussum, Paulus V. primis ineuntis Anni Comitijs in amplissimum Cardinalium Collegium cooptauit. Ciues autem nostros vbi tam repentè obiectum peruasit gaudium, cœpere omnes publicè, priuatimque Patri beneficentissimo longæuitatem comprecari, Templa & domos laureis sertis coronare, Turres, mœnia, Palatium, vias flamma distinguere. Incendijs verò tota Vrbe excitatis, strepitu, pulsuque campani æris continenti diffractus, defœcatiorque effectus aër, illam confestim discussit luem, quæ in plurimos Iuniorum, mensibus superioribus fuerat debacchata. Quamobrem vna cum honorum incremento, incolumitas & salus manasse ad nostros visa est. Exinde in Aula Decemuirali, Magistratu, ac Tribunis Plebis referentibus, huc decretæ legationes:

acpropediẽ expectantur, qui vrbis nomine qui Iureconsultorũ Pontifici gratias agant, eidemq; munificentiam, Cardinali dignitatis accessionẽ gratulentur. Tu quoq; Ballarine, siue publica, siue tui ipsius caussa, plausum epistola, officiumque debes; quandò Illustrissimo Gherardio seges, ac materia data est virtutis exercendæ, promendæque in amicos perueteres, clientes nouos, vberrimo cum fructu beneuolentiæ. Iamque ego tui vicem gratulantis sedulò functus sum; tu litteras quàm primum mitte obseruantiæ in ipsum, in nos amoris indices. Vale, Romæ Postrid. Id. Ianuarij. M. DC. XXI.

EPIST. LXXXIX. Romam

Io. Baptista Laurus S. D. Felici Benio Procuratori Generali Canon. Reg. S. Saluatoris.

PRæclaram tu quidem, amicitiaque nostra dignam, Beni amabilissime, operam sumpsisti; adlectis vndique tot exemplis, argumentisque, vnde luctum minuam, & dolorem penitus ex animo euellam: quamquam sic ad res aduersas & domestica funera iam occalluit, vt nullo clypeo curet obarmari, ac pro mõstro habeat, si monstra cessent oboriri, quibus cũ queat in posterum depugnare. Incurrunt quotidie in oculos qui atrocioribus petantur; & est mihi Vrbs,

Vrbs, ad quam reuocor, Scena quædam theatralis, in qua, detractis modò personis, omnia video ad æqualitatem redigi; cum eximius ducatur nemo, quem familiæ amplitudo, dignitas, opes, factio, valetudo eximat ab illa sūmi Choragi lege, cui, velis nolis, Scena inuersa, parendum est. Ac tu, obsecrò, ride mecum, quod se in præsens calamo obijcit, & identidē amicis, vbi de humanæ Vitæ fabula, ac somnio sermo incidit, referre soleo.

Princeps quidam, adulta nocte, iam cenatus cum obambularet Vrbem, in biuio homuncionem offendit, qui vino madidus, ronchos trahens, suauiter edormiebat crapulam. Is continuò ad congerrones, quibus stipabatur: placètne, inquit, periculum facere in isto ebrio, sitnè merum somnium hoc, quod tam fastuosè, & voluptuosè mortales viuimus? Illis annuentibus, stertentem in ædes regias adduci imperat, ac sordidis exutum pannis conchiliato lecto inferri, & conopæo bytsino obuelari. Adfuere sub Auroram in anteriore conclaui Lyristes, Citharœdus, Fistulator, vnà cum cohorte musicè canentium. Eo cóncentu expergefactus, cernit aduolare cœtum nobilium puerorum, officiosè consalutantium, quibusque vellet indui vestibus, interrogantium. hæsitanti adferuntur preciosissimæ. Confluunt Aulici, in Larariū deducūt; litatur; interest, præstatque omnia, quorū à Cubiculi præfecto admonetur: mox adipale & opiparū prādiū instruitur. A prādio cū folijs lu-

rijs plurimum pecuniarum apponitur, & calculi ad computandum. Somno se meridiano refouet. Sub vesperam exit in Hortos, auiarium inspicit, occultis subsilentium aquarum iaculationibus oblectatur, in cena laute accipitur, potitat capacibus poculis, merò generosissimo proluitur. Prodeunt saltatriculę, datur Mimus, Genius iterum largiter inuitatur; non multò post somnus arctissimè hominem complectitur. Tum Princeps splendidas detrahi vestes dormienti iubet, priores induci; eundemq; in locũ, quo antea iacuerat, reportari, vbi & reliquum noctis ad Galli cantum obdormiuit continenter. Experrectus cœpit secum beatam illam vitæ lautioris, quæ obuersabatur animo, imaginem reuoluere, ambiguus admodum, veràne, an ficta ea fuisset ratio Principatus. Ceterum coniecturis, quas contulerat, accuratè perpensis: illud somnium fuisse pro certò sibi persuasit, quod tam celeriter euanuisset: & quarum rerum in peruigili adhuc vestigia inhærebant, eas coniugi, liberis, & vt in quemque inciderat amicorum, veluti somniasset, festiuè denarrauit. Ridesnè suauem hominem? quem sanè minus fefellerat rerum humanarum animaduersa conditio, nisi mentem in vino perdidisset. Enim verò memoria repetamus, Beni, quantum vtrique nostrum Bononiæ, Florentiæ, Romæ, alibi secundis Numinibus felicitatis affluxerit, quam tu honorificè vbique locorum habitus, quàm ego non inglorius. Fuerit certè temporis mul-

tum

tum, annorum plurimum, seculum denique. Sed quæ tandem æui præuolantis particula nunc ambobus adblanditur? vnica porrò nebulonis illius diecula æquat sexcentas nostras. Omnium enim, quæ ad hanc vsque diem risu, fletuque excepimus, vel nos iam cepit obliuio, vel, ea sensim obrepente, post paullò capiemur: tantum honestè acta superior ætas, quod verissimè scripsisti, cum æternitate contendit. Quarè demus operam, mi Beni, vt, quod superest vitæ spatium, nullo virtutis præconio vacet. Ac tu quidem, dum Christianam doctrinam profiteris ac præstas, & facundum Ecclesiasten agis, maiorumque tuorum exempla pro viribus æmularis, in his Lucam Benium, qui Consilio Constantiensi Legatus interfuit; tum Petrum huius fratrem, Abbatiæ Auellanæ integerrimum Antistitẽ, quam & Petri Damiani Cardinalis sanctitas illustrauit: perge nos docere solida; quæ ætatem non reformident, perge immortalibus præceptis eos erudire, quibus propediem contingat æternitas. Quid ni dixerim propediem? quantula enim est huius vitæ summa? vt iam contingat longior senectus, quam quotocuique contingere videmus? Vale feliciter, Paulum Benium iubeo saluere, te

Comites Fratres Gaspar,

Io. Baptista.

Perusiæ

EPIST. XC. Romæ.

Iosepho Hieronymo Besoræ Canonico Ilerdensi,
Io. Baptista Laurus S. D.

LOngum interuallum est, ex quo tuis fruor libris, humanissime Besora, quorum nunc remitto alterum cum vicariis litteris: etsi decebat ad te me proficisci ipsum, & negligentiam meam coràm tibi purgare, qui nos tanta officij liberalitate anteuerteris, & comitatis propè flumine obrueris. Vt omittam vera illa sincerissimi amoris non indicia, sed certissima argumenta, quæ à Barcinonensi Cælo Romam vsque allata, eo die in nos vberrimè effuderas, quo Princeps meus Duci vestro, Hispaniarum Regis Oratori, recens huc aduecto, felicem aduentum gratulaturus accessit. Verum non soleo, mi Besora, per ambitionis rimulas candidum Amicitiæ florem ostentare, vt temerè alij decerpant, aut odor paullatim diffluat, atque euanescat. Tui similium affectum in sinu foueo, &, vbi aliqua videor promeritus, expromo, & palam facio, tuum tamen nunquam in plenum promereri queam, nisi benè de tuis Vigilijs & sentiendo, & loquendo, ex quo ciuilitatem amœnissimus congressus tuus, & eloquentiam disertissima Oratio testata est. Debebatur tot Poëticis certaminibus, in id Volumen congestis, aliqua Pithus commendatio, qua, tànquam oleo facundiæ

diæ sapienter emollientis, Hispani Athletæ imbuerentur. Factum abs te peregregiè, & in B. Theresam tui præconij flamma nullius non pectus ardet, nullius non pietas exæstuat. Illa mè suo patrocinio seruet, quæ à te cultissimè laudata ad te redit; meque in CAPITOLIO Ricquij mei, te non inuito; ea conditione relinquit, vt sicubi veterum Deorum, Dearumque nomina intercurrant, religiosè inuertam, & Romanum illud ex Antiquiorum scriptis aptè concinnatum, ad Cæleste transferam; in quo vtinam, mi Besora, aliquandò vnà triumphemus. Ex Aedibus. In Vrbe..

Romæ.

Io. B. Lauro Theol. S.D.
Iosephus Hieronymus Besora Canon. Ilerdensis.

ALterum remisisti librũ, suauissime Laure, & quidem cum fœnore, beasti me litteris vicarijs, eas illarum Centuriæ omninò geminas cognoui, quam à te Perusiæ editam superioribus annis cum vidi, in tui mihi nondum de facie noti amorem ita exarsi, nihil vt duxerim antiquius, simul atque ad Vrbem, Orbis Theatrum, accessi, quàm te videre, & alloqui. Et accidit quidem percommodè, vt Illustrissimus Marcellus Lantes, quem honoris caussa nomino, patronus tuus, Cardinalis non mea solum, sed omni omnium prædicatione maior, Mœcenatem

natem meum subitò inuiserit, quæ mihi perbella fuit occasio diu contractam sitim explendi. Hausi igitur tantum suauitatis ex tuo humanissimo congressu, vt nectar & ambrosiam præ tuo suauissimo sermone despicatui duxissem. quo si mihi quotidie daretur frui, quis me fortunatior? Sed excusatio tamen, cur me præsentem præsens non conuenias, hoc præsertim æstu, minimè necessaria; qua me ipsum purgarem, si fas arbitrarer apud amicum, quem non ambitio, non cupido; sed ipsa humanitas conciliauit. Laudes, quas, vt amplissima munera, plena manu in me cogeris, non agnosco: amplector animum, qui illas profundere, vel potius perdere suadet. Rycquij eruditissimo Commentario tuo arbitratu per me, vt meis omnibus, licet abutaris: immò vteris, si fidem in calce epistolæ consignatam aliquandò liberas. O vtinam citò, mi Laure, Laurea donabit cælestis Apollo. Hæc raptim, vt vides, in medio aulæ strepitu Musis non admodum amico: animo curis non soluto; è Bibliotheca, heu copiosa, exsul, ad quam cum redibo, vereor, vt alumnum me suum agnoscant Musæ. Sed te illlarum Ocellum, sequestré adhibebo. Vale, & me amantem redama. Ex Aedibus Illustrissimi & Excellentissimi Ducis Alburquerquii; Regis Catholici Oratoris.

(?*?)

EPIST.

Epist. XCI. Neocastrum.

Petro Francisco Montorio Episcopo Neocastrensi,
Nunc Coloniæ Agrippinæ Nuncio Apostolico,
Io. Baptista Laurus S. D.

NIhil omninò tam præter opinionem omnium accidit, quam Pauli V. Pontificis interitus. Nono enim ab hinc die è Quirinali ad D. Petri, qui colitur in Monte Aureo, gestatus est, & aquæ poculum, cum ad eos Fontes constitisset, quos è Braccianensi agro vberrimè deduxerat, auidè exhausit, tametsi pridie eius diei Agnetis Fanū petens, extra Portā Piam, non semel fracto & debilitato animo in lectica iacuerit, & antè ipsam Diuæ Aram spiritus orantem pænè defecerit. Decubuit itaque morbo breuissimo, & nudius tertius sub occasum fermè Solis, in Aedibus Quirinalibus, haud dum septuagenarius ex hac vita migrauit. Hæret etiamnum attonita Vrbs, vixq; amissum credit, quem totos quindecim annos & eò amplius, in quibus Pontificatum gessit firmissima semper vsum valetudine admirata est: cuius mortis nuncius cùm prius quodammodo vulgatus sit, quàm prostratæ ac deploratæ valetudinis rumor auditus: quis non videat fore vt tota simul doloris orta magnitudo pondere grauiore in Vrbem incumbat? Ergò Opt. atq; Sanctissimo Antistite viduata, tumultu vniuersa feruet, & consilia de Legationibus in Galliam & Hispaniam de-

decernendis, augendaque re familiari Patrum nonnullorum, recens in amplissimum ordinem relatorum, nec opinato & repentino obitu discussa, perhumaniter dolet. Ad Comitia Cardinales cõuolant, coacti vim frigorum, hiememque hoc anno teterrimam excipere, quam nos, toties Ciuitatem perreptando, discurrendo, quamuis pellitis obtecti curribus, vix sustinemus, qui & niuibus accerrimis, geluque continẽti propè obriguimus. Faxit Deus, vt ad Christianæ Reipub. otium & tranquillitatem prouehendam, tuendamq; optimus omniũ, isq; quàm citissimè deligatur Pontifex, Germaniæ atque Italię rationibus ita exigentibus, imò ipsius iam Vrbis, à qua perduelles ac factiosi abesse propiùs putantur. Tu vero Montori nobilissime, si futuri Hierarchæ Inaugurationi interesse in animum inducas (ac venies, quæ tuorum morum suauitas est, vitæ candor, & sapientia, ab augustissimo Senatu expectatissimus) te oro, vt valetudini diligentissimè seruias. Tempestas perfrigida est, rerum varietas, Cæli mutatio nusquam maior, & per interregnum quid non moliatur furiosorum amentia? Lecticâ commodissimè gestaberis, legesque per otium Carmen Chronographicum, quod *henrICVs bonerVs rVra MonDanVs* meus heri ad me attulit. Christus Dominus amplitudinem tuam sospitet Presul amabilissime. Romæ Pridie Kal. Februarij. M. DC. XXI.

Chro-

Chronostica Vrbis nænia
In Pauli V. Burghesij Pont. Max. obitum.

roMa DeCVs perII penitVs; regIna qVIetis,
laM VIDVata pIo prInCIpe bVrghesIo.
qVo MItIs regnante fVI : perIIqVe CaDentI:
totaqVe ego InterII;DVM CapVt InterIIt.
foLa taMen perII:heI! terrIs feD paVLVs abIVIt,
neC perIIt;qVaMVIs DesIIt orbe fruI.
Mors IpsI,bona VIta fVIt. per sIDera VICtor
IVIt,DIs gratVs,sIC orItVr MorIens.
heV!MIhI feD qVIs erIt, fpes & noVa paCIs orIgo,
Depos VIt Veteres nVnC Mea tVrba togas,
est InDVta fagIs,ftrICtIs VerfatVr In arMIs.
DoneC sItrVrsVM partVs, & ortVs honos.
heM! noVVs ortVs aDeft;phœnICe resVrgo renato,
eXsVrgo nato, qVæ MorIente CaDo.

EPIST. XCII. Mediolanum.

Io. Baptista Laurus S. D.
Hieronymo Bossio V. C.

GRegorius Cybò vtriusque nostrum amanissimus, tuas mihi nuper legendas dedit, in quibus post honorificã mei appellationem, de litteris ad me fcriptis memineras, quas, vt verũ fatear, nullus vidi. Cenfefnè Vir Clarifsime, au-

licæ militiæ non iã tyronẽ (octauus annus agitur, ex quo sum Romæ) piaculũ tantũ fuisse admissurum? præsertim cũ magnas gratias deberẽ humanitati tuæ; quâ impulsus (nam quid putẽ aliud?) in tuis Epistolarũ elegãtissimarum libris nomẽ meũ titulis tã insignibus exornaueris. Expostulare cũ Bôciario ac Masinio, si viuerẽt, hãc iniuriã, qui de amplissimo testimonio, & beneuolentia tua me celassent, nisi debitionẽ hanc in Iosephum Hieronymum Besorã Barcinonensem refudissem, qui in familia Hispaniarum Oratoris ad mansuetiores subindè Musas à Theologico puluere deficere consueuit. Is scilicet iàmpridem de tuo volumine nos amare cœpit, & de Cẽturione nostro, nescio vndè accersiuerit, quibus in locis, & qua in Aula versaremur, didicit. Quandò verò singularis ad Gregoriũ in tuo Libro pertinebat Epistola; continuò à me interrogatur, ecquid rerum agas, quã dudum ipse ad te scripserit. Profectò erubuit cessator egregius, meoque suasu purgationẽ ad te cum salutatione ex me amicissima est exorsus. Cui tu vicem perquàm officiosam regessisti, me voluptate summa cumulasti: qui ex Voluminum censu, abs te editorum, tam altè de eruditione tua sentio, quàm Pythagoras, Herculani pedis figura inspecta, cõijcere potuit de enormi corpore. *Hæc* ad te Vir præstantissime, dum armorũ strepitu circũsonant omnia, & per interregnũ consultius Marti, quàm Apollini litatur. Gaudeo, quòd Cardinalibus vndecumque ad Pontificia comitia con-

flu-

fluentibus, licebit de facie propius nosse verissimum virtutis, ac probitatis exemplar, FEDERICVM BORROMAEVM Archipræsulē Mediolanensem, cui olim Philippus Vvannemakerus meus triumphū obtulit, & iure, qui sic Barbariem, augustissima istic Litteratorum Legione instructa, & in pugnam missa, feliciter expugnauit. Vale, & Io. Bap. Saccū, ac Iacobum Antonium Carolum mihi saluta, & si quos istic prę terea nosti, amantes mei. Romæ VIII. Februarij M.DC.XXI

EPIST. XCIII. Romam.

Io. Baptista Laurus S. D. Gauconi Gaukema Canonico Aquisgranensi.

AMo te de humanissima salutatione; quā in Perotti litteris proximè abs te legi; idē de Antuerpiensibus indicauit, quarū vt exēplū peterem, ea ad te mihi nunc scribendi caussa. Nec enim totus à Gratiarū cœtu videbor alienus, si vos Gratiarū Symmystas in hoc otio congerrones habuero. A Chifellio nostro etiā binas expecto, & quas Pridie Non. Iulij anno superiore ad me scripsit, &, puto, in itinere, cū huc veni, perierunt; & quas Iunio ineunte Io. Baptista Laurus à Rhegio Iulio abstulit sibi, in vtrisque verò nos ad publicanda Clarorum Virorū Elogia cohortabatur. Fuluius Corradus meus eas magnoperè expetit, cui alias, in quibus de

Iocastæ fletibus Henricus meminit, ostendi, & Lacippiade donaui. Eidē Carmen ad Lucernulam nostram legito, quam vereor vt oleat, nullo quippè studio à nobis conceptum, atque elucubratum. Io. Nicolao Leontio Theol. Perusino, qui istuc propediem iter est arrepturus, Apocalypsim Bohemicam dabo ad te referendā. Vale, mi Gaukema, & Virum Clarissimū Herculem Rangonium meo nomine plurimum salutere iube. Perusiæ.

Ad Lucernam Hymnus.

HEm nocturna comes, lumen cui torta laborant
Stamina, cui Pallas dat pabula pinguis oliui.
Qua sine terrificam mortalia pectora noctem
Horrescunt, nec dulce vident, nec amabile quidquam.
Obscuriq; Lares tumulos, & fœda sepulchra
Verius exhibeant, nos æquem lumine cassis.
Tu frangis nebularum agmen, quod claustra Polorum
Occupat, illustras spatia intercepta viarum;
Nox rubet igne tuo, flammarumq; æmula Cœli,
Lunaris longè clarum iubar obruis Astri.
Per te tutus iter multâ de nocte Viator
Carpit. si aërei sis fixa in vertice mali,
Aut te celsa Pharos longinqua per æquora mittat;
Nauifragum per te securus nauita pontum
Findit, & adductis vehitur trans littora remis.
An fueris dux certa mihi, si arcana beatæ
Templa subire velim Sophiæ, Phœbumuè ciere?
Peruigiles impende operas, æquandaq; sceptris
Otia nostra foue. Moris tu conscia nostri,
Agnoscis parcum somni, & fortasse frequentes

Ex-

Excubias quereris; cum te propiora fatigent
Spicula, & assiduum doleant Ellychnia morsum.
Hinc cernis, quàm cara mihi, quàm fida puteris
Assecla. Pieridum post ludicra, sidera calcas
Vsque adeò cognata tibi spatiaris Olympo
Mecum vnà, medijsq; faces scrutaris in Astris
Fax ipsa, ipsa Astrum. Subeam si concaua terra;
Quid mihi Vulcanus radiantes ingerat ignes:
Discimus haud segnes squallentibus obsita venis
Ossa metallorum: Naturaq; abdita caussis
Indeprensa suis, te trudimus auspice in auras.
Sis felix radiata comes, nec pectus amicum
Desere. sic viuo tibi floreat angulus auro,
Os melius, linguamq; vocē (nam flamma perennem
Fota oleo emittit vocem) dignata deinceps
Luce nouâ calami, celebraberis hospita lucis.

Perusiam.

Io. Baptistæ Lauro V. C. Ganco Gaukema Frisius Canon. Aquisgranensis.

PRo tuo affectu ad me scribis, Vir Clarissime, ego pro obseruantia, quâ decolo, singulari; tametsi occupationibus nunc prætet modum impeditus. Breuibus ago gratias de litteris, atque elegantissimo Carmine ingentes, immortales, & particulam Epistolarum Suuertij libens exscribo. Meam, inquit, Elegiā Lauro placuisse, gaudeo. Epitaphium ipsius pro Lipsio habebit locum in Floribus; exemplum Puteano misi, nec non Epistolas; qui hoc modo rescripsit. Lauri Carmina venam habent, Epistolæ & doctæ, & elegantes sunt, dignæ legi (breue & verissimum testimoniū) Flores tui opportuni erunt. Ver instat aut est,

ſpirante iam Fauonio, imò Fauonius tu eris Pater ipſe Florũ. De ſtipendio Militari apud Romanos: item de Pecunia antiqua edo, Geminum Syntagma eſt, & videbis, quod hactenus fuit ignoratũ. Iã credo accepiſti à Suertio, qui & Iudicium tuũ, Laure expectat, Gaſparis Geuartij Antuerpienſis, quod tui Apollinis cortina plurimũ probet, Siluam in Statuam Equeſtrem Henrici IV. Pariſijs in nouo Sequanæ ponte erectam. Lege hic & eiuſdem Geuartij Carmen in Ignes Feſtiuos Pariſijs in Sequana flumine miro articifio excitatos, inſpectante Rege Lodoico XIII. Vale, V.C. &, quod es facturus, mutuo tuum mihi amorem ſerua. Romæ.

Quos ignes, ſuperi, quantæ miracula flammæ
Cernimus, exactum nunquã conſpecta per æuũ!
Vix oculis, animoque fides! En, flumine ſummo
Contemptis paſſim ſpatiatur fluctibus audax
Ignis. & illæſæ ludunt per cœrula flammæ.
Ipſa ſtupet tantos rerum natura paratus,
Et liquidæ mirantur aquæ, quâ fluminis arte
Tuta per innocuos errent incendia fluctus.
Annè calor gelidi ſparſus per terga fluentis,
Mirum ludit opus? Magicis an fortè ſuſurris
Prodigioſa ſuas frænarunt flumina vires?
Nil calor hic, Magiciuè parant cõmenta ſuſurri:
At radios, Lodovice, tuos, præſenſque paueſcunt
Ignis & vnda iubar, ſtupefactaque Principe tanto
Flumina contiguæ coëunt in fœdera flammæ.
Salue inuicta Deûm Soboles, certiſſima cœli
Progenies, atauos contingens ſanguine Diuos.
Iure tibi parent Homines, cui flumina parent,
Submittuntque elementa ſuas contraria vires.

EPIST.

EPIST. XCIV. Romam.

Scipioni Cobellutio Cardinali S. Susannæ,

Io. Baptista Laurus S.D.

ENi verò humanitatis memor, quam istic egregiam mihi, singularemque præstitisti, Cardinalis eruditissime, non sum veritus Centuriæ, recens à nobis in lucem datæ exemplum mittere, meæ aduersum te pignus obseruantiæ. Ignosces autem, si tui suffragio nominis alicubi quæsitus est Libello splendor. Ego quoque lucis tantulum à Sole istius purpuræ mutuatus sum, ad hoc vel Manibus Ansidæi, mei olim valdè amantis, & tui valdè reuerentis, admodum hortantibus; ac prodire malui alieno non improbatus calculo, qui me candidè damnassem meo. Vale. Perusiæ.

Perusiam.

Io. Baptistæ Lauro.

ADmodum Reuerende Domine Planè nihil erat, quod verereris tuis me litteris adire: cum non solum mea beneuolentia erga te fiduciam tibi tribueret, sed etiam eruditio tua: quo nomine Centuriam ipsam libenter vidi, legamque libentius. Interim tibi de munere gratias ago, velimque cogites, & fauere me plurimum laudi tuæ, neque tui iuuandi occasionem omissurum. Vale Ex Vrbe.

Tui studiosus.

Scipio Card. S. Susannæ.

ſpirante iam Fauonio, imò Fauonius tu eris Pater ipſe Florū. De ſtipendio Militari apud Romanos: item de Pecunia antiqua edo, Geminum Syntagma eſt, & videbis, quod hactenus fuit ignoratū. Iā credo accepiſti à Sueertio, qui & Iudicium tuū, Laure expectat, Gaſparis Geuartij Antuerpienſis, quod tui Apollinis cortina plurimū probet, Siluam in Statuam Equeſtrem Henrici IV. Pariſijs in nouo Sequanæ ponte erectam. Lege hic & eiuſdem Geuartij Carmen in Ignes Feſtiuos Pariſijs in Sequana flumine miro articifio excitatos, inſpectante Rege LODOICO XIII. Vale, V.C. &, quod es facturus, mutuo tuum mihi amorem ſerua. Romæ.

QVos ignes, ſuperi, quanta miracula flammæ
Cernimus, exactum nunquā conſpecta per æuū!
Vix oculis, animoque fides! En, flumine ſummo
Contemptis paſſim ſpatiatur fluctibus audax
Ignis. & illæſa ludunt per cærula flammæ.
Ipſa ſtupet tantos rerum natura paratus,
Et liquidæ mirantur aquæ, quā fluminis arte
Tuta per innocuos errent incendia fluctus.
Annè calor gelidi ſparſus per terga fluentis,
Mirum ludit opus? Magicis an fortè ſuſurris
Prodigioſa ſuas frænarunt flumina vires?
Nil calor hîc, Magiciuè parant cōmenta ſuſurri:
At radios, LODOVICE, tuos, præſenſque pauēſcunt
Ignis & vnda iubar, ſtupefactaque Principe tanto
Flumina contiguæ coëunt in fœdera flammæ.
Salue inuicta Deûm Soboles, certiſſima cœli
Progenies, atauos contingens ſanguine Diuos.
Iure tibi parent Homines, cui flumina parent,
Submittuntque elementa ſuas contraria vires.

EPIST.

EPIST. XCIV. Romam.

Scipioni Cobellutio Cardinali S. Susannæ,

Io. Baptista Laurus S.D.

ENi merò humanitatis memor, quam istic egregiam mihi, singularemque præstitisti, Cardinalis eruditissime, non sum veritus Centuriæ, recens à nobis in lucem datæ exemplum mittere, meæ aduersum te pignus obseruantiæ. Ignosces autem, si tui suffragio nominis alicubi quæsitus est Libello splendor. Ego quoque lucis tantulum à Sole istius purpuræ mutuatus sum, ad hoc vel Manibus Ansidæi, mei olim valdè amantis, & tui valdè reuerentis, admodum hortantibus; ac prodire malui alieno non improbatus calculo, qui me candidè damnassem meo. Vale. Perusiæ.

Perusiam.

Io. Baptistæ Lauro.

ADmodum Reuerende Domine Planè nihil erat, quod vererreris tuis me litteris adire: cum non solum mea beneuolentia erga te fiduciam tibi tribueret, sed etiam eruditio tua: quo nomine Centuriam ipsam libenter vidi, legamque libentius. Interim tibi de munere gratias ago, velimque cogites, & fauere me plurimum laudi tuæ, neque tui iuuandi occasionem omissurum. Vale Ex Vrbe.

Tui studiosus.

Scipio Card. S. Susannæ.

EPIST. XCV. in Vaticanum.

V.C. Petro Pauono Pontificij Cubiculi Præfecto,

Io. Baptista Laurus S.D.

O Vim magnam Numinis sacrosancti, quæ ALEXANDRVM LVDOVISIVM, quinquennio ante, eòque nondum expleto Cardinalem creatum, tanto ac tam repentino omniũ consensu Romanum Pontificem declarauit. Propemodum Interregni moram non sensimus, qui festinantibus Virtutum ipsius legionibus liberam concessam aream cum voluptate adspicimus, Christianorum Imperatorem triumphali in solio recens collocatum submissè veneramur, lætisque acclamationibus litterario munusculo tantum non salutatum accedimus, (hortetur licet prodigiosa in altissimo fastigio humanitas) qui tamen, vt per Te nobis sanctissimos dumtaxat osculari pedes fas sit, hac præcursoria epistola à tua singulari comitate petere non dubitamus. Vtinam verò Pontificiæ Alæ nonnullam nauare operam Centurio hic possit meus! nec despero: sublato LVDOVISIAE beneficentiæ vexillo, & plaudentibus Sericatorum, qui GREGORIANAM maiestatem circumuallant, honorarijs cohortibus: quibus nullius rei seges copiosior affluit, quàm sinceræ probitatis, bonarum Artium, morumque castissimorum

morum annona ferax. Iam GREGORIVM seriò agnoscimus Christiana in specula peruigilem, qui non ob Pontificiæ modò ornamentum Aulæ Clarorum Virorum delectum habuit; sed etiam præstantissimarum dotium ornatissimo Nepoti par Theatrum patefecit; cui postridie suæ Inaugurationis, purpuram, Roma præ gaudio temulenta, atque efflagitante indulsit: tanto ante incomparabili eius sapientiæ, modestiæque debitam; quanto ipsi ad eam iter nullæ aliorum eblanditæ commendationes munierunt. Est igitur cur huic seculo vehementer felicitatem tantam gratuler, quam perpetuam fore arguror, idque à Deo Opt. asiduis precibus contendo: tum te Vir Clarissime, enixè rogo vt, quum Pontificiæ celsitudinis limina adeunda consueueris, nobis indices, audaciamque nostram boni consulas; & quâ facilitate priorem Centurionem olim admiseras, eâdem alterum tibi excipiendum putes', vel quia Perusinis, tui iampridem obseruantissimis, tantulum gratiæ negare non debes; vel quia me, quod Paulo V. Pontifice, superstite sæpius sum expertus, non vulgariter amas. Vale. in Vrbe X. kal. Martij. M.DC. XXI.

(?*?)

EPIST. XCVI. Antuerpiam.

V.C. Francisco Svvertio
Io. Baptista Laurus S.D.

MAturius omninò, quàm aut opinabamur, aut ferebat tempestas anni, quæ Tibur, & algidiora loca consultius suadet, ad vrbem remigrauimus, continuò autẽ ad me Gaukema humanissimus, qui autographas litteras tuas ostendit, ac Geuartij rotundissimum Carmen, quod ego auidè perlegi, planèque œstro illo concuti, atque abripi sum visus, quod videbam incubuisse animo & Siluam florentissimam meditantis, & Statuam magni Henrici, longè supra Domitiani Equum, graphicè adornantis, cultissime exprimentis. Quid quæris? festiuissimam dictionis feliciter assurgentis varietatẽ sum admiratus. Hominem per te iubeo saluere, &, si patcris, Aubertum Miræum, cui iampridem obsequij, atque affectus aliquod indiciũ debeo cùm ob eius scripta, tum ob grauissimum Card. S. Susannæ testimonium. Cupio vterque, te internuncio, me sui amantissimum esse intelligat. Accepi & litteras à Cl. Puteano nudiusquartus, amoris & suauitatum plenas. Syntagmata illa de Stipendio & Pecunia auidè hic expetit eruditorum cohors. ego de schedijs meis iudicium, sed cui minimũ imponat amor. Siquid ad te amicius, hoc est, liberius; caue nos celaueris. vel enim posthaceo in genere verbũ nul-

nullum, vel vberius vernaculæ scriptioni, parcius latinæ operã dabimus, quod certè rationes aliorũ ac meæ crebrius postulãt, & hæc aula magis probat. Fac Valeas, & me ames. Romæ.

Gauconi quæpiam Iuuenilium meorum ad te dedi, quibus tu, ac Geuartius æstiuum tædium discutiatis, si non arcessant maius. Exoleuit ab hinc decenniũ Typis descripta Calx, & exoticum argumentum veterem, puto, obliterauit gratiam.

Hæc quoque Selectis Christiani Orbis Delicijs tuis, quas mirificè auctas te breui publicaturum Gauco significauit, adijcias velim, oblitus eidem tradere, cum superioribus diebus alia Ludo seria marmorum Lemmata à me accepit. Nostrates excogitauere, quæ Nathanis Chytræi, & Laurentij Schraderi notitiã effugerunt, neque tibi indicata, sunt in his pleraquè hauddum vulgata, paucula verò & nostra: ac si otio abundem, mille talia curare tibi queam, fietque ad Epigraphas tuas accessio non pœnitenda. Vale iterum.

(?*?)

Perusiæ.

Io. Pauli Lancelotti I.C. Clariss. Tumulus.

QVi fuerim, & quid viuens egerim, fortè si quæras; Hominem scito fuisse me, quem parandis fluxæ vitæ commodis intentum, nec opinantem Mors oppressit. Tu si sapis, aliena stultitia ad tuum compendiũ vtere; idem enim te citò manet casus. Quamdiu vixerim, quauè morte obierim, ego nec diuinare potui, & tua nihil interest scire.

Horatius Lancelottus filius posuit.
Romæ in D. Petri ad Vincula.

D O M

HIeronymo Agucchio Bononiẽsi S.R.E. Presbytero Cardinali S. Petri ad Vincula, qui Philippi Segæ Cardinalis Placentini Auunculi præclaras virtutes æmulatus, cũ Apostolicæ sedi viginti ferè annos varijs in locis operam strenuè nauâsset, ac multiplicem etiamtum munerum, curarumque molem in Vrbe sustineret, Vir verè magnus, ad sũma quæque natus, ab optimo gratissimoque Pontifice Clemente Octauo amplissimæ dignitatis insignia, bonorũ omnium votis diutius fruenda, consecutus est. Io. Baptista Agucchius Protonotarius Apostolicus Fratri Optimo P.

Vixit annos L. Menses III. obijt eadem die, qua Leo PP. XJ. xxij. Aprilis. M. DC. V.

Ad fossam Brachianam (Cauam Brachij vulgò appellant) propè Thrasymenum Perusiæ Lacum, vide Epistolam. 65.

Cle-

Clemens VIII. Pont Opt. Max.

VEtus emissarium, chasmate pluribus in locis interclusum, penitus adaperuit, opere concamerato muniuit, puteum profundissimum effodit, illinc, vbi soli vitium maius, deflectens, nouum tramitem, veteri certum subsidium, durissimo perforato lapide, patefecit; vt agros & oppida Thrasymeni super-stagantibus aquis obruta, pristino cultui, ac decori restitueret. Anno M. DC. II. Pontificatus XI.

Roma.

HIppolyto Feltrio à Ruuere Marchioni, positis olim ad Naupactum militiæ rudimentis claro, religione, prudentia, & inculpatissimi exempli laude conspicuo, asperis ac secundis rebus æquè probato, qui scriptis heredibus Liuia Vrbinatium Ducis vxore, & Lucretia filiabus, annum agens LXVI. hic immortalitatem corpore, anima iam adeptus, expectat. Marcellus Lantes Card. Fabricius Verallus Card. Iulianus Feltrius à Ruuere Abbas Frater Testam. execut. poni mand. M.DC.XX.

Perusia.

QVisquis es, ne te non terreat communis mortalitatis reputatio Io. Paulũ Laurũ specta, qui comitate obuia, mira ingenij dexteritate, probitate in primis ac morũ castimonia suorũ sibi Ciuiũ animos, & nõ suorũ arctissimè deuinxit, vel à prima adolescẽtia honoribus, quos Patria in filiũ benemer. cõferre potuit, Laudabiliter perfũctus. Hũc tamẽ febris acutissima, Liuoris mali satelles alterum

& trigesimum agentem annum, bonis reclamantibus, sæuissimè intercepit. Obijt XVI. Kal. Octob. M. DC. XVJ. Vincentius Balestrinus Auunculus Nep. amabiliss. P.

Lapis haud ita perantiquus, in quo gladij aliquot extant aristis obuallati.

RVs colit, eiectis opulenta ex Valle colonis
Arbylus, & culta semina mandat humo.
Altum fotrè screat, malasq; exfibulat ambas;
Auulsos dentes terra subacta capit.
Horruit, & subito deiectus funere mussat;
Cum Cerere obueniet num tua Cadme, seges?
E tumulo hinc cernis fruges consurgere, & enses.
Sic cum Triptolemo Martia gleba facit.

Marci Negronis Patricij Carnutensis
ÆDES.

Fœda depopulatione à furibus corrasas, qui Lares ipsos, si obuolitassent oculis, clepsissent, nequiores in hoc Lemuribus, qui res domesticas inuertunt, distrahunt, ludibria, non prædas meditantur; easdem liberalissimè reconcinnatas, ac splendidè instructas Carbo Filius. publicæ commoditati D.

Romæ in Basilica Lateranensi.

QVisquis sepulchrum vides Alexandri Burgij Mutilianensis Burgentium Episcopi, huius Basilicæ Vicarij, næ tu Mausoleum quocumque ære perennius videres, si monumentum posuissent litteræ, quas sicut viuens coluit, candidusque arbiter extimauit, ita mortuum certatim eædem lamentatæ sunt; si quatuor sūmi Pont. alijq; Principes Viri, qui-

quibus operam, fidemq; probauit suam; Si amicorũ dolor ac vota, de quibus benè merendo diem nunquam perdidit. Interim omnium nomine Philippus & Claudius fratris filij, maiori pietate, quam pompa mœrentes merenti posuerunt. Obijt Anno Domini M. DC. XVIIJ. ætatis suæ LXIV.

Romæ In D. Alexij in Auentino.

METello Bicho Patritio Senensi Tit. S. Alexij Card. amplifs. cuius par nobilitati virtus. Pauli V. Pont. Max. beneficio, è Suanensi Episcopatũ ad Romanæ purpuræ lucem, tum ad Senensis Archiepiscopatus euecta fastigiũ, clarissima sed breuissima effulsit. Vincẽtius & Bernardinus prærepto Fratri mœstiss. posuere: hoc tamen vno triste mitigant desideriũ, quòd virtutis illustrissimæ extinctæ cinis etiãnũ purpurat. Obijt annos natus LX. xviij. Kal Iulij. M. DC. XIX.

Mediolani.

IAcobo Alifero, Hieronymi & Claræ Moronæ F. Patricio ac I. C. Coll. Med. Patrono Causarum Clarissimo Iudici, æquissimo difficillimis Reipub. temporibus Annonæ bis Præfecto prouidentiss. Regio summæ integritatis Senatori, qui cunctis honoribus cum omnium laude perfunctus in Prætura Ticinensi mortalitatem cum omnium mœrore exuit. Vix. an. LIX. Ob. Prid. Id. Ian. M. DC. XV.

Andreas & Martinus Fratres. Iuris CC. ex Coll. Med. Parenti & Collegæ Opt. mœstiss. P. P.

Naues in portu Ligurum naufragio disiectæ.

Hic vbi veliuolis siluescunt æquora malis,
Et Ligur indomitas aggere frænat aquas;
Non audita prius discit stridere procella,
Totaq; sub ratibus murmurat vnda maris.
En collisa bibunt inimicum transtra furorem,
En rapit aduectas impia Doris opes.
Qui clausas lusistis aquas, horrescite nautæ:
Clausa vel in portu non habet vnda fidem.

Romæ in D. Mariæ de Populo.

Alexandro Magio Patricio Bononiensi, morum grauitate, & innocentia conspicuo, præter insignem in vtriusq; Iurisprudentiæ laude præstantiã, omnis politioris doctrinæ cognitione ornatissimo, qui Bononię & Maceratæ publicè plures annos professus, mox Bonifacij Cardinalis Prolegatus, mirum eruditionis, vigilantiæ, integritatis specimẽ dedit. Fani fortunæ Vrbem pari virtute rexit, demũ in Vrbem reuersus varijs in Congregationibus probi, doctique Viri munere egregiè perfunctus, in ipso honorum limine immatura est morte præreptus. Idem Bonifacius Card. Beuilaqua amico incomparabili; Ioannes Magius Fratri dulcissimo P. P.

In D. Andrea de Valle.

Sanctus Sebastianus, Miles Christi fortissimus, sagittis Diocletiani iussu configitur, virgis cæditur, in Cloacam deijcitur, indè à Lucina Matrona Romana, eius in somnis monitu, eximitur, & in Callisti Cœmeterio conditur, facti indicem plebs olim venerabunda Aediculam excitauit, cuius hic nuper Altare Maius cum apside stetit. Hanc Sixtus V. P. M. ea lege æquari solo permisit, vt illius

pars

pars nouæ Aedis ambitu includeretur, ad retinendam loci religionem, reique memoriam, Maphæus S.R.E. Presbyter Cardinalis Barberinus, Signaturæ Iustitiæ Præfectus, hoc voluit extare Monumentum.

Anno salutis M. DC. XVI.

Ad Pontem Acutum, siue à Cotibus denominatum, non longè ab Vrbe Tudertina.

MArcello tit. SS. Quirici & Iulittæ Card. Lanti Episc. Tudert. vigilantiss. & beneficentiss. Quod inter alia suis apud Paulum V. Pont. Opt. Max. affinem suffragijs Camerali ac publ. ære consl. retentoque Pontem hunc per annos supra CC. Tyberis impetu disiectum, Pilis plerisque, fornicibus, præter vnum, omnibus extructis; cura præcipua, omnium commoditati reficiundum curauit, Tudert. ob grati animi testimonium B. M. P. P.

M. DC. XIV.

In Eundem Pontem.

CEsserat insanis Tyberis Pons obrutus vndis,
Nec Tuderi hinc solida spes erat vlla via.
Addita purpureo virtus Romana galero,
Frustratum ante alios LANTIS adegit opus.
Tybri, prius Pons iste tuam est vim passus inultus:
Par modò te Pontis vimq; iugumq;, pati.

Roma in D. Maria de Populo.

IOanni Baptistæ Millino V. I. C. quem ob eius religionem, prudentiam, iustitiam, meritaque erga sedem Apostolicam Sixtus IV. Pont. Max. congra-

congratulantibus omnibus in numerum Cardinalium rutelit. Petrus Millinus fratri.

B. M. P.

Is vbi Legatus post mortē Galeacii Ducis Insubriū, Ligurūq; res turbatas cōposuisset, lxxxiij. ætatis anno moritur, incredibili de se apud omnes desiderio relicto. Vale, qui legis, & opta, vt multi huic Viro persimiles humano dentur generi. Obiit A. d. M CCCC. LXX VIIJ. Non. Kal.

Ibidem.

PEtro Millino Iureconsulto Comiti Palatino, omnibus honoribus Vrbis ac pluribus Legationibus summa felicitate & sapientia functo, Celsus & Matius piè parenti.

B. M. P.

Hic patriæ, amicis, naturæ ac Superis, quæ debuit, ad extremum vsq; persoluit, vix. an. LXXVII. m. ij. d. xxi. An. d. M. CCCC. LXXXIII. xij. Kal. Aprilis moritur.

Merces vitæ Laus. Perusiæ.

BAlionus Monteuibianus clarissimorum Ciuium optimus, & optimorum clariss. Patriam Iuris disciplina illustrauit. Remp multis in rebus iuuit. Romæ Consistorialibus Aduocationibus claruit, indè in cœtū receptus Diuorum, æuo fruitur sempiterno.

Obijt à partu Virg. M. D. XI. cum ætatis annum ageret L X X X.

LVcæ Benio Eugubino, Sigismundi Imper. liberalitate Equiti, in Constantiensi Concilio, in quo Martinus V. Columna Pontif. creatus est, Legato; pio Vrbini ac Feltrensium Comitibus apud IV. summos Pontiff. Oratori; Perusiæ Præsidi, per quem & eius Ciuitatis iura in familiam Beniam perpetuò deriuata, Federicus Filius Mantuæ Promar-

marchio & Senator Mediolanen. Patri opt. pos. Benij Comites Abauo clariss. instaurar.

Romæ in D. Clementis.

ALoysio Guarnerio Iacobi Ant. F. Vincentij Lauri Card. Montis Reg. ex Sor. Nep. optimæ spei adolescenti, Iulius Cæsar Guarnerius Episcop. Campaniensis patruus mœrens P. Obijt V. Kal. Iun. anno sal M.D.XCV. æt. xiiij.

D. O. M.

VIncentio Lauro Philosopho, Poëtæ, Oratori, Latinè & Græcè eloquentiss. omnique virtutum, ac ciuilitatum genere summis Principibus probatiss. quem Greg. XIII.

Boncompagnus, anno à Iulianis Mensibus contractis altero, ad honorem purpuræ iam sexagenarium euexit. Obijt decennio post, trabeam immortalitatis beatiorem nactus, relicta herede Sodalitate Ministrantium Infirmis. Christophorus Laurus Tropiensi Perusinus, non longa serie affini, propius patrono beneficentiss. suæq; initiationis arbitro, quem & Legatum in Angliam à Pio V. missum, est secutus, multis cum lacrymis P. M.D.XCII.

In D. Mariæ de Populo.

Infantis Tumul.

HEu matris crudele nefas, mea pignora partus,
Pignora delicijs parta, dolore neco.
Iusta dabam Patrui tumulo, lacrymasq; cadentes,
His lacrymis infans, hoc amor, amne perit.
Me sanam reddit pietas; dum funera ploro,
Infero, dum vita stamina necto, necem.
Prima dies nato non fulsit, & vltima venit,
Hoc vteri pondus funeris vrna veho.
I puer infelix Medeæ viscera quære,
Illa frui saltem luce oriente daret.

In Basilica Vaticana.
Innocentio VIII. Cybò Pont. Max.

ITalicæ Pacis perpetuo custodi; noui Orbis suo æuo inuenti gloria, Regi Hispaniarum Catholici nomine imposito; Crucis sacrosanctæ reperto titulo; Lancea, quæ Christi hausit latus, à Baiazete Turcarum Imper. dono missa, æternùm insigni, Monumentum, è vetere Basilica huc translatum, ALBERICVS Cybò Malaspina, Princeps Massæ, Ferentilli Dux, Marchio Carrariæ, Pronepos, ornatius, augustiusque Pos. anno M. DC.XXI.

Saxoferrati.

PEtro Antonio Perotto Sentinati Rei Militaris scientia clariss. Qui cum, maxima Orbis parte honorificè peragrata, rebusque in Belgio præclarè gestis, summam indè gloriam adeptus, aduersa valetudine vteretur, domum reuersus, magno bonorum incommodo, obijt XVIII. Kal. Sept, M. D. LXXXII. Vixit Ann. XLVII.

Belgiaminius Filius, Scipio Frater, Cornelius Bentiuolus B. M. P.

Perusiæ.

M. Antonij Bonciarij Epitaph.

ADeò sum visus infelix, vt nemo mecũ sortem mutasset: adeò autem non fui, vt nec ego cum quoquam. Iustus est Deus. æquè singulis indulget, vt liberis Pater, infirmis vt Mater. Alia te, Hospes, volebam, &tu expectas; Qui, Vnde, Quàm diu. Sed frustra, propediem nobiscum futurus, Noa etiam si fueris, aut Salem. Licet obstupescas: hoc celerius iter conficies, quo plenior ibis annorum. Igitur coram. Tu roga vt Beati; quod potest; non

vt tar-

vt tardi, quod non poteſt. Vixit annos LX. Menſes xi. obijt V. Idus Ianuarij. M DC.XVI.

Aliud.

Non ego, Hoſpes, deflendus tibi, ne erres. Tu à me leuandus. Mihi aduerſus perpetuas hoſtes, Podagram, Chiragram, Cæcitatẽ, Paupertatem, Inuidiam, ſemper ſtetit inuicta Hilaritas. Diuæ illæ Cæleſtes donabant pugnanti auxilium, vincenti triumphum. Mors ipſa eſt mihi, quàm fuerat vita, liberalior: iſta vnum ſoli pedem non conceſſit; hæc quatuor indulget, plures pollicetur: iſtic diuturnos, alibi æuiternos. Quàm diu vixerim, quæris? hoc ego & viuens ſciebam, Triginta duos annos & vnam Noctem. Abi, obi felix.

In S. Mariæ Maioris in Exquilino.

Marcello Cardinali Creſcentio, qui ob inſignem præſtantis ingenij laudem xxv. natus annos à Clem. vij. Rotæ Auditor, deindè Epiſcopus factus, à Paulo iij. S. R. E. Presb. Card. creatus, Principum Virorum, Regumque in primis gratia & beneuolentia floruit: ſub Iulio iij. Bononiæ perpetuus, Tridentini Concilij ſolus Apoſt. Sedis Legatus, in Orthodoxæ Fidei cauſſam cum totus incumberet, graui morbo correptus, Veronæ deceſſit, anno æt. ſuæ LII. ſalutis human. M. D. LII. v. K. Iunij. Alex. Creſcentius fratri benem. & ſibi, poſteriſque ſuis T. F.

Marius Creſcentius Hippolyti fil. Alex. nepos, Marij pronepos fecit. M. D. LXXXVII.

In Diui Auguſtini.

Alexandro Oliuæ Saxoferratenſi Theologo Clariſſ. Eremitarum Beati Auguſtini ab infantia ſpei maximæ alumno, qui cum eſſet ſui ordinis Generalis, ob ſingularem doctrinam & vitæ ſan-

sanctimoniam Cardinalis, à Pio II. ignorans creatus est.

Vt tibi sola dedit probitas, non gratia soli
Digno Cardineum nomine, reque decus:
Sic eadem indignis raptum dum tollit ad astra,
Fœlix hoc, inquit, Principe Roma foret.

In D. Petri in Monte Aureo.

FVluius Corneus Episc. Portuensis Sacellum, hoc ab Antonio Card de Monte erectum, & à Iulio iij. Pont. M. Auunculo suo exornatum, in sui corporis sepulturam eligens, annuo perpetuo, redditu, pro ornamentis Altari subministrandis, duobusque anniuersarijs pro sua, & eiusdem Ant. de Monte anima celebrandis, locupletauit. Obiit die ii. Martij M. D. LDXXX. æt suæ anno lxvi.

In D. Siluestri Montis Quirinalis.

OSsa Prosperi Farinacii I. C. Romani: natus die xxx. Octobris M. DC. XXXXIIII. obijt ipso die obeuntis anni M. DC. XIIX.

Messana.

CHristophoro Lauro Perusino I. C. & Equiti Hierosolym. qui à Laurentio Celso, tum Perusiæ Vmbriæque Gubernatore adolescens ad Romanam aulam transductus, fide, prudentia, integritate, varijsque ingenij suauitatibus tres sibi ampliss. Principes in primis conciliauit, Vincentium Laurum Tropiensem, Siluium Sabellum Romanũ, Bonifacium Beuilaquam Ferrariensem Cardd. Flamen deindè, deposita Vicarii Mamertini persona, in itinere Melitensi difficillimo contracto morbo, sexagenario maior, ignobilem pagum sua sepultura illustrauit. Iulianus Castaneaceus popularis, nunc & Mamertinus, amico optimo P. ann. M. DC. XVII.

Romæ, in Aede D. Mariæ supra Mineruam.

FR. Michaëli Bonello Ord. Prædicatorum S. R. E. Cardinali Alexandrino Episcopo Albanen. Pij V. ex eodem Ordine sanctiss. Pont. Sororis Nepoti, ab eoque ad grauissima Sedis Apost. negotia moderanda adhibito Legato, sacri fœderis iiciendi caussa ad Reges in Galliam, Hispaniam, Lusitaniã, cunctis à se pro Rep. susceptis strenuè ac feliciter perfuncto, religionis, prudentiæ, integritatis, eximiæque virtutis laude præstantissimo. Vixit annos LVI. Men. IV. Obijt IV. Kal. April. M D. IIC. Quod illi monumentum ob Ioannem Aldobrandinum Fratrem in sacrum Collegium à Pio cooptatum, aliaque eius Auunculi in se, Familiamque suam merita Clemens VIII. P. M. instituerat, Petrus Card. Aldobrandinus S. R. E. Camerarius, gratam Patrui voluntatem secutus, Collegæ optimo posuit, anno M. DC. XI.

Perusiæ.

Blancæ Mariæ Beuilaquæ Tumulus.

Blanca mihi nomen, Comites vtrumq; parentem
Collaltus Matrem dat, Beuilaqua Patrem.
Gignor ad Eridanum, prabet cunabula Thybris;
Menses vix quini dant, rapiuntq; diem,
Et cado, Bethlemius cum crebrior occidit infans,
Candida purpureis mixta Puella choris.

Obijt an. M. DC. I. Bonifacius Card. Leg. Fratris Filiæ P.

Romæ Ad Hortos Palatinos.

Mariæ Virg. cognomento libera nos à pœnis Inferni D. cui Michael Lantes Rom. annis. ab hinc XXXIV. Sacellum hic in Aedicula loco humili, perangusto miraculo tamen

S. Siluestri Papæ in Draconem, & S. Franciscæ Rom. Parietinis illustri excitarat: Eidē hanc Ædē in editiore exædificatam, ampliorem, ornatioremque Marcellus Frater S. R. E. Cardinalis à fundamentis extruxit. Anno sal. M. DC. XVII.

In D. Mariæ ad Mineruam.

LAesa Deta hoc tumulò tegitur, Florentina Matrona, Clementis viii. Pont. Opt. Max. Mater prudētia insignis, & pudicitia fœlix, Siluestro Aldobrandino Viro, multiplici prole, honoribus, & probitate Filiorum omnium, vt non minus clara fœtibus esset, quàm virtutibus. Vixit. ann. LIII. Men. ix. D. xiv. Obiit. Prid. Non. Mart. M D. LVII.

Petrus Aldobrandinus S. R. E. Cardinalis Camerarius monumentum hoc virtutis, à Clemente VIII. Pont. Opt. Max. inchoatum, absoluit, Auis meritissimis posuit.

Ibidem.

HIc qui filiorum tam illustri corona cingitur, Siluester Aldobrandinus est, Patricius Florentinus, Clementis viij. Pont. Opt. Max. Pater, à Principibus viris in aduersa etiam fortuna arduis negocijs certatim adhibitus, ciuis optimus, summusq; Iurisconsul. quod ex laboribus pro Patria susceptis, & ex ingenij monumentis cognosces, quàm verò fuerit prolis educandæ gnarus parens, dignitates natorum testantur. Vixit ann. LVI.I. Men. VI. D. xrij Obijt: viij. Id. Jun.

In S. Mariæ in Vallicella.

FRancisco Mariæ Taurusio Politiano, & Cæsari Baronio Sorano ex Congregatione Oratorij S. R. E. Presbb. Cardd. ne corpora disiungerentur in morte, quorum omniū animi diuinis virtutibus insi-

insignes in vita coniunctissimi fuerant, eadē Congregatio vnum vtriq; monumentū posuit. Taurusius vixit annos LXXXij. M. ix. D. xiv. obijt iij. Id. Junij M. DC. Viij. Baronius vix. an. LXViij. M. viij. obijt Prid. Kal. Julij. M. DC. Vij.

In D. Mariæ supra Mineruam.

I. C. R.

CAesari Magalotto Florentino, Roberti filio, equiti Hierosolymitano; Classis Pōtificiæ prolegato, pietate aduersus Deum, fide erga Principes, officijs in amicos, virtute apud hostes apprimè claro. vix. an. xl. mens. ix. obijt Id. Maijs an. sal. M. D. L I I.

Guido exercitus Ecclesiastici collateralis gener. Philippus Julius curator classis Pontificiæ, Octauius Eques S. Stephani, vnius alæ equitum præfectus, Fratres mœstiss. posuere. Hac vna re in maximo luctu dolentes minus, quod suauiss. Fratri contigerit mori, dum inseruiret Clementi viij. Pont. Max. atque Petro Aldobrandino S. R. E. Cardinali Camerario ampliss. in quo munere quatuor ex eis se simul aliquandò vixisse gloriantur.

In D. Gregorij in Monte Cælio.

FLaminio Guidiccionio Patricio Lucensi, qui foris strenuus, domi prudens, erecto vir ingenio, nauus, impiger, Principes virtute, pares officio, singulos vrbanitate demeruit, & sexagenario maior, emeritis aulæ, vitæque stipendijs excessit. A. S. M DC. XV. xvi. Kal. Aug. Lælius Guidiccionius Patruo beneficentissimo, celsiorem tumulum abnuenti P.

In Templo Aræ Cæli.

RObertæ Vbaldæ nobili matronæ Perusinæ, & Nicolao ac Matthæo filijs Iureconsultiss. Baldi : taui Doctorum Principis, fratrumque eius gloriam penè consecutis, Romæ virtutis merito patriciatum adeptis, doctrina, integritate ac rerum vsu à Paulo II. & Innoc. VIII. Pont. Maxx. & litib. Jud. inter Rotæ xii. adlectis.

Quorum alter à Sixto IV. in summis rei Ecclesiasticæ difficultatibus ad Ludouicum xi. Gallorum Regem Orator missus, tantum muneris pro voto egit.

Alter vxore primùm ducta, insigni prole auctus, indè religioni adscitus, ab Alex. vi. Nucerinæ, mox à Jul. IJ. Perusinæ Ecclesiæ præfectus, cùm nec ambisset, neque quicquam cogitaret minus, plenus demum honorib. plenus fama & annis octogenarius Matris ac Germani ossib. est illatus.

Jo. Baptista Vbaldus tanta luce orbatus, ne qui domus ac patriæ decus, nomenque auxerant, hic sine stemmate, sine mortis honore iacerent. Auiæ, Patruo ac Patri benemerent. & sibi P. M.D.LIX. Kal. Maij.

Henricus.

VAlesius Francisci F. Gallorum Rex Bononiam & Caletam ad Oceanum cepit; Belgis, Rheno flumini finitimis, maximo exercitu opem tulit: Romam, Senas, Parmam, Mirandulam defendit; pacem cum Philippo Hispaniarum Rege fecit; & prouincias victoriæ conditione ad imperium suum adiunctas, inaudita liberalitate restituit; quiete terrâ, marique partâ, omnium felicissimus mortem obijt.

In D.

In D. Mariæ in Via.

INnocentio Bubalo de Cancellarijs Romanæ nobilitatis & virtutis viro, post Vrbium præturas ad Melitens. Insulam à Clemente VIIJ. cum extraord. potestate misso, mox ab eo Pontifice Episcopo Camertino, denique pro eodem apud Gall. Regem nuncium agenti S. R. E. Cardinali creato; quam Dignitatem dum acerrimo iudicio, incenso Ecclesiasticæ amplitudinis studio, intima doctrina, morum suauitate singulari, vitæ innocentia sustinet, Romæ moritur anno Domini M. DC. X. iv. Kal. Aprilis ætatis suæ XLIV. Mutius frater & hæres P.

In D. Agnetis extra Portam Piam.

D. O M.

ET Memoriæ Leonis xi. Summi Pont. Qui pro eximia sua in B. Agnetem pietate, Templum hoc restaurare, & illustrare aggressus, præcipuum Sacelli huius cultum elegantiamque moliebatur, nisi mors præpropera cœptis interuenisset. Petrus Iacobus Cima eiusdem Pontificis intimi cubiculi Præfectus idem Sacellum ornandum curauit voti sui, & perpetuæ erga optimum & omnibus optatissimum Principem obseruantiæ monumentum.

Anno sal. M. DC. IX.

In Templo societatis Ies.

FLamminij Plati Patritij Mediolanen. S. R. E. Card. Ossa hic iacent; cuius peritiam legum, opportunitatem consiliorum, studium religionis non hic disces; sepulcrali fide, posthumaque fama disces; si id curas, ab Rom. Rotæ Iudicibus, à Purpurator. Patrum Senatu, apud quos Collegæ incomparabilis admiratio in perpetuũ viuet. Quod autem mortale fuit, Hieronymus Platus Comes

Car-

Carpiniani, Eques S. Jacobi à Spatha in hoc suæ erga optimum patruum pietatis monumento composuit: Obijt An. Dom. M. DC. *XXIII*, Ætatis suæ L*XVIII*.

Propè Massam Vmbriæ.

D. Petro Apostolo super Aquas, vetere loci, harum copia affluentis, cognomento, ne non par vbertas Christianæ frugis circumiectis pagis suppeteret, Marcellus Lantes Rom. Ep. Tudertin. Aedem cum Cœnobio à fundam. extrui iussit, & Socculatis ex arctiore Familia Franciscanorum, perpetuò operaturis attribuit, Ann. Domini M. DC. *XXVIII*.

Canis Epitaph.

TRes, rapto Macrone, Canes aurata pererrant
Sidera; veh vobis Maior & Vrsa Minor.

Catella.

BEllinæ, Canum flosculo pulcherrimo, suauissimo, in Domini Domusque delicijs olim habitæ, quæ primo congressu Veneris Lucinam læuam experta, difficultate partus interijt, heu breuem voluptatem longâ morte persoluens. Burattinus nunc demum animo, ceu corpore niger, quamquam dissimilis specie, amicus tamen & commensalis mœrens, maumatus inconsolabiles iterans, Muribus persequendis triduo abstinens. Tum. P.

Romæ.

LAElio Cantaliciensi Ciui Romano Protonot. Apostolico, qui maiorum suorum virtutem veterum Siciliæ Regum testificatione commendatam, & munificentia adauctam, probitatis, prudentiæ, & comitatis accessione cumulauit. Testis Romana Curia, morumIudex & magistra, quæ natum ad magna quæque ingenium erudiuit: Testis

Aula

Aula S. R. E. Cardinalium Camerini primum, mox & Semensis, quorum cubiculis præfectus non minus fide Dominis, quam facilitate ceteris satisfecit: Testis Pontificium Conclaue, quod semel atque iterum ingressus, in eo consummatæ prudentiæ theatro parem se magnis negotijs probauit: tandem Aulæ emeritus, quam animo tranquillitatem è diuturna nauigatione parabat, in mortis aliquandò portu nactus est. anno Domini M. DCXIX. ætatis suæ LVII. Iosephus Carlutius hæres ex testamento Fratri benemerenti cum lacrymis posuit.

In Templo Aræ Cœli.

ARnulphus Rainalduccius nobilis Fanensis, olim Basil. Vaticanæ Canon. supra nonagesimum vitæ annum caligantes oculos breui cogitans morte claudendos, hic se in spem æternæ lucis ad nouissimum diem deponi iussit.

Ibidem.

IVliano ex vetere ac nobili Valentinorum Oddorumque genere, Francisci Valentini & Bernardinæ Oddæ F. integerrimo, omnium horarum Viro; cum in Philosophia parum lucis, & in rerum humanarum tractatione multum miseriarum comperisset, summi boni fruendi cupiditate honesta ab ijs missione tunc viuere se demum sensit, cum Deo vixit & sibi. Obijt an. sal. M. D. LXXXV. xi. Kal. Maij ætatis suæ LXXXIV.

Siste gradum Viator: si probus es, morere victurus,
Si improbus es, viue moriturus.

Lucretiæ Tullij Tusculani & Mariæ Salomoniæ F. animi candore, liberali forma, priscaque matronarum virtute ornatissimæ. Obijt an. sal. M D. L. xi Kal. Maij. æt. s. xxix.

Non

Non tibi promittas, decus ò Iuuenile, senectam;
Sæpe suum candens flos cadit ante diem.

Cæsar Valentin. IC. primicerius Sabinus Parentib. opt. P. c. Ann. sal. M. DC. XV.

In D. Gregorij in Monte Cælio.

PORtiæ Draghiæ Sanctacruciæ Romanæ, Matronæ lectissimæ, integerrimæ, piæ, in pauperes liberalissimæ, cuius prudentia spectata domi, probata Viro fides, nota propinquis alienisque affabilitas, iustas promerita lacrymas & monumentum est. Tarquinius Sanctacrucius coniux, Patriciæ Marchio, qui cum ea annos viij. Mens. ac dies iv. concordissimè vixit, lugens dolensque cum mœstitudine posuit. Obiit viii. Kal. Martii ann. fundatæ sal. M. DC. XIV ætatis suæ circiter LIV.

D. O. M.

MAriæ Stuartæ Scotorum Reginæ, Franciæ Dotariæ, Iacobi V Scotorum Regis filiæ, & hæredi Vnicæ, Henrici vii. Anglorum Regis ex Margarita maiore natu filia, Iacobo iv. Regi Scotorũ matrimonio copulata, pronepti, Eduardi IV. Anglorum Regis, ex Elizabetha filiarũ suarũ natu maxima abnepti, Francisci II. Gallorum Regis Coniugi. Coronæ Angliæ, dum vixit, certæ & indubitatæ hæredi, & Iacobi Magnæ Britanniæ Monarchæ potentiss. Matri. Stirpe verè Regia, & antiquissima prognata erat, maximis totius Europæ Principibus agnatione, & cognatione coniuncta, & exquisitissimis animi & corporis dotibus & ornamentis cumalatissima. Verum(vt sunt variæ rerum humanarum vices) postquam annos plus minus viginti, in custodia detenta, fortiter, & strenuè, sed frustra, cum maleuolorũ obtrectationibus, timidorum suspicionibus, & inimicorum capitalium

insidiis conflictata esset; tandem inaudito, & infesto, Regibus exemplo, securi percutitur, & contempto Mundo, deuicta morte, lassato carnifice, Christo Seruatori animæ salutem, Jacobo filio spem Regni & posteritatis, & Vniuersis, cædis infaustæ spectatoribus exemplum patientiæ commendans, piè, patienter, intrepidè ceruicem Regiam securi maledictæ subiecit, & vitæ caducæ sortē, cū cœlestis Regni perennitate commutauit. vi. Idus Februarii.an. Christi M. D. L XXXVII. Aetatis XXV.

In Templo Societat. I. S.

FRancisco Gueuaræ, Prouinciæ Patrimonii Prolegato summam indolem cultu ingenii, atque animi præteruecto, patefacto ad honores bonis Artibus aditu, modoque Imperii spe fata magni nominis, inter plausum studiaque benè ominantium, in traiectu profluentis nona trieteride extincto. Ioannes Dux Bouinens. IIJ. magnus Regni Senescallus Fratri suauiss. in sepulti monumentum doloris. P. A. S. M. DC. XXI.

Ferrariæ in D. Francisci,

D. O. M.

ALphonso Beuilaquæ Marchioni Fontanilis, Macasturnæ Comiti, fide, prudentia, fortitudine singulari, qui prima iuuenta ab Alphonsi IJ. Ferrariæ Ducis cubiculo in militiæ disciplinā profectus sub Carolo Emanuele Allobrogum Duce Tyrocinij rudimenta deposuit, Bello Pannonio sub Rudolpho Cæsare in exercitu subsidiario Canisium misso, parē honestissimis stipendiis virtutē exhibuit Sub Ioāne Francisco Aldobrādino Coroatia expeditione Ecclesiastici exercitus Imperatore mille ac ducētorū peditū agmē insigni cū laude duxit, à Venetis inter

inter primarios Duces adlectus rebus trepidis Brixiæ, Bergomi, Cremæ vniuersas Reip. copias rexit. A Clemente viij. P. M. Priuilegijs amplifs. auctus. Ab Henrico iv. Gallorum Rege in Cubiculariorum ordinem relatus est. sub Paulo Quinto Pont. Max. primùm apud Picentes, indè aqud Perusinos, & Vmbros Castrorum præfecturam gessit. Bonifacius Beuilaqua S. R. E. Card. Fratri vnicè dilecto mœrens posuit. Vixit Ann. XLV. Obiit Ann. salutis M. DC. X.

In S. Maria supra Mineruam.

PEtro Sabinensi Episcopo, Cardinali Aldobrandino S. R. E. Camerario, Archiepiscopo Rauennati, magna apud Principes gratia & auctoritate, perpetua animi æquitate & constantia, domi forisque clarissimo, quartùm Legato, semper pio, liberali, magnifico, Principi optimo, Aldobrandina Familia sollemne funeris, publicum amoris dolorisque argumentum soluit iv. Kal. Junij. M. DC. XXI.

Ibidem.

QVisquis hæc spolia ingentis animæ vides, splendidum cape documentum mortalitatis tuæ: te Mors erudit, cum tales petit.

In D. Iacobi Hispanorum.

PHilippo Tertio Regi Catholico integerrimo, clementissimo, cuius Jmperium vix æquauit oriens omnia Sol, Potentiam sola Religio superauit, Hispanorum Natio P.
iij. Non. August. M. DC. XXI.

Huc

Huc vsq;, mi Svverti, calamo prouectus eram, non iam epistolam, sed fasciculum aliquandò obsignaturus. Cum ecce amici aliquot superueniunt, & consilium scilicet scriptionis huius odorati, Inscriptionum magnam siluam afferunt, longè plures pollicentur, ac quasi tum scribere inciperem, ita quisque obtrudere incipiunt suas. At ego defessus iam scribendo, qui tam multas illeuissem chartis, secedere ipsos imperaui, & in aliud tempus sarcinam illam Epigrapharum reijcere. Cupidus interim admoneri; videarne vtiliter & cum laude hunc laborem sumpturus. Et verò in Aula versantem, in qua mortales mortalitatis propemodum obliti tam anxiè, vt cum Tacito dicam, inter abruptam contumaciã & deforme obsequiũ per iter, haud ambitione & periculis vacuum, ad honores grassantur, insanire me aliquis existimet, si sepulcrales notas pergam eruere, quæ ipsorum breui auolantium, aut hominum breui intereuntium assiduè meminisse iubeant. Quanquã, alij quidquid garriant; aurea illa verba abs te vsurpata, meis auribus quotidie inerrant. ***Si mærorem vis vincere, circui sepulcra, & passionu inuenies remedium; & maximas hominum fortunas vlterius cinerem videbis esse nihil.***

Salue Svverti à Lauro tuo. Ex Vrbe Roma.

(?*?)

Epist. XCVII. Neapolim.

V.C. Andreæ Argolo Doct. Med. Io. Baptista Laurus S.D.

SVperioribus diebus fui animo ita perturbato propter nonnullorum, quos multis antea nominibus demerueram, peruicax aduersum me studium; vt nunquam libros æquè oderim & scribendi consilia: deberem licet compluribus amicorum, & quidem insignium, tuis in primis Vir doctissime, litteris responsum. Neque nunc; puto, calamum sumpsissem, qui ob interregnum in sicam, & gladium vertit, nisi Pontificijs Comitijs præter spem & opinionem meã impositus finis stimulasset, quæ nobis GREGORIVM Decimum quintum auspicato Antistitem Sacrorum summum, maximo totius Vrbis atque Orbis gaudio, peperere. Ergò ALEXANDER LVDOVISIVS, Archiepiscopus Bononiensis, doctrina eximia Princeps, singulari Iurisprudentiæ laude, longoque Aulæ vsu rerum experientissimus, Cardinalium omnium votis salutariter in vnum coëuntibus, Petri nauim gubernandam suscepit, &, vt principia se dant, felicissimo cursu, & secundissimis ventis, quamquam Bohemici, ac Turcici Aquilones etiamnum fremant, vsurus videtur. Iam ne quid lætis triste non misceatur, & vt, quantas lubrica verset fortuna vices, subindè rideas, qui rationibus ex Orbium Cælestium conuersione mutua altissimè petitis & excussis, re-

rum

rum vicissitudines omnium sapientissimè, acutissimeque explorare consueuisti: Nox, quæ fastigio supremæ dignitatis Ludouisios admouit, Aldobrandinam familiam miserè funestauit, extincto non fine bonorum, ac pauperum, quos insigni munificentia subleuabat, inconsolabili luctu, Petro Aldobrandino Card. Archipræsule Rauennate, quem lento morbo post biduum secutus est Ladislaus Aquinas Card. Episcopus Venafranus Sed mortales non simus, si adspicere, & perferre ipsi talia recusemus. Viuamus hilariter, Argole amabilissime, & euanidæ, vt sic dicam, felicitati statim à gratulatione, & plausu Epitaphium, & næniam paremus. Ex Vrbe. xx. Februarij M.DC.XXI.

EPIST. IIC. Ruræmondam.

Io. Baptista Laurus S. D. Henrico Bonero V. C.

TE sospitem, vt spero, ad Belgas tuos peruenisse, plurimum gaudeo, mi Bonere. quos sermonum tuorum sitientissimos fore arbitror; cùm tam multa, quæ proximè in Vrbe contigerunt, queas renarrare. Aegrè est quod per initia Gregoriani Pontificatus hinc discesseris, nec tripudijs & acclamationibus interfueris, quæ LVDOVICI LVDOVISII purpureas infulas excepere. Atq; hunc religione, ac iustitia longè instructissimum continuò Bononiensis Ecclesia Patrē salutauit; quemadmodum sub idem ferè

tempus Aloysium Capponium Rauennas. Petrũ Paulum Crescentium Vrbeuetana. Porrò Ben. Card. Iustiniani improuisus interitus, cui COSMVS Magnus Etruriæ Dux multo iunior funebri in stadio Florentiæ præluserat; noui Cardinalium habendi delectus Pontificem admonuit. Quarè innocentiæ, doctrinæ, ac nobilitatis in primis ducta ratione, Clarissimos Viros, in editissima Senatorij Ordinis specula assiduè vigilaturos, delegit, Ant. Caetanum, Franc. Sacratum, Franc. Bon compagnum, & Hippolytũ Aldobrandinũ, (nam Lucij Sanseuerini Archi. M. Antonij Gozadini, Vlpij Vlpiani dignitas post amplificabitur) qui omnes vnà cũ Guidone Bentiuolo, qui commodum è Gallijs rediјt Exlegatus, pridie huius diei suarum Inaugurationum comitia splendidè in Vaticano obiere. Non est necesse, me tibi perscribere, quantus lætitiæ, dicamnè ?vortex vniuersam Vrbem afflarit, tum quale Virtutis triumphantis, fortunæ triũphatæ, atq; traductæ spectaculum, bonis mirè fauẽtibus, publicè editũ fuerit. Ceterum ab optimo & sapientissimo Hierarcha omnia regaliter, sapiẽter: nosti illud ἐν ὀλβίῳ ὄλβια πάντα, quid quęris? nunquam Aula Genio oculatissimi Principis verius ac plausibilius litauit. Pergat sanè vt instituit, censu ordines non distinguere, sed probitati, & honestis artibus ornamenta conferre, vt gloriosa, quod fore augurор, sit ad posteritatem prouocatio: quæ nullo liuore res prudenter gestas candido calculo adnotabit, ijsque

abun-

abundè verisſimas laudes, atque æternitatem perſoluet. Fac valeas. Ex Vrbe Roma, IX. kal. Maij. M.DC.XXI.

Romam.

V.C. Io. Baptiſtæ Lauro Peruſ.

S P.D.

Doctiſs. ac Perilluſtris Domine.

Litteras quas iure debeo, quia decedens promiſi, en habes, obſequij & æterni adfectus mei veras teſtes; vtrumque tamen ſæpiſsimè coram feriò profeſſus ſum, & dum viuam, profitebor, quia comitate, virtute, & doctrina tua indiſſolubili voluntatum nexu me tibi obſtrinxiſti. Saluus & incolumis, Laribus propitijs Vialibus, poſt varias viarum moleſtias & per mille pericula belli, pridie Paſchatis Coloniā Agrippinam Moguntia veni: ibidem aliquot dierum ſpatio, propter exſpiratas Batauorum inducias, commoratus, vt commeatum mercatorum Antuerpienſium Francofurto haberem ſed fruſtra, ipſi enim per partes Luxemburgenſes iter redeuntes inſtituerant. ſic v. poſt paſchatis die, ſex acceptis in ſecuriorem comitatum militibus, Ruræmundam meam verſus profectus ſum, & feliciter ad meos altero die perueni. Aquiſgranum deinde cogitabam; ſed præſentia bellici rumoris, ſeu potius tumoris, pericula me iturientem deterruerũt, imò detinuerunt. Nã in tan-

to metu Ciuitas modò versatur nostra, vt ne ad primum quidem lapidem passus proferre liceat. Sed visne quid noui? omnia huius Patriæ militum præsidia antè paucos dies circa Traiectum ad Mosam conuocata, & congregata sunt; sed subitò rursus singuli ad sua remissi, aliqui in alia transmissi: quarè verò hic motus fuerit, incertũ est. Marchio Spinola victor, & expeditissimus Palatinatus domitor, summo Aulæ, totiusque populi triumpho, Bruxellæ redux exceptus est: & omnia firmissima Principũ Protestãtium fœdere, iam tandem pacata reliquit; milites eorundẽ exauthorati. Verum quisque Principum peccatum suum graue grauiore pecunia redimere coactus est. Ipsi autem Palatino (qui in Hollandiã fugit) induciæ ad xiv. Maij datæ sunt, antè quem elapsum diem vt compareat, & Cæsari pareat: sin minus, Palatinatus, quẽ pridem aufugiens reliquit, tum Imperatori Domino parebit nouo. Electoratus dignitate Dux Bauarus (vt aiunt) decorabitur. Hagæ Comitis tres nobiles Viri capite nuper plexi sunt, quos proditionẽ cuiusdã Prouinciolę (die Betauu dictę) in Batauia, ante plures annos molitos simul fuisse, falsò accusabant, & sic innocentes Viros, quid ni Triũviros? nocentes accusatores, & simul iudices, immeritæ morti adiudicarunt. De obitu Regis Hispaniarũ non est, quod scribã, ne vobis memoriam refricẽ. Inter Filiam verò huius, & Anglię Filium matrimoniũ contractum dicunt; quod si sit, Deus secundet, ad maiorẽ Christianę Rei-

Reipub. salutem, quem, vt Dominationi vestræ multos felices annos (quos sæpius iterās dextra computet) benignè impertiatur, rogo. Vale Vir Clariss. Ruræmundæ M. DC. XXI. Kal. Maij.
Tuus æterno cultu & adfectu,

Henricus Bonerus.

EPIST. IC. Romæ.

Sfortiæ Marchioni Pallauicino S. D.
Io. Baptista Laurus.

VIx vllis verbis assequi valeam, quantæ mihi voluptati fuerit, quod lucubrationes meas tanto affectu cōplectaris, lectites, adeò, & laudibus liberalissimè extollas: si modò Frãciscus Laurus nō falsa nobis renunciauit. Enimuerò facis pro ingenita tibi nobilitate, & cura erga bonas Artes singulari, qui aliqua non alieni à Musis ingenij scintilla prælucentes, tam candidè amandos, fouendosque putes. Quàm vellem posses verius de mediocritate nostra & sentire & loqui, qui ætate vsque adeò tenera sub Musarum vexillo strenuè militas, ab ijsdem amplissima gloriæ stipendia relaturus. Ac fuit aliquandò tempus, cum nos, ecquæ Artium foret præstantia laudandarū, non obscuro argumento videri potuimus intellexisse; sed nimirū Aulæ caligo quædā mirum quantū offecit ingenio, vitiūque oculis maximū intulit, ad abdita & retrusa nonnihil anteà perspicacibus. Quarè in præsens, quemadmodum cum Vmbris & Manibus Tiresiæ res dumtaxat erat, nec loca nisi

nisi tenebricosa & funesta incolebat: sic auersus à disciplinarum luce meliorum, in ignorationis tenebris oberro, ac satis hactenus habui, si ignorantiam meam didici non ignorare. Tu verò adolescens nobilissime, perge stimulis lógè in dies acrioribus ad summa virtutum eniti, maturiore vt ætate tui similibus Principibus exemplo sis. Neque ego ob illud vnum cumulatissimam tibi debeo gratiam, quod prolixam erga nos beneuolentiam, & profitearis, & præstes: verum etiam quia cum Excellentiss. Duce, Fuluio Corneo, Patrono meo peruertere, necessitudo fraterna tibi intercedat, quem scio, recens hæc deditissimæ voluntatis declaratio perindè delectarit, ac si rursus in ipsius, hoc est, Principis apud Perusinos Familiæ nomen augustissimum iurarem: cuius erga me, meósque ingentia beneficia quàm diu mihi viuere contigerit, ita diu impressa in animo habiturus sum. Vale, ex Aedibus in Vrbe.

EPIST. C. In Tusculanum.

Alexandro Montalto Card. Episcopo Albanensi Vicecancell.
Io. Baptista Laurus S. D.

NEque nunc primum, neque vnquam mediocriter, sed diu antè maximo flagraui studio meę tibi singularis erga Te Princeps Cardinalis, obseruantiæ declarandæ. Iam cum amico homini deesse non possim enixè roganti, te

vt

vt vel alieno, hoc est, suo adeam nomine, cur nõ eadem opera audere incipiam & meo? præsertim gnarus, non minus esse in te nobilitatis, quæ deterreat, quàm humanitatis, quæ alliciat. Agam igitur meam, & Cæsaris Gualterij caussam, qui gratię atque auctoritati tuæ nullum non officiorum genus iampridem debet: ego verò impensius debiturus sum, si quibus litteris absentem appello, spe prærepta hic te propius alloquendi, qui dies complusculos in Tusculano commoraturus diceris, eæ abs te non grauatè admittantur. Nam cum ob calores vitandos me superiore Aestate in Patriam recepissem, sæpius ad Ducem Corneum diuertere solebam (Plebanum enim secessum fortè Perusinis Aedibus post habuerat, quod mihi ab Aula ferianti periucundum accidit) quicumque autem ad illum ventitabamus, non ingrata sermonum varietate diei tædium plurimũ lenire nitebamur. Nec semel Gualterij cogitata de hac Vrbe, à Tiberis exundationibus vindicãda, seriò ac meditate inter nos excussimus. Quid quæris? inuitati à Cęsare complures alij rerum eiusmodi acerrimi ęstimatores (honoris gratia nomino Angelũ Iustinianum, & Io. Franciscum Martium ex Soc. Ies. tum Io. Thomam Giliolum, & Iosephum Nerium) rem totam coram Fuluio Duce, pariter acutissimè disputante, suis momentis examinare ac perpendere aggressi sunt. cum ego subindè multa in medium afferrem quæ oculata fides hic factu fore difficilia suadebat, aut

melior sensus aliquandò malè cessura non malè ominabatur. Quid tandem censes Viros eruditissimos statuisse? iuxta Gaulaterij sententiam pronunciarunt. nimirum videri optimum, si ingruentes Aquæ ad hunc prohiberentur modum. Vt vel ijsdem, antè quàm Vrbi propiores fierent, liberior pateret excursus; vel quædam flumina in Tiberim erumpentia, alicubi modicè detorquerentur; siue vndas ad certam regulam agerent ac moderarentur suas; & quà longe ab originibus coërcerentur in angustum, qua positis obicibus, recenti patefacto aditu, decliuiora in loca corriuarent: siue vt singula hæc denique in vnum referrentur, quemadmodum ipsemet Cæsar quadriennio ante, scripto ad Patres aliquot ex Senatu vestro Commentariolo, luculenter docuit. Ceterum quam disputationé fortassis alius iusto volumine comprehensam in lucem emiserit; eandem sic contractam, & ad veri libellam reuocatam, hisce ego litteris tibi Princeps, testatissimam, atque exploratissimam obieci. Tibi, inquam, cuius auctoritate ab hinc quinquennium, Romano Populo flagitante, & permulta Cæsaris nominibus conducibilia annuente, ac stipulante, in publicas tabulas, quibus & Pauli V. calculus accessit, tota illa Tiberina ratio relata est, de qua (nisi, quod malim, Perettis vobis id Superi reseruarunt) te saltem auctore, à Pontifice aliquo inchoanda, perficiendaque, ne periculum posthac ab Aquis ingruentib. Vrbi immineat,

cer-

certissimum augurium Cæsar capit. Alia Virgilius Ceparius, cum redieris; qui vnà cum Grassij & Gambergerij placitis, Gualterij opinionem comprobantibus, facere etiam Clariss. Entij Bentiuoli sententiam indicauit. Vale Cardinalis amplissime, & eorum conatibus, qui iuuare rempub. pro virili conantur, quantum potes studiosè faue, vel quia sic te decet Principem, Christiana in specula excubantem, vel quia ad beneficentiam natum sic decet Alexandrum.

Romæ.

Finis Centuriæ Primæ.

IO. BAPTISTÆ LAVRI PERSINI EPISTOLARVM Centvria II.

EPISTOLA I. Perusiam.

Io. Francisco Herculano S. D.

NIMIS graui sarcina conuiciorum, Herculane, Aulam, nosque eam ineuntes, oneras; à qua pium quẽque & excultum litteris, velut à Circæo poculo, ac vultu Gorgonis, conaris absterrere. subindè quereris, quod serò admodum resciueris. re enim integra tot me machinis oppugnasses, quoad de sententia deiecisses. Factum; nec facti pœnitet, & consilium istuc tuum, tametsi ab amore profectum, ea tantum in parte laudo, qua me ad vitæ tranquillitatem vocas, & facundè doces, quo me fruar ipso; quandò ad posteros in hac fortuna, cogitationem referre, superuacaneum est. Ac tu quidem, non dicam ex animi tui angustijs, seu scrupulis, vt nonnulli loquuntur; sed ex gnomone & regula vulgarium hominum Aulam metiri voluisti; nec est mirum, si deceptus videare. Nimirum imposuit tibi quorumdam auctori-

ctoritas virorum, valdè id genus hominum vituperantium, qui ambitiosa iactura libertatis, Principum stipant latera; iisdemque ad nutum inseruiunt. Neque ego id nunc contendo, vt eam opinionem tibi ex animo euellam: quin hoc totum à me vltrò habe, cui fortaßis etiam auscultaſſem, ſi tum cum impetu neſcio quo Romam rapiebat, tecum communicaſſem, perſuaſiſſemque mihi communiter verum eſſe, quod omninò aliter deprehendi. Igitur Aulas ſaltem aliquot, qualiſque in primis ea foret, in quam ego nomen dedi, odorari antè debueras, quàm ſentinæ, ergaſtuli, aut quodvis contumeliæ vocabulum imponeres. Nec enim quia Thais Alexandrnia erat, continuò mulieres omnes Alexandrinæ, deploratæ fuiſſe pudicitiæ dicendæ ſunt. Conſultò τὰς πολλὰς τῶν πιλῶν miſſas facio, & vocare in diſputationem nolo, plura nè alibi virtutum, an vitiorum præſtò ſint auctoramenta. Sat noui noſtræ parietes domus & conclauia; quàm nulla hic ſit ſeruorum colluuies, nulli aſſentatores, factioſi, moriones; nullus fucus atq; impoſtura: verum ſimplex & aperta nobilitas, quæ Principis ſanctitatē, prudentiam, magnanimitatem admirata, rebus eius intereſſe voluerit ad diſciplinam, non ad cenſuram; vbi nullum Domini ſupercilium, ſola Patris & Patroni caritas, fides, clientela. Haud hic veluti Leones chordula vincti, ſurſum ac deorſum circumferimur. ſunt deambulationes liberæ, otium & ſolitudo, qua quid optabilius

lius in clamosa omnium Vrbe & negotiorum plenissima? porrò cum huc voluntate Numinũ sum delatus (nam secundum ea Io. Baptistæ Cardinali Lenio id beneficij acceptum refero) quietem meopte ingenio perfamiliarem & tutissimum perfugium offendi. Quamobrem putaui in his Aedibus esse me tanquam in portu, tanquam in theatri cuneo aut orchestra; vnde & multorum cernerem naufragia, per hoc mare aulicum, parum secundis ventis vela facientium; & quotidianarum Tragœdiarũ spectator forem, viderem q; in scena modò Agamennonas, modò Hercules, paulò post foris depositâ personâ, hunc nõ sine ludibrio Polũ fieri, illũ Aristodemũ. Et quidem, si fidem ijs habeam, qui se amplissimæ deuouere Vrbi, quot, quantasq; infeliciũ Aulicorũ in promptu sit, persensere vexationes & dehonestamenta? quæ dum memoria repeto, misereor pariter & rideo: quandoquidem me (sic Deus faciat cum ea mente consenescere) nulla torquet ambitio, nulla spes & cupiditas inescat, præsertim ex quo miser domestico illo funere, sum coactus odisse vitam, quæ bono cuique nihil demum est aliud, nisi fumus, vmbra, vanitas. I nunc, & Aulicitatem nobis vitio verte. Has litteras iubeo te iterum ac tertiò relegere, sed cum rubore: hoc supplicio errati veniam impetrabis & Valebis. Romæ. CIↃ. IↃ. CXII.

EPIST.

EPIST. II. Bononiam.

Philippo Masſinio I.V.C.

BONONIAM te fuiſſe accerſitum, in celeberrimum Italiæ Theatrum, ad Ius Ciuile profitendũ, incredibiliter lætatus ſum, Maſsini eruditiſsime, non tam eius Gymnaſij bono, quod te virum doctiſsimum, ætatis noſtræ lumẽ atque ornamentum, nactum ſit; quàm communis Patriæ nomine, cuius honori accedit, quidquid vbique ſplendoris præſtantes filij indipiſcuntur; cuiuſque gaudium eò quidem ſit vberius, quò, inter tot ciues atque alumnos ſuos, quos diuerſis temporibus in lõgè varias doctrinarum officinas, hoc eſt, nobiles Europæ Vrbes, dimiſit; tu ad eam vnus feliciter es perductus, ad quam vni duntaxat Patrum memoria, vix fuerat aditus patefactus. Patauij enim publicè è noſtris docuere, quos memini parentem meum mihi nominare, Oradinus, Mattheolus, Benincaſius & Sfortia Oddus, qui non hanc modò Academiam illuſtrauit, verum etiam Maceratenſem, Piſanam, Ticinenſem, Peruſinam & Parmenſem. Vbaldus autem, qui nunc Romæ Auditor Rotæ in maxima exiſtimatione viuit, Mamertinam & Auenionenſem. Vnus Ranaldus Ridolphinus, vir inſigni Iuriſprudentiæ atque eloquentiæ gloria conſpicuus, Piſis in Patriam reuocatus, ad conditionem Bononienſem, quæ ei offerebatur, animum adiecit; profectuſque

esset, si per Summum Pontificem Sixtum V. licuisset. Perusię igitur se continuit, eo contentus; quod honorificum sibi visum erat ab illustri Senatu vocari, multò honorificentius à tanto pontifice retineri. Tu verò omnium eximius, obita semel atque iterum Pisis interpretandi prouincia; prætereà apud Firmanos pluſculum, apud Papienses plus decennio commoratus: nunc demum Bononiensem Palæstram, doctis approbantibus, es ingressus. Felicem Patriam! si vnquam alias, quæ celebrior hac tempestate censeri debet, Legum nexus de superiore loco enodantibus, Ballarino Pisis Maceratæ Nino, Firmi Gherardio, Salerni Ciardolino, pignoribus carissimis, ac te Massini in primis Bononiæ, omnium coripheo; quem & ob alias ingenij dotes ac sermonis festiuitates, à Musis confertim attributas, vnusquisque veris laudibus in Cælum tollit. Ego, quo coram studio aliquandò colui, eodem è longinquo reuereor; & tantam Numinis benignitatem in te veneror atque exosculor. Vale. ex Vrbe.

EPIST. III. Romæ.

Hieronymo Signorello Abbati.

BENE sit Manibus Saluuccij nostri, qui tam belllam Epistolam nobis recuperauit, dignam mehercule, quam in monumentis rerum gestarum incisam, aut æneis expressam formis, transmittas ad posteros, cùm familiæ tuæ, tum

Pa-

Patriæ communi futuram ornamento. Nam & amplissimus Cardinalium cœtus ad Rodulphũ Signorellum filiosque scripsit, idque tum maximè, cũ sublato interregno, ab obitu Leonis Decimi, Hadrianus Traiectensis absens, Pontifex renunciatus est; ac Pompeius Columna & Alexander Cęsarinus Cardinales Legati, Romam vt deducerent, ad eum missi. Litteræ autem amantissimè fuerunt scriptæ, quippè in obitu filij cõsolantes, & de priuata ipsius domus, ac publicè Romanæ rei iactura conquerentes, strenuo Duce Fabricio Signorello, in Aemilia morte immatura prærepto: deniq; Binum fratrem, ad eadem militiæ decora euocatum, Fabricij muneri præficientes & Clusinis prouentibus, annuoq; vectigali locupletantes. Harum litterarum, quas remitto, exemplum mihi desumpsi, itidem vt illius membranæ, in Bibliotheca Cardinalis Pisani, à Hieronymo Valentino repertæ, in qua egregiè describitur Equitum Draconariorum institutio, à Sigismundo Imperatore facta, Virorumque nomina apponuntur, qui in eum ordinem Romæ ab ipso sunt relati. Ac quandò eo in Albo adest Ioannes Signorellus, gentilis tuus, in hunc, vti præcepisti, Inscriptionem Imagini subscribendam, informaui; qua tantisper vtaris volo, dum vetustiores excutias historias, ac facinus vnum aut alterum illustre deligas, vt proprio à nobis decoretur elogio; quamquàm non vulgare istuc videri debet, quod dignus à tanto Imperatore sit iudicatus,

qui Aurei Draconis insigni, inter præstantes virtute ac nobilitate Duces, cohonestaretur. Vale. Romæ ex Aedibus.

IOANNES SIGNORELLVS PERVSINVS.

Quē Sigismundus Imperator, anno M·CCCCXXXII. ab Eugenio IV. Romæ tertiùm coronâ donatus, dum triumphali pompa Capitolium petit, in ipso Aeliana Arcis Ponte, unà cum præstantibus XL. Viris, Equitem eius ordinis creauit, cui, antè annum XXI. Kal. Mart. quo die Aquisgrani primum coronatus est, ab Aureo Dracone nomen indiderat, & D. Gregorij tutelæ commendarat.

EPIST. IV. Perusiam.

Iosepho Nerio I.V.C.

NIMIRVM placet tibi admodum diutina nos expectatione torquere, & vota omnium suspendere, quæ tuâ Politica παράδοξα sibi tandem repræsentari flagrantissimè cupiunt. alios quidem moderatius id ferre decet; quorum animus nostra duntaxat prædicatione in hanc spem est erectus. me verò pudet perbonam legendi ac sublegendi occasionem prætermisisse, qui totos sex menses apud vos fuerim, ac sæpius tecum & cum Leontio de ijs sermonem habuerim. Profectò etiamnum occupationibus meis obirascor, quibus est factum, leuiter vt petierim, aliqua non extorserim. Neque tu adeò extra culpam; quotidie affixus τοῖς νομικοῖς καὶ μαθηματικοῖς, qui diuidere diem atque asi-

asſiduam Peruſinæ nobilitati, publico in Gymnaſio, nauare operam iubebant. Ceterum imminent Autumnales feriæ (æſtiuas enim quid huc vocem, quæ præfractos caloribus animos iubent interquieſcere, & Aeſculapio magis curæ eſſe ſolent, quam Apollini?) per eas velim opus perficias, ac, niſi feſtines edere, ne nos amplius differas, & particulam ſaltem mittas. Si quidem poſt aliorum Politica, Axiomata, Aphoriſmos, Hypomneſes & Obſeruationes Aulicas qualeſcumque, quarum πολυχωλαὶ γνῶμαι obtorpuerunt iam, & nouitatis gratia deſtitutę; à nobis aut negliguntur, aut ſubfrigidè tractantur; Paradoxis tuis Admirationem ſolidam reſeruauimus. etenim multicolor varietas, quaſique nouorum Paradoxorum Iris, iure apud omnes matrem Taumantem agnoſcet. Vale. Romæ.

EPIST. V. Auximium.

Petro Stephano Gallo.

ET ſi mihi in humanitate tua magna ſpes erat, daturum te non grauatè occupationibus meis veniam, quæ me hoc tempore erga amicos parũ officioſum videri cogunt: vt te mihi tamen facilius placarem, nec fruſtrarer diutius expectationem tuam, iuſsi Iulium iſtuc proficiſcentem, ad te afferre vnà cum Bonciarianis litteris, Lyricum in Aquam Paulam, & Deſcriptionem illam meam Sacelli Burgheſiani, quod ſumptu munificentiſsimo nuper

extruxit in Exquilijs Paulus Quintus. Audio & alios in idem argumentum carmen emolitos: ego sanè præuorti, & octiduo ante indictam publicè supplicationem, in qua, purpuratis Patribus deducentibus, Imago Deiparæ religiosissimè erat circumferenda, &, obito cliuo, in pulcherrima Fani parte collocanda, Summo Pontifici obtuli, dum in eodem Sacello vnà cum Iacobo Serra Cardinale per otium picturas, statuas, absidem, odea, ceteraque quaquauersum inspiceret ornamenta. Adieci præterea hisce heroicis, ne non fœnerasse tibi meam cessationem intelligeres, Scipionis Francuccij Etruscum poëma, viri excellentis, & nobis beneuolentia coniunctissimi; in quo eleganter atque artificiosè Pictorum ac Statuariorum præclara opera ad viuum expressit, quæ in Aedibus Cardinalis Burghesij conspiciuntur. Illi Italicè Galleria, mihi ad similitudinem depictæ apud Atticos & Eleos porticus, Poecile appellatur. egregia est scriptio, poëticæ eloquentiæ vbique sparsa luminibus, &, vti de rebus vetustate insignibus, æquè ipsa est insignis, & ab Archetypo eorum, qui finxerunt delinearuntque, non recedens, ad paucorum ea peruenit manus, & sui desiderium tanto acrius excitauit, quanto, vt manet in vulgus, typis commissa, Aulici acutiores certis de caussis planè desperant. Tu fruere, & nos ama.

Romæ.

EPIST.

Romam.

Marcus Antonius Bonciarius Io. Baptistæ Lauro S. D.

EX quo Lyricum tuum accepi, non contigit mihi, vt quemquam viderem è doctioribus amicis. Sed non dubito, quale mihi visum sit, tale illis, atque omnibus visum iri, elegans, venustum, eruditum. Hæc nimirum deerat Aqua Calci concinnandæ, ad magnificũ & stabile tuo nomini ædificium moliendum. Nisi magis ad Aquam tuam spectat iocus, qui nunc se sub calamo ingerit. Ausculta, Cognouisti de fama, vt arbitror (nos etiam de facie) virum mirè actuosum insigni festiuitate ac prudentia præditum alij Montem Valentem, Alexander Cardinalis Farnesius Multum Valentem appellabat. Is Pio V. Pontifici ad sepulturam construendam marmora exquisitissima, non magno dispendio, at incredibili celeritate comparata, Romam aduehenda curauerat. Pontifex ipse & illustris Cardinalium aliorumque Procerum corona cum circa essent spectantes, dilaudantes: obrepsit in occasiuncula Valens Curator, & O, dixit, Pater Beatissime, dicam nunc tibi, quod olim Diabolus Deo. Mirantibus circa singulis, & Pontifici, quid vellet, requirenti; DIC ô Domine inquit, vt isti lapides panes fiant. Re intellecta, strenuus emptor multorum aureorũ pensionibus donatur. Felicem, inquies, Montem mi-

hi narras, qui lapides aureos, imò auriferos pariebat. sed quid istuc in præsens ad me? Multum Laure, multum. Confer Euangeliū Christi discumbentis cum Euangelio Christi ieiunantis; visurus es, quæ ad impetrandum valent, cum sis ipse pariter Valens, plura tibi suppetere, quam illi suppetebant. Quid enim? Ille orabat pro lapidibus panes, tu oras pro aqua vinum: ille in solitudine deserta, tu inter celebritatem nuptiarum: ille propter extruendum sepulcrum, tu propter adstructam immortalitatem. Et quanquam Dominus vtrique negare visus erat, alteri dicens: NON in solo pane; alteri, QVID mihi & tibi mulier; tamen Virgini subauscultauit, fuitque mox liberalior, quā fuerat rogatus. Quid quod audio (& minimè miror) exceptum te, tuamque Virginem à Paullo Pontifice perhumaniter! Quarè non dubito, quin propediem gustaturi simus Aquam, Vinum factam. De fœtubus in propinquo edendis vera tibi nunciata sunt. In eo fallunt, quod non damus tertium, sed reddimus primum Epistolarum Volumen longè auctius & ornatius. hoc commodum egresso, contendent de loco infantes duo, qui nunc vterum pulsant, ingenio penitus diuerso, Encomium & Apologia. S. Carolus laudatur, recens Oedipus defenditur. Dialogum de Poësi tantisper adhuc premere habeo; dum compareat Pauli Benij Commentarius. hunc nunciant esse in via, propediem præstò futurum. Est inter cetera hoc nobis valdè incommodum, quod alios hic Typographos non habemus

bemus:& Venetias mittere absentes ipsi non audemus. Ergò æquum est ferre amicos hanc moram, quæ admodum diligenti & exquisita castigatione pensatur. Illustrissimo Cardinali Lanti communi Patrono iampridem meo, nuper tuo precor à Superis tantam molem regalium factorum, vt duas Musas æqualiter fatigent, meam Vraniam & tuam Calliopem. Vale. Perusiæ III. kal. Nouemb. CIↃ.IↃ CXII.

EPIST. VI. Romæ.

Io. Baptistæ Bottinio I.V.C.

ACCEPI nudius tertius apud me in prandio Ioannem Lago Ceruinum, præstātem Medicum, è Cimbrica Chersoneso, nuper in Italiam aduectum epulas, in quibus lex sumptuaria non neglecta, condiuimus vario genere sermonū: Lusimus, risimus; studuimus: multa homo retulit mira de Daniæ regno; vera esse affirmauit, quæ contemptim legerā de Henrico Suetiæ Rege, Ventis imperitante, ac de Finnis populis, qui mercatoribus eosdem venales proponunt, deq; Academia Rostochiana, in qua Danus quidam nobilis, & vir acutissimus Ticho Brahe, haud ita pridem Mathemata, atque altiores disciplinas pertinaciter ad æmulationem didicerant. Inter quos cum obortum esset subitum dissidium, quandò à verborum conuicijs in vltionem gladiosque exarserant, Danus Tichonem egregiè denasauit; qui,

exindè subdititium sibi, haud quidem è cera, sed ex auro argentoque conflatum, nasum agglutinauit, tam appositè, tam decenter, vt verũ quiuis meritò dijudicaret. indignatus sum, homini doctissimo illatum ludibrium, ac statim memini nonnullorum Iureconsultorum, quibus fuerat aut nouaculâ dehonestata facies, aut ferro decurtata tibia, fractus talus, abscissus pes; perindè ac fatum clarorum virorum foret, clade aliqua affici, multari, deformari, paulò post risu à nobis exceptus, denasatus Astronomus, plerisque ex Nasificina à me per deridiculum repetitis exemplis. in his en[illegible]ugator ille Madaurensis, insignis, quamuis miserè perfrictis oculis dormitator; cui cantatrices Aniculæ per somni nebulam nasum detruncauerant. alius item à quodam Gallo, Diuionem petenti, monstri similis subnotatus; & factum memoraui. ipsum nepé cubitum discessurum, post detracta tibialia, thoracem, reliquum instrumentũ viatorium, altera palma super verticem posita, tribus dexteræ manus digitis sibi sustulisse cæsariem; tum dentes, quos ferebat exemptiles, ab ore accepisse; mox nasum manu prehensum, cũ huc atque illuc, tanquam ex cardine mouens, flexisset, subitò euulsisse, & supra linteolum iuxta cæsariem collocasse. nec omisimus Aeliam Martialis, quæ emptitijs dentibus & capillo vteretur. Porrò Tichonis, quod cupiebam maximè, in cuius ego scriptis operæ plurimum atque industriæ posui, persecutus est Astrologici studij

ſtudij rationes; celebrem illam ædificationem; quam Vraniburgũ appellauit, in Inſula Porthmi Danici Huæna, ad oram videlicet maris Baltici conſtitutam, nimirum ſuper impoſitam & penſilem vitream Domum, cuiuſmodi apud nos ſunt ædium turriculæ, ad colligendos citra Cæli iniuriam, Stellarum motus: eiuſdem, ad arcana Chemicorum corporum ex arte rimanda, & ad errantium Siderum, fixarumque Stellarũ & cæleſtium Orbium excutiendas periodos, ingentis magnitudinis inſtrumenta; quæ, præſertim Mathematica, cum parum inter eum & Daniæ Regem conueniret, defeciſſetque ad Rodulphum Imperatorem; duobus & viginti coronatorum millibus ab eius obitu coëmit Imperator. Veneno autem propter inuidiam fuiſſe necatum; non, vt vulgarunt quidam, in cena cũ plus nimio ſe poculis inuitaſſet, ac valdè micturiret, dum præ pudore vrinam non eijcit, animam eieciſſe. Ceterum non ego pluribus te onerem Bottini, qui haud dubiè adhibitus conuiua, libentius audiſſes narrantem, nunc fortaſſe ieiunus, meritò odiſti de rebus leuiculis tantum verborum facientem.

Vale. Ex Aedibus,

(?*?)

Epist. VII. Romam.

Alexandro Magio Vtriusque Signaturæ Referendario.

PVDET me vehementer, Magi eruditissime, iudicium tuum, quo nihil expertus sum candidius, humanius, amicius, non prius exquisiuisse, quàm pauculas hasce Epistolarum mearũ decurias in publicum emitterem. Profectò emẽdatiores floridioresque prodijssent, & tam vndique scatentes Gratijs, quàm ipsæ, vnà cum diua Flexanima, quæ Græcis dicitur πειθὼ tuis sessitare in labris gloriantur. Locorum interuallum si caussarer, minus prudenter facerem: quantulum enim denique distabam Roma? & commeare vltrò citròque scriptiones potuissẽt, bis in Hebdomada Veredario commissæ. Sed exiguum spatium hic magis ad otiandum, quàm ad lucubrandum datum, & temporaria impetrata missio, dum se Tuderte Cardinalis meus continet, nimium quantum vrgebant. Quarè nobis ad Illustrissimum Dominum noui aliquid, ex ingeniolo nostro depromptum, afferre gestientibus, ventis remisque properandũ erat: ac iussimus Operas & Typos vsque adeò feruere, mirum vt sit, ni Liber multis mendis oblitus appareat. Vt taceam obturbantia amicorũ studia, & plusculum curarum domesticarũ sublatum, ex quibus ingens tædium contrahitur in ijs recognoscendis, quæ subindè reuocantur ad prælum. Quin ex eo festinationem nostram intelli-

telligas licet. Neapolionem Comitolum Episcopum (nosti Virum peritia linguarum, & disciplinarum varietate elegantissimè florentem, quem negotiorum tumultus & Ecclesiastica dignitas à Musis mitioribus nunquam auulsere; cuius consilia plusquàm paterna quibus Iuniores plurimum profecimus, nûc maturiores persanctè exosculamur) Comitolum, inquam, ipsum ad hanc cẽsuram vocare, religio fuit. Minus enim otio, quod Schedia nostra, accuratè emaculanda, efflagitabant, abundabat: addictus vtique studijs sacratioribus, nihilque non curarum ad crediti excubias gregis conferens. Peperci igitur tuis humanissimis auribus, Præsul litteratissime, pœnas, opinor, daturus nõ exhibitæ molestiæ, quam sanè, si editionem in Vrbe adornassẽm, exhibiturus istic fui non modò tibi, sed etiam Quærengo ac Stradæ, quorum eloquentiam cum summo candore coniunctam, semper, vti par erat, magni feci. Nec verò hoc loco nisi honoris gratia nominauerim, eruditorũ longè Principes, Maphæum Barberinum Cardinalem, ad quem Alphonsus Alexandrius, sexdecim ab hinc annis, Perusiæ me deduxerat, cuius gentilitiæ Apes nobis quotidiè Scriptorum mel suauissimum propinant: & Scipionem Cobellutium S. Susannæ Cardinalem, cuius amplissimæ dignitati Cl. Ansidæi applaudunt Manes, à nobis ob id præsertim culti: quòd Viro sapientissimo olim me clientulum obtulerint. Tu Magi præstantissime, si qua potes, quandò peri-

periculosæ plenum opus aleæ aggresſi sumus, obſequentiſsimi tibi capitis tuere partes, ac foue partus; quos nunc verius aborſu eijcio, quàm tempeſtiuè pario. Vale. Peruſiæ. Prid. Id. Iunij CIↃ.IↃC. XVIII.

EPIST. VIII. Lucam.

Christophoro Lauro Patruo Equiti Hieroſolymitano.

QVEM librum de D. Iulia Carthaginienſi, nuper in otio Liburniano abs te conceptũ, Lucæ edidiſti, eò libentius lectitaui, quòd veluti honorarium viſum ſit memoriæ Iulij parentis mei, fratris tui. Quarè plurimum pietatem tuam laudo, cuius fructus deberi Cælitibus in primis putaſti: in quibus quoniam eos delegiſti, quorum nomina, alia noſtrorum propè obliuioni tradita, ad lucem reuocarent, dupliciter gratulandum vtrique noſtrum cenſui; mihi ſic interpretanti, tibi iſta ſcriptione occaſionem eiuſmodi præbenti. Exempla dedimus, quibus imperaueras; ab ijs affatim regeruntur laudes, & pernegant affectui tributas, iudicio dictas, atque ex penitiſsimis animi receſsibus verè profectas. Etruſcas Fabulas, quas adoleſcens in ſtudiorũ leuamentũ ſcripſiſti, Typhographus vulgare apud nos iterum velit; idque, vt arbitrio tuo ſibi facere liceat, enixè rogat; ſimul fieri copiam emendatioris exemplaris. ſi annuas, tametſi

etsi anteactæ ætatis lusus illæ leuiores sunt; grauioris hunc fœtum pollicetur se postea recusurum. negandum non videtur, quandò & inuitis nobis posset, tibique interim fœnerabit, liberaliter indulsisse. Illud monuerim, in lucubratione Iuliana, Lucij Cornelij Scipionis Barbati mentionem faceres, quem de Corsis triumphasse, Capitolinę notant tabulæ: nec Antiquitatum studiosis iucundum non erit meminisse lapidis, Romæ nuper ad portam Capenam effossi, eiusdem Scipionis res gestas commemorantis, estque apud Franciscum Augustinũ, nobis Gratiarum fœdere coniunctum. is vetustissimam inscriptionem cum P. Iacobi Sirmondi, & Hieronymi Aleandri doctis explanationibus edidit, ego veredario proximo committam. Vale, Andræam Moriconum Proëpiscopum iubebis à me saluere & à Corrado. Perusiæ.

IX.

Georgio Richio.

AFFECTVS sum varie litteris tuis, in quibus fortunam ipse tuam primum demiraris ac prædicas, quæ te in potentissimi Principis familiam consuetudinemque adduxerit, cui sis domesticus in paucis; deindè acriter quereris, quod ille in omnes munificus, erga te pręparcus videatur; alijs, quæ nummûm millia sōniarint, aurea pocula, mensas eburneis innixas pedibus, solidos agros largiatur; tibi ne fictilem

lem quidem ollulam aut legumen: plures deni-que Crœsi talenta,& Midæ diuitias ostentent,tu euanidam quandam felicitatem ac mera somnia. proindè in calce litterarum vocibus adeò tragicis incandescis in auaritiam,vt pænè te dirumpas, teque ingens aulæ odium ceperit,quæ simul blandiatur & imponat; Ioui quidem carum reddat, verum aureas eius pluuias excipere non sinat, eundemq; vna opera amicum experiaris summum & ingratum herum. Enimuero mi Georgi,etsi stomacho efferuescenti plus nimio indulges, nec fortasis iniuria hominem perstringis, haud planè assentior tamen; ac si is ego sim,cui aulicum lenocinium malè obtrudatur,& hæc arrideat emasculata,vt sic dicam,felicitas; hoc me propemodum consoler & confirmem exemplo, quod modò inter scribendum occurrit. In aula Sigismundi Imperatoris famulus quidam multos annos militauerat,tam florens gratia, quàm inops à muneribus, quibus aulicum quemque sibi Cæsar deuincire consueuerat. haud alius ipsi acceptior, omnibus tẽporum articulis opportunus; quem, cum in alios foret effusè liberalis, nullis largitionibus prosequebatur. Vehementer hominem tanta heri in semet parcitas cruciabat, cum offerri opes ijs cerneret, qui vberrimè affluebant. Euenit,vt in Venationes exeunti Imperatori,Fluuius traijciendus esset: iuxta equitabat & seruus. Equus Cæsaris paulatim progressus, in amne constitit & meiere occepit. ridere homo & obloqui:

loqui: quàm ab Equo Sessor non degenerat! inquit. postridie Princeps dicterij rationem ab eo exquisiuit; qui rem sine circuitione explanauit. Fluminibus, Cæsar, mare non indiget, estque eius, qui desipiat, conferre aquam in fluuium; in quo tamen Equus tuus largiter vesicam soluit. ad hunc modum & tu Cæsar, sit dicto venia: aurum ijs donas, qui auri venis plurimum pinguerunt; amicis carioribus nihil, qui de tuo ne scorteum quidem nummum proferre queant. Atqui, respondit ille, scin' tu munera Principum reijci in auctorem Cælum, ac raro illos solere consequi, qui promeruere? porrò videamus, tuo nè id parum felici contingat genio, an ego vltrò in te sim restrictior. subindè afferri præcepit in medium duo inaurata vascula, quorum alterũ plumbo, auro alterum referserat: sic vt neutrũ præ cælatura, artificio ac pondere internosceres. tum facta, vtrum vellet, eligendi potestate, cum hoc atque illud diu manibus versasset: hoc inquit perplacet, quando mea est optio. reclusit protinus Cæsar. & plenum metallo viliore cum risu deprehendit, adiecitque: habes modò, quid accuses; liberalitatem meam profligauit infelicitas tua, idque aduersum te nostræ obstruxit largitatis fontem; in i[illegible]c quidquid potes sannarũ & scõmatũ, effũde. Tenes Georgi, quid hac narratiuncula voluerim: ne sis iniurius cuiquã, atque, vt aliquãdò scenã inuertat & in diuersũ reflet fauens ac spirãs felicior, quod monuit Ausonius, Fortunã reuerenter habe. Vale. in Vrbe.

EPIST.

EPIST. X. Castalionem.

Cæsari Caporali V.C.

EGISTI mecum, Cæsar humanissime, cùm heri obambulantem per forum offendisti, vt, quãdò te inuito, ad extremum Imago tui, iussu præstantissimi & ex primaria nobilitate viri, expressa iam colorabatur, ac propè erat, vt palã proferretur; duos concinnarem versiculos, eidẽ appingendos, quorũ sententia hæc esset. Vixisse te Romę in magna gratia apud Principes; excelluisse beneuolẽtia inter Aulicos; Oppidis atque Vrbibus cum dignitate præfuisse. ex eo tamen fortunulis tuis ne teruncium quidem accessisse; cùm alij benè nummati ab illiusmodi administrationibus in patriam reuerti soleant, ipse tunicato, vt aiunt, populo semper imperaueris, adumbratam Iunonẽ, hoc est, nullius rei principatum assecutus. Neque adeò egestatis caussam reticerem: nimirum pangendis versibus nauatam operam, & ex quotidiana Musarum consuetudine, obuenisse tibi hæreditarium ac solemne Poëtarum malum, miseram Paupertatem. Perlepidum herclè argumentum, idem etiam difficilè quatuor, sexuè carminibus, nedum Disticho, ad exp[illegible]andum. confeci autem duo, & quod minus inelegans est visum, Castalionẽ ad te misi; quò te hodie manè cum Ascanio Marchione profectum esse audiui. Vale, & amabilissimo Patrono officiosè meo nomine dic salutem. Perusiæ.

EPIST.

EPIST. XI. Perusiam.

Vincentio Giliolo I.V.C.

LAVDAS Epigraphen in Aedes Cincianas nostram, eiusque exemplum instanter poscis. dupliciter equidem in præsens erubesco, & quod recens natam, vt parum pudentem, non continuò abieci & discerpsi; aut saltem, ne adspiceres ipse, non prohibui. Quamquam monui hominem, qui extorsit; de prostituta Muliere Elogium prostitueret; si abnueret, vulgaret omninò sine Patre, ille scilicet fidelis parum, dum iubet esse in propatulo, & cuius copiã facit, ego nominor. Tu ab alijs petas, si res videtur tãti; vbiuis reperias potius, quàm apud me. Quẽadmodũ enim Græci olim flagris Famẽ ex ædibus extrudebãt: sic bona Femina Pudorẽ è penatib9; ego è memoria Inscriptionẽ exturbaui, me tamẽ excuso ipsũm, qui confeci; quod ita fuit homini obsecundandum, vt similes, quod dicitur habe-rent labra lactucas, posthac certum est, haud abuti calamo in eiusmodi nugis; quæ vt ingenium indicent, non perinde existimationem iuuant: & alioqui pręstat nescire quo emolito, debeas pudescere. Vale Romæ.

Eia de Perusino Lapide nunc demum occurrit, ne non eius generis aliquid; quod cupiebas, impertiam. pro comperto habeo, ipsum Perusiæ esse; vbi verò, quibus in Aedibus, ignoro. Venare tu Giliole, & exquire iudicia ac facem aliquam ab eruditis viris, qui istic rudia & antiqua marmora loqui docent

T DIuo

exindè ſubdititium ſibi, haud quidem è cera, ſed ex auro argentoque conflatum, naſum agglutinauit, tam appoſitè, tam decenter, vt verũ quiuis meritò dijudicaret. indignatus ſum, homini doctiſsimo illatum ludibrium, ac ſtatim memini nonnullorum Iureconſultorum, quibus fuerat aut nouaculâ dehoneſtata facies, aut ferro decurtata tibia, fractus talus, abſciſſus pes; perindè ac fatum clarorum virorum foret, clade aliqua affici, multari, deformari, paulò poſt riſu à nobis exceptus, denaſatus Aſtronomus, pleriſque ex Naſificina à me per deridiculum repetitis exemplis. in his e[illegible]ugator ille Madaurenſis, inſignis, quamuis miſerè perfrictis oculis dormitator; cui cantatrices Aniculæ per ſomni nebulam naſum detruncauerant. alius item à quodam Gallo, Diuionem petenti, monſtri ſimilis ſubnotatus; & factum memoraui. ipſum nēpe cubitum diſceſſurum, poſt detracta tibialia, thoracem, reliquum inſtrumentũ viatorium, altera palma ſuper verticem poſita, tribus dexteræ manus digitis ſibi ſuſtuliſſe cæſariem; tum dentes, quos ferebat exemptiles, ab ore accepiſſe; mox naſum manu prehenſum, cũ huc atque illuc, tanquam ex cardine mouens, flexiſſet, ſubitò euulſiſſe, & ſupra linteolum iuxta cæſariem collocaſſe. nec omiſimus Aeliam Martialis, quæ emptitijs dentibus & capillo vteretur. Porrò Tichonis, quod cupiebam maximè, in cuius ego ſcriptis operæ plurimum atque induſtriæ poſui, perſecutus eſt Aſtrologici

ſtudij

ſtudij rationes; celebrem illam ædificationem; quam Vraniburgũ appellauit, in Inſula Porthmi Danici Huæna, ad oram videlicet maris Baltici conſtitutam, nimirum ſuper impoſitam & penſilem vitream Domum, cuiuſmodi apud nos ſunt ædium turriculæ, ad colligendos citra Cæli iniuriam, Stellarum motus: eiuſdem, ad arcana Chemicorum corporum ex arte rimanda, & ad errantium Siderum, fixarumque Stellarũ & cæleſtium Orbium excutiendas periodos, ingentis magnitudinis inſtrumenta; quæ, præſertim Mathematica, cum parum inter eum & Daniæ Regem conueniret, defeciſſetque ad Rodulphum Imperatorem; duobus & viginti coronatorum millibus ab eius obitu coëmit Imperator. Veneno autem propter inuidiam fuiſſe necatum; non, vt vulgarunt quidam, in cena cũ plus nimio ſe poculis inuitâſſet, ac valdè micturiret, dum præ pudore vrinam non eijcit, animam eieciſſe. Ceterum non ego pluribus te onerem Bottini, qui haud dubiè adhibitus conuiua, libentius audiſſes narrantem, nunc fortaſſe ieiunus, meritò odiſti de rebus leuiculis tantum verborum facientem.

Vale. Ex Aedibus,

(?*?)

EPIST. VII. Romam.

Alexandro Magio Vtriusque Signaturæ Referendario.

PVDET me vehementer, Magi eruditissime, iudicium tuum, quo nihil expertus sum candidius, humanius, amicius, non prius exquisiuisse, quàm paucu las hasce Epistolarum mearũ decurias in publicum emitterem. Profectò emẽdatiores floridioresque prodijssent, & tam vndique scatentes Gratijs, quàm ipsæ, vnà cum diua Flexanima, quæ Græcis dicitur πειθὼ tuis sessitare in labris gloriantur. Locorum interuallum si caussarer, minus prudenter facerem: quantulum enim denique distabam Roma? & commeare vltrò citròque scriptiones potuissẽt, bis in Hebdomada Veredario commissæ. Sed exiguum spatium hic magis ad otiandum, quàm ad lucubrandum datum, & temporaria impetrata misio, dum se Tuderę Cardinalis meus continet, nimium quantum vrgebant. Quarè nobis ad Illustrissimum Dominum noui aliquid, ex ingeniolo nostro depromptum, afferre gestientibus, ventis remisque properandũ erat: ac iussimus Operas & Typos vsque adeò feruere, mirum vt sit, ni Liber multis mendis oblitus appareat. Vt taceam obturbantia amicorũ studia, & plusculum curarum domesticarũ sublatum, ex quibus ingens tædium contrahitur in ijs recognoscendis, quæ subindè reuocantur ad prælum. Quin ex eo festinationem nostram intelli-

telligas licet. Neapolionem Comitolum Episcopum (nosti Virum peritia linguarum, & disciplinarum varietate elegantissimè florentem, quem negotiorum tumultus & Ecclesiastica dignitas à Musis mitioribus nunquam auulsere; cuius consilia plusquàm paterna quibus Iuniores plurimum profecimus, nũc maturiores persanctè exosculamur) Comitolum, inquam, ipsum ad hanc cẽsuram vocare, religio fuit. Minus enim otio, quod Schedia nostra, accuratè emaculanda, efflagitabant, abundabat: addictus vtique studijs sacratioribus, nihilque non curarum ad crediti excubias gregis conferens. Peperci igitur tuis humanissimis auribus, Præsul litteratissime, pœnas, opinor, daturus nõ exhibitæ molestiæ, quam sanè, si editionem in Vrbe adornassem, exhibiturus istic fui non modò tibi, sed etiam Quærengo ac Stradæ, quorum eloquentiam cum summo candore coniunctam, semper. vti par erat, magni feci. Nec verò hoc loco nisi honoris gratia nominauerim, eruditorũ longè Principes, Maphæum Barberinum Cardinalem, ad quem Alphonsus Alexandrius, sexdecim ab hinc annis, Perusiæ me deduxerat, cuius gentilitiæ Apes nobis quotidiè Scriptorum mel suauissimum propinant: & Scipionem Cobellutium S. Susannæ Cardinalem, cuius amplissimæ dignitati Cl. Ansidæi applaudunt Manes, à nobis ob id præsertim culti: quòd Viro sapientissimo olim me clientulum obtulerint. Tu Magi præstantissime, si quia potes, quandò peri-

periculosæ plenum opus aleæ aggresſi ſumus, obſequentiſsimi tibi capitis tuere partes, ac foue partus; quos nunc verius aborſu eijcio, quàm tempeſtiuè pario. Vale. Peruſiæ. Prid. Id. Iunij CIↃ.IↃC. XVIII.

EPIST. VIII. Lucam.

Chriſtophoro Lauro Patruo Equiti Hieroſolymitano.

QVEM librum de D. Iulia Carthaginienſi, nuper in otio Liburniano abs te conceptũ, Lucæ edidiſti, eò libentius lectitaui, quòd veluti honorarium viſum ſit memoriæ Iulij parentis mei, fratris tui. Quarè plurimum pietatem tuam laudo, cuius fructus deberi Cælitibus in primis putaſti: in quibus quoniam eos delegiſti, quorum nomina, alia noſtrorum propè obliuioni tradita, ad lucem reuocarent, dupliciter gratulandum vtrique noſtrum cenſui; mihi ſic interpretanti, tibi iſta ſcriptione occaſionem eiuſmodi præbenti. Exempla dedimus, quibus imperaueras; ab ijs affatim regeruntur laudes, & pernegant affectui tributas, iudicio dictas, atque ex penitiſsimis animi receſsibus verè profectas. Etruſcas Fabulas, quas adoleſcens in ſtudiorũ leuamentũ ſcripſiſti, Typhographus vulgare apud nos iterum velit; idque, vt arbitrio tuo ſibi facere liceat, enixè rogat; ſimul fieri copiam emendatioris exemplaris. ſi annuas, tametſi

etsi anteactæ ætatis lusus illæ leuiores sunt; grauioris hunc fœtum pollicetur se postea recusurum. negandum non videtur, quandò & inuitis nobis posset, tibique interim fœnerabit, liberaliter indulsisse. Illud monuerim, in lucubratione Iuliana, Lucij Cornelij Scipionis Barbati mentionem faceres, quem de Corsis triumphasse, Capitolinę notant tabulæ: nec Antiquitatum studiosis iucundum non erit meminisse lapidis, Romæ nuper ad portam Capenam effossi, eiusdem Scipionis res gestas commemorantis, estque apud Franciscum Augustinũ, nobis Gratiarum fœdere coniunctum. is vetustissimam inscriptionem cum P. Iacobi Sirmondi, & Hieronymi Aleandri doctis explanationibus edidit, ego veredario proximo committam. Vale, Andræam Moriconum Proëpiscopum iubebis à me saluere & à Corrado. Perusiæ.

IX.

Georgio Richio.

AFFECTVS sum varie litteris tuis, in quibus fortunam ipse tuam primum demiraris ac prædicas, quæ te in potentissimi Principis familiam consuetudinemque adduxerit, cui sis domesticus in paucis; deindè acriter quereris, quod ille in omnes munificus, erga te preparcus videatur; alijs, quæ nummûm millia fœniarint, aurea pocula, mensas eburneis innixas pedibus, solidos agros largiatur; tibi ne fictilem

lem quidem ollulam aut legumen: plures denique Crœsi talenta,& Midæ diuitias ostentent,tu euanidam quandam felicitatem ac mera somnia. proindè in calce litterarum vocibus adeò tragicis incandescis in auaritiam,vt pænè te dirumpas, teque ingens aulæ odium ceperit,quæ simul blandiatur & imponat; Ioui quidem carum reddat, verum aureas eius pluuias excipere non sinat, eundemq; vna opera amicum experiaris summum & ingratum herum. Enimuero mi Georgi,etsi stomacho efferuescenti plus nimio indulges, nec fortassis iniuria hominem perstringis, haud planè assentior tamen; ac si is ego sim,cui aulicum lenocinium malè obtrudatur,& hæc arrideat emasculata,vt sic dicam,felicitas; hoc me propemodum consoler & confirmem exemplo, quod modò inter scribendum occurrit. In aula Sigismundi Imperatoris famulus quidam multos annos militauerat,tam florens gratia, quàm inops à muneribus, quibus aulicum quemque sibi Cæsar deuincire consueuerat. haud alius ipsi acceptior, omnibus tēporum articulis opportunus; quem, cum in alios foret effusè liberalis, nullis largitionibus prosequebatur. Vehementer hominem tanta heri in semet parcitas cruciabat, cum offerri opes ijs cerneret, qui vberrimè affluebant. Euenit,vt in Venationes exeunti Imperatori,Fluuius traijciendus esset: iuxta equitabat & seruus. Equus Cæsaris paulululum progressus, in amne constitit & meiere occepit. ridere homo & obloqui:

loqui: quàm ab Equo Sessor non degenerat! inquit. postridie Princeps dicterij rationem ab eo exquisiuit; qui rem sine circuitione explanauit. Fluminibus, Cæsar, mare non indiget, estque eius, qui desipiat, conferre aquam in fluuium; in quo tamen Equus tuus largiter vesicam soluit. ad hunc modum & tu Cæsar, sit dicto venia: aurum ijs donas, qui auri venis plurimum pinguerunt; amicis carioribus nihil, qui de tuo ne scorteum quidem nummum proferre queant. Atqui, respondit ille, scin' tu munera Principum reijci in auctorem Cælum, ac rarò illos solere consequi, qui promeruere? porrò videamus, tuo nè id parum felici contingat genio, an ego vltrò in te sim restrictior. subindè afferri præcepit in medium duo inaurata vascula, quorum alterũ plumbo, auro alterum referserat: sic vt neutrũ præ cælatura, artificio ac pondere internosceres. tum facta, vtrum vellet, eligendi potestate, cum hoc atque illud diu manibus versasset: hoc inquit perplacet, quando mea est optio. reclusit protinus Cæsar. & plenum metallo viliore cum risu deprehendit, adiecitque: habes modò, quid accuses; liberalitatem meam profligauit infelicitas tua, idque aduersum te nostræ obstruxit largitatis fontem; in [illegible]c quidquid potes sannarũ & scômatũ, effũde. Tenes Georgi, quid hac narratiuncula voluerim: ne sis iniurius cuiquã, atque, vt aliquãdò scenã inuertat & in diuersũ reflet fauens ac spirãs felicior, quod monuit Ausonius, Fortunã reuerenter habe. Vale. in Vrbe.

EPIST.

EPIST. XI. Perusiam.

Vincentio Giliolo I.V.C.

LAVDAS Epigràphen in Aedes Cincianas noſtram, eiuſque exemplum inſtanter poſcis. dupliciter equidem in præſens erubeſco, & quod recens natam, vt parum pudentem, non continuò abieci & diſcerpſi; aut ſaltem, ne adſpiceres ipſe, non prohibui. Quamquam monui hominem, qui extorſit; de proſtituta Muliere Elogium proſtitueret; ſi abnueret, vulgaret omninò ſine Patre, ille ſcilicet fidelis parum, dum iubet eſſe in propatulo, & cuius copiā facit, ego nominor. Tu ab alijs petas, ſi res videtur tāti; vbiuis reperias potius, quàm apud me. Quēadmodū enim Græci olim flagris Famē ex ædibus extrudebāt: ſic bona Femina Pudorē è penatib⁏; ego è memoria Inſcriptionē exturbaui, me tamē excuſo ipſum, qui confeci; quod ita fuit homini obſecundandum, vt ſimiles, quod dicitur haberent labra lactucas, poſthac certum eſt, haud abuti calamo in eiuſmodi nugis; quæ vt ingenium indicent, non perinde exiſtimationem iuuant: & alioqui pręſtat neſcire quo emolito, debeas pudeſcere. Vale Romæ.

Eia de Peruſino Lapide nunc demum occurrit, ne non eius generis aliquid; quod cupiebas, impertiam. pro comperto habeo, ipſum Peruſiæ eſſe; vbi verò, quibus in Aedibus, ignoro. Venare tu Giliole, & exquire iudicia ac facem aliquam ab eruditis viris, qui iſtic rudia & antiqua marmora loqui docent

DIVO ANTONINO
PIO

C. Egnatius. Festus. Aedil. II. vir Huic. cum Plebs. Vrbana. ludos. Publ. edenti. ad. Statuam. ponendam pecuniam. optulisset. is. honore contentus. impensam. remisit &. impetrata. venia. ab. Ordine Perusinor. optimo. maximoq. Princ. de sua. pecunia. posuit. Cuius ob. dedicationem. dari. iussit ab. Herede. suo. Decurion; sing. H. S. IIII. N. Plebi. H S. II. N. L. D. D. D.

Epist. XII. Auenionem.

Benedicto Monaldo I.V.C.

FRANCISCO Vbaldo Romanæ Rotæ Auditore renunciato, incredibili gaudio sum elatus; quod cum intra huius angustias pectoris amplius cohiberi non posset, in has statim litteras effundi cœpit, vnà cum Burghesianis, rem tantam afferentibus, Auenionem festinantes. Ergò Auunculo primum tuo summoperè gratulor de honore, non petenti, non cogitanti, à Sapientissimo Pontifice delato; qui, vt sit eruditioni & integritati debitus, gradus tamen ad splendidiorem ac magnificentiorem putandus est. Deinde tibi Nepoti, cui Romæ, hoc est, in luce totius Orbis, dabitur locus gloriæ, partis inge-

ingenij opibus, comparandæ atque amplificandæ: mihi etiam, cuius ille studia & obseruantiam mirificè dilexit. Denique Augustæ nostræ, quæ Pauli Quinti immortali beneficio, ad antiqua demum decora videtur assurgere. Modò enim cum voluptate recordabitur, quod antea faciebat cum mœrore, ob præteritorum solitudinem temporum & humilitatem, veteres Alumnos suos, in illud augustissimum Consilium à varijs Pontificibus cooptatos. Nicolaum & Matthæum Fratres Vbaldos, Antonium Cantagallinam, Marianum Bartholinum, Camillum Baleonum, Iulium Oradinum, Franciscum de Penna, Franciscum Cantutium, & Neapolionem Comitolum, qui nobis in præsens, indè à Gregorio XIV. præest Episcopus. Nostra desinet profectò ætas de abalienato Principis animo iudicium ferre, doctrinam, fidem, probitatem subditorum optimè ille nouit, & liberalitatem in eos, qui talibus affluunt ornamentis, exercet; quod si audit præmiorum parcus; in tempore conduplicat, & cum fœnore redire iubet. Sed de munificentissimo Hierarcha tenuiter non est dicendum, egoque ad exorsam me refero gratulationem; quam ex initimo sensu prolatam, volui anteire gratulationibus ceterorum. Precor Superos, Auunculo vt dignitas feliciter vertat, & accessionibus longè maioribus indies exhilaret vniuersos. Vale.

ex Vrbe.

Epist. XIII. Romam.

Paulo Sanuitali Spoleti Episcopo.

Elegos meos, quibus te vetus cliens amplissimum Patronum, superioribus diebus appellare sum ausus, Comes Alphonsus Nepos, te iubente, vberrimis & politissimis litteris, istinc ad me missis, est prosecutus; eaque mihi de tua prolixa erga me voluntate, deque aucto mei iuuandi studio, significauit, quæ grauem curam iniecerint respondendi. Tantum enim illius est onus gratiæ, quam in immerentem contulisti, vt vires ferendo non sint, tantaque est beneficentia, quam indè à puero sum expertus, cum me vltrò fouendum suscepisti, atq; optimis artibus informandum curasti, & quam inclusam in intimis sensibus gero, geramque, dum ijs vtar integris; vt nullis eam posse me verbis expromere confidam. Si igitur supra vulgarem gratiarum actionem, hac epistola profitear, eas me benignitati tuæ aliquandò relaturum, temerè faciam; cum eiusmodi verbum mea tenuitas non capiat. Verum quid prohibet, ne queam apud alios, plenis saltem, quod aiunt, tibijs prædicando? videlicet Luscinias, & Carduelès in hoc alimus, ijsdem vt cantillantibus nostra personent cubicula; nobisque in otio, in negotio voluptati sint. Musas igitur eò frequentius posthac euocabo, atque vrgebo ad edendos partus, quo Sanuitali Principi destinatos, meritò vitales fore licebit sperare. Vale. Perusiæ.

Epist.

EPIST. XIV. Mediolanum.

Philippo VVannemakero Gandensi Dominicano.

PLANE coniecisti, scripturum me tibi fuisse dicam, nisi primo quoque tempore fidem exsoluisses. heri Vgo Volumen attulit, cui titulus à te inditus, Triumphus Litteratorum, multarum vigiliarum opus, mira structuræ concinnitate suspiciendum. Ecquid, inquies, mihi vigilias obijcis, qui vix octiduo necesse habuerim ad conficiendum? tantúdem, fateor, nihilo plus. breui enim coloribus & penicillo fuit expressũ. Sed spatium, quo species est in animo comprehensa atque adumbrata, longum, diuturnum: quantum scilicet impenderis in præcipuis Italiæ Vrbibus obeundis ac perlustrandis; in quibus Viros, vario disciplinarum genere perpolitus, adnotasti, horum vt nomina in album tuum referres, cumque scribenda pompa eruditorum foret, prodirẽt Laureati in triumphum, ac (quod ipse, quæ tua est modestia, innuere ne voluisti quidem) te Imperatorem consalutarent. Benè habet, quod è tractu Perusino Bonciarium, hominem poëtico & oratorio penu apprimè refertum, euocasti: quid me faceres, qui à vestigijs doctrina præstantium ingeniorum, eò absum longius, quò pedem in ijs ponere adhuc frustra contendi? In magna tamen Arborum editissimarum silua, virgulta solũ occupantia, minus prætermitti debuêre; & in exercitu fortiũ bel-

latorum pleno, haud in postremis Calonum & Lixarum fuerat habenda cura. tu q; hoc ingeniosior & solertior videri voluisti Artifex, quo inter læuia ac polita, vel asperum & nodosum lignũ, ad formandum Mercurium qualemcumq;, esse non inutile existimasti. Vale. Perusiæ.

EPIST. XV. Florentinam.

Siluestro Vbaldo.

DANVM hominem, qui tuam mihi epistolã reddidit, amantissimè sum complexus, & in congressu ac sermone illud religionis, morum & doctrinæ specimen ostendit, quod amorem & patrocinium optimi cuiusque suo sibi iure vindicet. Quarè deputaui in lucro præstantis hospitis commendationem, cui me, meaque omnia largiter detuli. Vtinã hic quàm primũ digna præclaris animi dotibus præmia consequatur, sed tempore opus est, & præcones per initia conquirendi ac disponendi. Id ego operam dabo, eò diligentius, quò, hæresim qui recens eiurauit, & in Catholicorum castra se recepit, par est sub vexillo eorundem militiam, si minus obire opulentam, parabilem saltem ac nullius indigentem rei. Vale. ex Vrbe.

EPIST. XVI. Perusiam.

Marco Antonio Balestrino.

EXCVSATIONEM tuam de litterarum ac studiorum intermissione facienda per æstiuas

uas ferias, Ruri exigēdas, non æquè accipio: priorem illam ferre possum, alteram non possum, qui animaduertam, tanti à te æstimari laxamētum; vt statueris ea gratia legitimis animum vinculis resoluere, & fructuosi otij dispendio, emere inanes cessationes. Si nescis, in eadem Ara, Somno & Musis apud Troezenos litabatur. licet & Ruri in opaca suauiter vmbra meridiari, ad venandum exire, ambulatiunculas molliores instituere, liberalius se in mensa inuitare; quæ omnia litterata quadam ratione queunt simul & obiri & distingui. Cōsuluerim, præter Historias, argutissimi Luciani Dialogos euolueres, & quem tibi ex me reddet Theodorus, Sententiarum Politicarum, ex præcipuis cordatioris æui Historicis collectarum, Codicem, populari sermone conscriptum. Leges in ora Auctorum nomina & γνώμας, è quoque libro latinè excerptas. Eas Adnotationes marginarias primum iubeo iterum explores, & ex ipsis fontibus deriues, copiosiusque per te explices. Deinde dicta illa sparsim congesta, nullo ordine, vt se scilicet inter legendum offerebant, exscripta; tu certa quædam in capita referas ac distribuas, & in isto secessu perdiscas, quasique gemmulas in memoriæ sinum recondas, hoc pacto otiaberis cum fructu, eritque rusticatio longè vtilior, longè gratior, cui videlicet ratio accesserit, non satietas. Vale.

Romæ.

EPIST. XVII. Auguſtam Vindelicorum: *Marco Velſero Duumuiro Auguſtano V.C.*

PANGEBAT Idyllia quępiam M. Anton. Bonciarius in Martyres Auguſtanas, eoque noſtras etiam Camenulas hortabatur; quæ tamen in Cupreſſorum ſilua adhuc deliteſcẽtes, ob defunctum Lipſium, cui Epitaphium decantauerant, elici indè vix potuere, nanc vt ſaltem, quam his inſerui litteris, mihi dictarem Oden. Plures voluiſſem ac meliores; verum hoc tempore tu ac Bonciarius ariditatẽ ſic excuſabitis, vt non accuſetis audaciam. Id te in primis exoratum volo, Velſere doctiſsime, qui à litterarum candidatis non eras niſi eximio donario adeundus. Debebam & tibi ſupra vulgarem modum pro Epiſtola honorificè atque amanter ad nos ſcripta, quâ humaniſsimi animi ſymbolum ac μνημόσυνον apud clientulum depoſuiſti. Aliàs dabo operam, vt tali tantoque beneficio me exonerem, aut certè, non deeſſe, mihi reponendæ gratiæ voluntatem, præcipuo aliquo argumento declarem. Benè Vale, ex Auguſta Peruſia.

EPIST. XVIII. Eugubium. *Federico Mariono.*

PHILIPPI Mocenici Lucubrationes, quas mihi legendas miſiſti, nec iniucundæ ſunt vitæ, nec ad Iuuentutem erudiendam infructuoſæ; ſi quis tamen ea tradendæ Philoſophiæ

phiæ forma vti velit, quod hac quidem tempestate non puto; in qua Sapientiam pugnæ paratam malumus, tamquam armatam Palladem, aut Leonis exuuijs, & claua munitum Herculem, non muliebri mundo & lenocinijs diffluentem. itaque remitto, & tibi gratias ago. De meis studijs, quod cognoscere cupiebas & cum voluptate audies; scito à Gymnasij nostri Moderatoribus delatum mihi Philosophiæ extraordinariæ profitendæ munus, quinquennio toto intermissum; ex quo illi Io. Thomam Giliolum, indè ad prouinciam primariam transductum, Claramontio suffecerunt. Quid nam, inquies, istuc est? planè nouum atque insolens, hominem nullis adhuc doctrinæ insignibus cohonestatum, publicè liberales Artes explicare. Fateor: sed Laurea in promptu est: ex eo verò decretum nobis τὸ δίδακτρον prius fuit, quòd Gymnasiarchæ ad excitanda nostratium ingenia, neminé exterum ad Perusinam Academiam deinceps euocari voluerũt, siue Philosophũ siue Medicũ. De altero iã euenerat, alter non nisi suo tẽpore erat dimittendus. Igitur Phauorino, Cardinalis Beuilaquæ ope, Ferrariam accersito, alius è nostris, stipendio tenuiore, Medicinæ declarandæ præpositus est. sub hos etiã dies Marsianensis extremum suum obijt; quarè plurimũ pecuniarum Moderatorum arbitrio, in Doctores Artiũ singulos supererat antè Kal. Nouemb. diuidendum. Hinc Io. Francisco Herculano ex illis vni, nostri peramanti, incidit cogitatio ae-

quecupiditas, eam Philosophiæ partem, quæ doceri desierat, reuocandi, & nobis id oneris imponendi. egitque cum Collegis, & sub initium huius Mensis rem confecit ex sententia. Comparo me nunc ad consueta certamina, quæ Philosophiæ ac Theologiæ candidati subire solẽt; mox ad publicos labores accingar, ne, quod prouerbio iactatur, incalceatus in Montes. Te, opinor, præsẽte ac Nuccio pręfabor. en habes indices litteras, ne me officij parum colentem, tuique parum studiosum subaccuses. Vale. Perusiæ Prid. Non. Augusti CIↃ IↃCV.

Epist. XIX. Tuder.

Alberto Ciuitellæ.

QVAM mihi istic pecuniaria in re nauare operam diligentissimè consuesti, in ea, obsecro, præstanda pari studio perseuera: sic vt quæ in diem ad VIII. Kal. Iulij quotannis cadit, vltra non differatur & meis rationibus valdè incommodet. Pereat Iacobo quidem, etsi nolim, collybo aut facienda versura plusculum: ego hoc tempore moræ omnis impatiẽs sum, qui habeam dissoluere quædam nomina in hac mea infirma atque ægra valetudine contracta. Quod attinet ad facultatem auehendi frumenta ex nostris agris, qui ditioni sunt Tudertium, & in Oppidum Titinnianum, hoc est, in alienam adsportandi, percurabo; modò illam superioris anni, ac nullius iam vsus, vectigalis meus ad me remit-

remittat, quam Annonæ Præfecto queam ostendere, & facilius impetraro. Scin' Legationem Bononiensem Cardinali Coponio proximè decretam? sunt, qui affirment, Barberinum non continuò Romam, sed Menses aliquot Spoleti commoraturum. illinc haud dubiè Stephanutius ad vos excurret, quem ex animo cupio salue-re,& reducem amplecti. Vale, Romæ.

EPIST. XX. Perusiæ.

M. Antonio Bonciario.

TORQVERI te importunis articulorũ doloribus, si vnquam nobis permolestum, heri certè fuit; cum venerationis ergò ad Alphonsum Cardinalẽ Vicecomitem accessimus, eique, præsente Alexandro Magio Prolegato, nostram olim excusam Aegyptiadem,&, de Victoria aduersus Athilam,recens editum Poëma, dono dedimus. Munus enim laudatore Bonciario longè honestius & tãto dignius Principe videri potuisset. tametsi plurimum Magio debeo, qui amore adductus, largiter detulit, quod iudicio penitus prohibebatur. Vir autem præstantissimus illi de te multa denarrauit, & erexit expectatione animum, accenditque cupiditate agnoscendi tui. Malè factum, quod ad Picentes suos proxima luce regredi constituit, nec tibi adire & coram affari, per tempus & morbum licet. Vtêris vicaria epistola, in qua cupio, mon-

mentionem mei facias, & obsequium atque affectum reuerenter testeris meum. Vale.

EPIST. XXI. Romæ.

Francisco Monaldesco V.C.

ERAM perturbatior, cum heri vesperi accepi tuas; quod manè res pessimè cessisset in iudicio, propter contumax arbitrium hominis, qui vera aut adumbrata veri specie euinci non potuit. ob id querebar mecum, Ius sursum ac deorsum torqueri, accomodatior ad clamandum, & ad complodendas manus, quam ad rescribendum. Propterea excusandus tibi sum Francisce humanissime, si dimisi puerum sine vllis litteris. nō enim statim resignaui. neglecto eo, quo nihil mihi antiquius esse debuit. Credas affirmanti velim; præ mœrore atque indignatione non eram apud me: nec te fugit, quàm hoc πάθει præpediamur ipsi, cum videmus Iuridicundo præpositos, Legibus suo arbitratu abuti, illasque eò trahere, vtcunque animus immutatus sit. Quod spectat ad epistolam, qua nimium vrges, celeriter vt respondeatur; erimus vnà hodie ego & Cibò, ac quidquid diuersi, aut in eandem abeuntes sententiam, statuerimus, scribam ex fide. vis enim tibi vera nunciari, neque agi tecum assentatorio more, quod non facimus, & sycophantas Astrologos mirū quantum odimus. Vale, ex Aedibus, ante lucem.

EPIST. XXII. Mediolanum,

Erycio Puteano V.C.

OFFICIOSE atque amicè nimium VVannemakerus, qui nugas tibi meas legendas obtulit; item Bonciarius, qui dilaudauit; tu multò officiosius & amicius, qui in postremis ad eundem tuis, nobis de munusculo gratias egeris, & salutem humanissime adscripseris. At ego Libellos illos meos Gandensis hortatu potius, quàm mea sponte hinc ad te adsportandos dederam, nulla addita epistola, quòd homo nouus subuerebar Viro litteratissimo indicare infantiam meam, & Floribus veluti occupatus, Catonis adspectum refugiebam. Quamquam enim de mediocritate ingenij ex Scriptorum ieiunitate quiuis iudicare potest; latere tamen etiamnũ quodammodò videtur auctor, dum vagari suos permittit fœtus, quasi incerto patre. quòd si ipsemet distrahat, & socias adiungat litteras; tunc scilicet prodit se se: proindè verecundius metuit, deque censore, quantumuis amico, meritò est sollicitus. Verum tu laudas Puteane; opinor, ne ab illis dissentias, qui itidem fecerunt. quarè ego in præsens Stratoclæũ gaudebo gaudium. Peruelim autem rursum suauibus tuæ beneuolentiæ poculis inuitari. haud videlicet amplius ex alieno metireris tuum; sed quale de Schedijs nostris iudicium tuleris, apertè ac liberè perscriberes, meque adhuc meticulosum

Iosum Telemachum penitius in amorem tuum admitteres magnus Nestor, ad quem non tam Minerua Gandensis & Augusta perduxerit, quã meus vltrò Genius.cãdidissimè addixerit. Vale. Perusiæ.

EPIST. XXIII. Perusiam.

Claudio Contulo.

HYMENAEVM tuum, hoc est, Cæsaris Meniconij Nuptijs oblatũ Carmen, legi, audiente Ansidæo, tanta cum voluptate, vt, è Vaticano reuersus, domum, iterum percurrerim; &, quò diutius delicijs inhærerem tuis, Thrasymenum accersiuerim, Nuptiale Carmen alterum, Fuluio Marchioni Corneo decantatũ. Vna igitur opera Attici Numinis & nostratis maiestatem veneratus sum; quæque olim, Apollino dictante, modulatus fueras, suauissimè regustaui. Enimuerò è tuis scriptis manat, quod cecinit Pindarus, lac & mel. nihil vbique non lectum, purum, limatum. grandes numeri, præclara vocum supellex pompã ipsam anteit Nuptiarũ. Sit in ea longa series adportantium aurum, smegmata, alabastros, vnguentaria; tuæ speciem pompæ ornant Veneres, Gratiæ, Ioci & Amorum lepidissima chorea. Quandò autem tantoperè tibi fauent Musæ, ecquid, Contule, non eas ad Lacus Thrasymeni descriptionem inuitas? neque deterrere te debet, si quid olim conatus fuerit Viperanus. Anni sunt circiter viginti

ginti quatuor, cum Ranerijs fratribus id Poëmatium dedit. Tu potes rem præstare elegantius, si tui carminis venustatem; copiosius, si spectemus argumentum; quod se nunc latius, quàm antea, aperit. Occurrent enim complura de Insulis, de ædificationibus, de ora quà contracta, quà amplificata, deque imminuto alicubi Lacu & Brachiana fossa repurgata. Quid multis? Castalionem pete, ex arce singula contemplare, ac dimensa omnia graphicèque descripta, Patriæ dica, & ingenij gloria cùm præsens ipse fruere, tum æternum posteris monumentum relinque. Romæ.

EPIST. XXIV. Romam.

Cyriaco Roccio Vtriusque Signaturæ Referendario.

HAVD equidem nunc improbem Mulierecularum superstitionem. heri cum dexter mihi saliret oculus, & læti quippiam euenturũ diuinarem: continuò redditæ sunt litteræ, à te amantissimè scriptæ, quæ periucundum afferẽtes nuncium, hoc est, Sororis tuæ nuptias, me ingenti gaudio perfuderunt. Meritò fecisti, qui vel in medijs gratulantium tripudijs Lauri memineris, tui obseruantissimi, & Auunculo Cardinali, pro tot collatis beneficijs, deuinctissimi. Ausim deierare quemquam maioribus lætitijs non incessisse. ego enim vestræ Familiæ, præter confertam rerum opulentiam, & plau-

stra,

ſtra, vt Alexis loquebatur, bonorum, maxima quæq; honorũ ac dignitatũ incremẽta aſſiduè exopto, dariq; aureas Aquilas, aureos Botros, gẽtilitia veſtræ domus Inſignia; omnia deniq. vt diuina virgula contingant. Io. Baptiſtæ Verallo, Cardinalis Veralli fratri, Virginem in matrimonium elocaſtis. quid veſtro generi, tanta affinitate vobis in vnum coëuntibus, accidere potuit honorificentius? quid, auctoritate atque expectatione faſtigij ſublimioris adiuncta, cumulatius? Hinc Pompeij, indè Fabricij ampliſsimorum Virorum adſpirat fauor, quos clementiſsimus Deus diutiſsimè incolumes ſeruet, & cum cetera Familia initoque coniugio, quotidiè magis amplificare velit. Vale. Peruſiæ.

EPIST. XXV. Romæ.

M. Aurelio Raphaëlio Procuratori Generali Seruitarum.

QVI hanc ſchedulam tibi reddidit, is eſt, de quo tecum heri veſperi ſum locutus. corã ipſe ex oris habitu & ſermone deprehendes, quę ſit in eo ingenij & virtutis indoles; quodque in primis refert, conſilij rationẽ indagabis, quamobrem fracta ſæculi teſſera, honèſtiſsimus trãſfuga, ad veſtra caſtra deficere decreuerit. Ego certè ſalutare quoddam ſui odium videor in Adoleſcente agnouiſſe, & ardens diuinæ gratiæ ſtudium promerendæ. melius tu latentem animi vim atque impetum odoraberis, qui percel-

cellere consueuit, religiosæ alicui Familiæ, ætate peracerba, se dicare cupientes. Excidit & de M. Angelo Maria Berardo nescio quid, cum à te recessi, quod hic non addo. hoc tantum pridiana illa deambulatione loco propter opacitatem Arborum, & recentem iuxta Aedificationem mirum in modum algido, torminū dolores, qui me tum leuiter tentare cœperant, acerrimè domi inuasisse, sic vt malè habuerim tota nocte: sub Auroram remiserunt. Culpant nonnulli Niues: quibus ne mihi interdicatur, culpo ego verius nimiam Aedium vestrarum frigiditatem; in primis Xystum, in quo inambulantes intersistebamus, maximè humidum, ex qua præterfluente, haud dum tubo & fistula, vnde artificiosè subsiliat in cratera, aptè reconcinnatis. Vale. ex Aedibus.

EPIST. XXVI. Reate.

Hieronymo de Oddis Referendario Apostolico.

FACTVM id Herculis negligētia, qui te, priusquam abijsses Roma, tempestiuè non conuenit, redditurus meo nomine Aegyptiadem, amoris atque obseruantiæ indicium meæ. Eidem mandaueram, eadem opera Angelum Abbatem Ciaium salutaret: alterum præstitit, alterum nō potuit, te profecto ad Reatinos gubernandos. ergò incertus quid de Libro, & Libro adiunctis litteris sibi faciendum esset, posteaquam diuti-

us apud se retinuerat; statuit tandem, reiectâ Libri sarcina, eas communibus Tabellarijs ad te dare perferendas; Angelo Librũ offerre sine litteris. Egistis vterque gratias: ille de accepto, tu de transmisso tantum, neque dum reddito munusculo: quereris autem de homine, cuius culpâ in alienas peruenit manus, & vigiliolis nostris frui non potueris. Ego verò ita non indignor, vt debere me homini admodum fatear, nam & tibi nihil perijt, quem altero nunc dono Exemplari, & mihi existimationis plurimum comparauit. Ciaius enim præter suum, aliorum etiam iudicium expiscatus, asseueranter scribit, mereri laudem ac tractari. quamquam vereor, ne istuc amanter nimium. Libentius audiam, quod doceat, quàm quod palpet: cum ex eorum genere mihi haudquaquam esse videar, qui supinant aurem, quasi auersantes, quæ vtilia sunt. Ea abs se cupio referre, & voueo Cælites omnia tibi fortunare. Perusiæ.

EPIST. XXVII. Romæ.

Augustino Marchettalio.

PROPIVS heri nihil fuit, quàm vt litterario certamini Francisci fratris tui nõ interesse. haud enim eram præmonitus: & cùm ad eam palęstram cohonestandam Princeps accessit meus; potui non adesse, ab eo negotij caussâ ablegatus; vel alijs, qui de domo deducere consueuerunt. Viri nobiles ac dynastæ, currũ conscẽdentibus, minus ipsi vnà conscendere: quorum tamẽ in

cœtu prorsus præter opinionem fui. Ac nos vbi Aedes Capranicorum excêpere, & tam multi Cardinales,qui anteuerterant,occurrêre; resciuique,eccuius rei gratia comitium illic celebraretur: quanta putas,me lætitia delibutum,cùm germanum tuum de Ciuili doctrina vberrimè & subtiliter audiui differētem, adspexique admissos in periculosam & ancipitem aleam strenuos bellatores, de quibus honorificè palmam tulit! Comparaui tum eorum quemque, vt descēderat cum Francisco,& cuidam,qui mihi assistebat, facere non potui, quin insusurrarem, quod me olim legere memineram. Nimirum in Arce Athenarum, iuxta Mineruæ simulacrum, Sphæram æream maximi ponderis extitisse,quâ vires illorum expenderentur, qui in arena congressuri erant. Nec antè cuiquam ingredi licebat,quâm molem subleuasset,suæque firmitudinis ac roboris specimen edidisset: atque ij demū certaturi admittebantur,qui validi ex æquo robustique forent. Hesterni autem, Augustine (dicendum est enim) etsi plurimum habebant virium ac neruorum, cum Fratre neutiquam conferendi videbantur; cuius eò habita est gloria plausibilior; quò valentes illi, quemuis alium, præter hunc nostrum facilè deuicissent. Porrò Iuuenis Iurisprudentiæ insignibus quàm primū donandus est; & qui Principes interfuêre pugnæ,iucundo triumphi spectaculo carere diutius non debent.

Ex Aedibus

EPIST. XXVIII. Romam.

Io Paulo Lauro Fratri.

AT malè fit ſcribis,& leguleis iſtis, quorũ culpa cùm tuæ aluntur lites, tum forenſes omnium controuerſiæ efferatiores in dies fiunt. Ecquandò vacuo curis animo ad nos redibis, Frater? mihi quidem anno longior videtur quæuis hebdomadaria intercapedo;& planè odi clamoſam Orbis Vrbem, quæ pecuniarum ſequeſtrum ac diribitorem raró habet,niſi & κλέπτην. Si componendæ rei ſpem extenuari vides atque euaneſcere;auctor tibi ſum, alicui vt mãdes:neq; iſtic deerit,qui aſſuetusForo pro te benè & gnauiter velitetur.eas modò homini obuiã pecunia,vt ille interuerſis eat Legibus,obiectoſque Aduerſariorum ſcopulos feliciter præteruehatur. Brancaleonus Magiſtratui à ſecretis, heri dixit,te inter X.Viros peruigilio S. Thomæ renunciatum iri.præterea familiaris res hic noſtra ſanè quàm, te abſente, ſit deterior : Egoque propediem Eugubium profecturus ſum, inuitatus per æſtiuas ferias ab Andrea Sorbolongo Epiſcopo,qui Collegium inſtituere decreuit, in quo ad omnè,pietatis atque humanitatis genus Iuuentus informetur.Eam nactus occaſionem, Regios illic affines noſtros reuiſam ;quodque dicere in primis debui & in votis iam pridem fuit,S. Vbaldi corpus,in Montis faſtigio religioſiſsimè aſſeruatum, ſuppliciter licebit venerari,& non vna piaculari hoſtia nobis propitium reddere. Vale.

Me-

Memineris, horsum regrediens, ad nos afferre Horologium, quod pluribus rotarum denticulis horarum interualla distinguat, & statis pulsatione denunciet: nec non vetustissimum rerum Vrbanarum Υπόμνημα, quod hic vtendum Ansidæo dedimus, ab eo reposcere, in quo mētio fit de Venetis, sub annum M.CCCL. XVII. ad III. Non. Iunij Ciuitate nostra donatis. Iterum Vale. Perusiæ.

EPIST. XXIX. Senas.

Horatio Lombardellio.

DE Athila Hunnorum Rege, à Leone Pontifice fuso fugatoque, tribus Libellis, vti vides, historiā sum complexus, & poëtico Schemate exornaui; qui, tametsi Comituli Episcopi hortatu apud nonnullos vulgari cæpêre; Romā tamen Cardinalem Arigonium, quem eis Patronū adoptauimus, hauddum sunt perlati. idcircò ad te se conferunt, nō minus vt emendes, quàm si, quod malim, placuerint, vt probes. Caue, v lla tibi incidat suspicio, tangi me ambitiunculā, vt, quod Aegyptiadi vltrò induisti, huic quoq; Lucubrātioni Elogiū cōficias, & peruenire ad posteros tua iubeas approbatione clariorem. Potest id quidē tua singularis eruditio atq; humanitas, si res mereatur ipsa; quæ profectò intra Mensem concepta, scripta, edita; vereor, vt sit tanti. Ac meritò, Lombardelli contulisti in insigniores nostræ ætatis scriptiones, qui me

ᵒχιδιάζοντα fortassè rides. Sed nō adeò mihi frōs effrons,vt cum litteratis Hiroibus in theatrum prodeam,& aliquem occupem scenæ angulum, nisi si tanquam gregarius,ex itinere occurrens, ad breue colloquium admittar. Erit pnrhonorificum,si album vtcunque calculum apposueris:nec planè dormitantibus atque auersis Musis videbor cecidisse,quod Musarum Antistites, tui similes,Vtroq;, vt Flaccus inquit,laudarint pollice. Vale.Perusiæ.

Nuncupatoriam ad Arigonium sic informaui quam censebis, & vnà cum Poëmate candidissimè confodies.

Epist. XXX. Romam.

Pompeio Arigonio Cardinali, Archiepiscopo Beneuentano.

SATIS inter omnes constat , Arigoni Illustrissime rerum pęnè eandem esse rationem, quarum vel Ingenium,vel Natura parens est atque educatrix. Terra ex minutissimis seminibus fruges & arbores procreat , quæ lætos & vberes fructus ferāt; quoad cum Luna senescant & exsiccatæ tempestiuè cædantur , Citra obitū putantur , quæ ab ingenio proficiscuntur;neque non tamen educanda illa & prouehenda; vt non præcocis , sed maturæ indolis gignant fœtus. Proindè quantum Arbor in quoque anno profert,vt æquo animo capit Agricola; ita & tantundem debet vnusquisq; ab suo ingenio : finat ferri illud per suos gradus, nec plus ab eo exigat,

gat,quā dando fit; seponat quod identidem dat, daturum subindè maiora, vbi adoleuerit effloruerìtque. Ad hūc ego modum, Princeps, ijs respōdeo, qui, mearum virium imbecillitatē cum suarum firmitudine metientes, vellent; exilia Poëmatū argumēta abijcerem, & aliquid aliud maioris operæ ac molis aggredirer; quo cum (quasi alijs Poëmatijs satis iā alieni iudicij vata attētauerim) veluti robustiore naui; per hoc vastum scribendi pelagus vela facerem; illudq́; ob oculos in primis haberem; parua quæque à tempore absorberi, grandia nō item: frustra sperandum; vbi multa, sed perexigua scripseris diesque, vt fit, ea deuorauerit, futuram aliquam Metim, quæ ipsi κρόνῳ pharmacum præbeat; cuius vi, quę antea in os ingresserit, illicò euomat. Certum tamen est mihi, quidquid isti dicant, nolle tenuitatem meam plus nimio onerare: eò autem vsque in experiundo esse; dum ætas ingenium obfirmet, frequēs scribendi vsus informet. Quò fit, vt æquè amem hæc pusilla atq; alij grandiora: neque adeò refugiā illa offerre magnis viris, qui profectò, si rem metiantur ipsam, tantillam quidem arbitrentur animum verum longè maximum. Quamobrem, humanissime Arrigoni, hoc quidquid est munusculi, dum certè maiora & grauiora in tuo nomine emittere liceat, eo vultu velim suscipias, quo me quoque ipsum ab hinc decennium (si fas sit apud claritudinem tuam obsequij mei memoriam recordari primā) scio, à te perhumaniter hic fuisse, su-

sceptum; cum tibi Clemens VIII. Clauium coërcendarum curam demandauit. Vale. Perusiæ Id. Maij cIɔ.Iɔ. CVI.

EPIST. XXXI. Perusiam.

Vincentio Balestrino Auunculo, & Io. Paulo Lauro Fratri.

SIC est, inquam vti Dionysius scripsit: propemodum hinc à vobis abductus sum in Poloniam. Egerat mecum, nostri amantissimus, Balthasar Ansidæus, vt Balneoregij Episcopo, qui eò legatus à Pontifice iubebatur proficisci, ab Epistolis esse vellem. rē probabat Scipio Cobellutius, Vir sapiētissimus, cuius ipse mihi patrocinium & beneuolentiam cōciliarat. Ad horū nutum ac voluntatem præstò eram futurus, homo cupidus obsequendi, paulò ante ab Ansidæo ad Cardinalis Aquæuiuæ Aulam accersitus, ad quam haud dum irrepseram, amicis plurimum condicionem Polonicam suadentibus; quā varietate munerū ac rerum agēdarum vsu, fore mihi aliquandò in Vrbe fructuosiorem existimabant, quàm si otiosam seruitutem apud quemcunque Romæ obirē, nedum Neapoli, quò mox iter fuisset arripiendum. Itaque sic tum ab ijs discessi, integra adhuc re, vt dicerem, me nihil posse de ea constituere, nisi prius cum Horatio Mancino Abbate, nostræ familiæ valdè studioso communicassem. Qui sanè laudato illorum mei iuuandi desiderio, dein tot arietes ad id consilium euertendum adhibuit, vt planè deiecerit, & à proposito retraxerit, persuaseritque, ad Illustrissimi Cardinalis Lenij clientelā redirē, veteris

xis olim Patroni, &, dũ istic studiorũ gratia versaretur, à nobis obsequenter culti. Egi postridie gratias Viris clarissimis; continuò ad Lenium, qui me, Deus bone! quemadmodum omni genere officij atque humanitatis prosecutus est, iussit ad se ventitare, pollicitus, magnæ sibi curæ fore rationes meas, ac propediem intellecturum me iudicium de litterulis nostris suum. Abij domum, stultam obiurgans verecundiam, quæ me à prodigiosa in tanto rerum fastigio comitate absterruerat; cum mihi nullo merito tãtus honor à tanto Principe esset habitus, in quo ego deinceps colendo atq; obseruando, nemini concessero, prædicaturus liberalitatem prolixius, beneuolentiam cumulatius. Vos amplissimo Domino perennem incolumitatem precamini, & valete. Romæ.

EPIST. XXXII. Eugubium.

Andreæ Sorbolongo Eugubij Episcopo.

INunc, Præsul amabilissime, & certi quidpiam de consiliorum nostrorum euentu aude pronunciare. Permulta nos quidem, si meministi, in eam sententiam toto illo cliuo Ocriculano disseruimus; quem lentè equitantes, seiuncti à reliqua viatorum turba, obiuimus, dum Romanum iter vnà ingrederemur. Ego, vt scis, Perusia discessi, ad Vrbem euocatus ab Ansidæo, mittendus Neapolim ad Cardinalem Aquauiuam, in cuius me fidem per litteras homo officiosissimus transdiderat. Hîc vbi fui, nihil

habui antiquius, quàm vt ad eum rectà irem in Vaticanum. Camillus Brinus cardinalis rationes procurabat; is bidui spatio à nobis nusquam repertus. Interea amicis aliter visum; à migratione dehortantur, suadent, in Vrbe vt cómorer, inauspicatam fore Neapolitanam aulam; nec videri de nihilo, quòd Brinum frustra conquisiueramus. Paucis post diebus Polonica defertur condicio: ea vix dum reiecta, Io. Baptista Cardinalis Lenius, veterem complexus clientulum, me in familiam Cardinalis Lantes adsciscendum curat: in huius nunc domus contubernio iucundissimè viuitur. Quarè præter meritum ac supra votum Principi humanissimo adiunctus, triumpho gaudio, & felicitatem meam non apud te modò qui cum mihi communis est in eum cultus atque obseruátia; sed apud quoscunque libentissimè deprædico. Vale. Romæ.

EPIST. XXXIII. Romam.

Hieronymo Sinibaldo Doctori Theol.

FACINVS egregium, luculentum! quandò huc lis deflexit denique, vt perditissimo illi Scurræ fuerit ab Aula & ab Vrbe recedendú, à qua herclè iamdiu erat extrudendus, & tanta morum calamitas vel magicis precaminibus redimenda atque expianda. Quamobrem enim istic aleretur monstrum hominis illepidum, petulans, conuiciorum plenum? quorum solida plaustra in ingenuos quosque licenter effundebat.

bat. Tulit supplicium scelus, quale commeruerat; quamquam ferox in extrema pugna, Thrasonicè superbiens, & propter infamem Helenã singulari certamine depugnans. Queritur verò hic quispiam, nec laudat factum; decere Principem fauore mancipia omnis generis; habendos in his dicaculos, pantomimos, moriones; ac Scipionem ipsum, post domitam Africam, his stipatum per Vrbem incessisse. tum rusticationem, cum huc veneritis, insuauem fore; nemine fabulamenta & dicteria in medium allaturo. Ego contra indignor, qui videam sapientissimo Principi non leuem iniuriam fieri. Ecquis, inquam, ioculari licentia atque vrbanis salibus non delectetur? atqui haudquaquam promebat istæc ganeo, nugator, aleator. Aduocetur potius cantuum peritus expensor & fabricator, tum vitiosè factorum reprehensor argutus: adsit tibia, cithara, pedum strepitus, clangor cymbali, Mimicæ aut Comicæ Fabulæ repræsentator; adsit petaurista, aretalogus, præstigiator. Si Herus innuat, conuolabunt & sapientes, qui cum Philosophia Parasiticam Artem lepidè coniunctam habeant. Nec te, opinor, fugiunt græcanica exempla; quemadmodum apud Dionsiyum Aristippus, Euripides apud Archelaum, apud Alexandrum Aristoles, pro dignitate parasitando, versati fuerunt. Scilicet periculum est, ne desint, modesto Principe digni lusus & liberales deliciæ; animoque, arduis in negotijs nunquam non occupato, paria

oble-

oblectamenta. Tu Simbalde, Viri prudentissimi iudicium, quod potes, in Cælum tolle: ego prædicare non desistam, quod hanc hominum temulentiam dissiparit, huiusmodi plebeculam à se repulerit, hos nugiuenditores subfrigidos. & argentarias illecebras inopiæ gladio iugularit. Erit è re totius Aulæ, dum assiduè meminerit, Scurram natu maiorem, Rinaldum mors abstulit, Iuniorem hunc exilium. Vale. è Tusculano.

EPIST. XXXIV. Perusiam.

M. Antonio Bonciario.

O Inauspicatum atque nefastum diem! in quo trium mihi carissimorum capitum indicatus est obitus. Valdè dolui, Cæsare Philippo ex humanis erepto, homine vtriusque nostrum amantissimo, deque ea familia optimè merito, in qua morum ac litterarum adolescẽtes ipsi tyrocinia posuimus; esset licet senio cõfectus, & laboribus assiduis penè fractus. Graniorem doloris sensum amici Iuniores effecerunt: alterius consuetudinem anno superiore hic suauissimam, ex interuallo regustaueram: alterum veteris necessitudinis recordatione absentem, & inuidia reflantis fortunæ in miserias coniectum, vnicè diligebam. Marianũ Montegranellnm Eugubinum minus, puto, nosti; qui vixdum pubertatis annos egressus, egregijs ornatus animi dotibus, fato præpropero sublatus est.

est. Pinaulium iuxtà mecum noueras, quem ab hinc biennium potentiorum factio protruserat ad remum. Tametsi nuper rationibns in Naui præerat; & erat seruitus inter fœda ministeria liberalior. Aiunt, per confessionem elutis animi sordibus, & sacro ad supremam luctam oleo inunctum, mira fortitudine in amplexu Fratris decessisse, quo exitu multū sum gauisus, quippè infeliciorem pertimueram. Vale Vir optime, cui Paschatis sacrosanctos dies omnibus lætitijs precor ire tumulatissimos. Romæ.

Romam.

Marcus Antonius Bonciarius.

Io. Baptistæ Lauro S. D.

GRATAE mihi ac iucundæ litteræ tuæ, quāquam tristia loquentes, tristia nunciantes. Etsi cur autem tristia? Cæsar Philippus, optima semper vsus valetudine, in summa omnium cōmendatione, pari caritate & obsequio suorum (suos voco, quos ille in liberûm loco habuit, omnes Seminarij alumnos) anno demum altero & octogesimo desideratur. At illud saltem dolendum, inquies, quod nimis subitò rapitur. triduum ipsum; vel quatriduum nihil amplius decumbens. Imò id minus nobis dolendum, quia ille minimum ac propè dixerim, nihil doluit. Spatium nactus est; quantum erat ad expiandam animam satis. in quo pietatem, constantiam & fortitudinem exhibuit Cæsare dignam. Ceterum sic pau-

atim

latim defecit, pia colloquens, vt semper solebat, at nihil suspicans tale; vt mihi quodammodo videatur ignorare se mortuum. Ego Laure, non alium mihi voueam exitum, fabula finita, quam tamen extendi tanto vltra, nec voueam, nec optem: fessitans vsque augustius in hac morborum & laborum turba. De Mariano tuo idem in præsens mihi succurrit, quod olim de Mario meo quidam: Raptus est, ne malitia immutaret cor eius. istos, inquam, Granellos, florentem frugem, necdum metendo (vt nobis videbatur) præsecuit miserans Dominus, vt furaces hostium imminentium manus eluderet. Nam de tertio, quem subiungis, communem amicum (ita me Superi ament) lætatus sum non mediocriter. Quid enim infelix, aut quâ fronte? sed reprimam me. Quia hominem nimis diligebam, ideò mortem illi præoptabam, quæ cùm ciuilis & christiana ei contigerit, vbi plusquam barbarè, plusquam turcicè viuitur; eluisse marinis vndis recentē maculam, & remo ad fundū cōpulisse ac sepelisse videtur infamiā. Clemens esto illi Deus, & te Musis quam diutissimè præstet incolumē Pro solemni habeto, quoties ad te scribam, licet quandoque non adscribam, vt in occasione, non abs te quæsita, sed spōtè oblata, Illustrissimo Princicipi memoriam renoues obseruantiæ in illum meæ.

At nunc adiunge V. C. Sanctem Orlandum Cardinali à secretis, cuius etsi laudibus erubesco, tamen beneuolentia glorior, eamque non tam

tam meis lucubrationibus, vt ille vult, quàm tuis Laure, ac Bartholucij nostri prædicationibus acceptam refero. Vos eam officijs alere par est, qui peperistis. Ego affectum, nec aliud, quàm affectum; sed tanto abundantius reddo, quò sum à ceteris, & ad cetera magis pauper, minus aptus. Vale. Perusiæ.

EPIST. XXXV. Mantuam.

Iuliano Castaneaceo Doctori Theologo.

SALVVM te, vnà cum Illustrissimo à Burdesia, Mantuam peruenisse, magnæ mihi voluptati fuit: propterea quod timoris nonnihil litteræ Bononienses incusserant, quæ parū prosperè tibi contigisse equestrem vectationem significabant; in qua sessor ab Equo non semel excussus, ac in terram deiectus, negotium frustra susceperis perdomandi illum Bucephalum, quē & dimittere coactus fueris. ab alio prætcrea nimio successu sic debilitatus, vt propemodum animum adieceris ad permutandos Bononiæ infractos clunes. In eo risi te λεπτοπυγὸν & intellexi attributum Equum strigosum, malè habitum, duro atque aspero coopertum strato. Sed Mantuæ, vt scribis, incommodorum vos omnium cępit obliuio, incredibili exceptos gratulatione in Aedes regias, Laureato prodeunte populo, vobis à summo Pontifice purpureum Galerum

Vin-

Vincentio, Ducis dudum Cardinalis Fratri, adferentibus. Hinc celebritas & ingens lætitiæ significatio, ludi summo splendore ac magnificentia exhibiti, oppiparè apparata conuiuia; hospites honorificentissimè habiti, dapsiles sumptus in omnes facti. At enim vos quantulo labore ad has delicias? Romanarum, opinor, obliuiscemini, quæ vel Canopæis antecellunt. Vitellius tui desiderium ferre amplius non potest, ne & Sabellus Fabricij; & Astronomica nostra te reposcunt. Valete, & faustis ominibus viæ vos cõmittite. Romæ.

EPIST. XXXVI. In Vaticanum.

Balthasarri Ansidæo V. C. Bibliothecæ Vaticanæ Custodi.

CVM heri, datis palam ceruicibus, Robertus in Noniana iaceret carnificina, propter dentatos sales & argutè dicta, illecebrà mordacitatis adspersa: en, inquam, quo hominem adduxit eblandita dicacitas! en impudentis atque impotentis oris præmia! quàm suo se infelix iugulauit gladio! tum adieci festiuum illud de Vrbe, quæ sit talium ingeniorum ferax. O veteris vini optimi nouum acetum pessimum! Contraxêre, qui aderant, supercilium &, collatis capitibus, inter se se nescio quid in acetum consusurrauêre. Domum reuersus, cœpi suspicari, subessetnè quidpiã ijs verbis, quod deteriorem in partem torqueri posset; haud qui-

quidem est visum: iniecta verò cupiditas est sciendi, quis scripserit, & cuia gratia; non enim recordor satis. Excute memoriã, Ansidæe, & indè dicterium nobis erue: adde & ad sententiam de aceto aliquid, quandò sapis ipse, & illud tibi est in pectore; nec non de vini generosissimi fæce epotanda, quod est apud Aristophanem in Pluto. Ex Aedibus.

EPIST. XXXVII. Mutinam.

Dominico Vitali.

MVTINAE te esse, nouum mihi atque inopinatũ. Vndenam celer hic traiectus Senis Mantuam, Mantua Mutinam? cùm hic crebras tui expectationes commouisses, & propediem Romæ adfuturus viderere. Benè habet, quod istic tranquillè viuis, & in tanta rerum domesticarum perturbatione, ob immaturum Thomæ fratris interitum, constare sibi animus tuus didicit; nec deiectus vnquam ab eo gradu, quẽ virtus, maximo vsu confirmata, in te statuerat. Vides, quàm certis eant cuncta temporibus, quamque ijs seruiendum sit, vt mox vices nobis rependant suas, &, conuersione non ingrata, damnent tenebris, qui nunc in luce palam exercent in vos φαλακρισμόν. Nouimus inter nos, &, si me audisses, ventos in te minus excitasses, qui te istuc non sine magno discrimine perpulerunt. Quod sedulò mones in calce litterarum, de Syngrapha Perusiæ relicta; dabo negotium Alexandro, vt eradat voculam, genuinam reponat:

nat: per otium autem eò referat, vnde amotã; aut concerpat; ne extitisse aliquandò vllo indicio deprehendatur. Vale. Romæ.

EPIST. XXXVIII. Perusiam.

Francisco Mariæ Sinibaldo I.V.C.

NON tam pro coniunctione & beneuolentia nostra id mihi sumpsi, quàm quia Romæ sum iussus, vt in memoria redigerem, quod Amplissimus Gubernator Cardinali meo, tu mihi receperatis; daturos omnem vos operam; vt Vincentius Balestrinus, Auunculus meus, inter Aediles istius Vrbis, cui præestis, renunciaretur. Res est eiusmodi, quæ vobis negotij nihil; huic honoris plurimum, emolumenti parum sit allatura: & apud hominem ita beneficium collocaueritis, vt nunquàm antehàc apud quemquam rectius. Illustrissimus Dominus verborum officio, quo còram est vsus, litteras quoque adijciendas putauit, quas Clarissimo Præsidi reddes ipse, cuius amorem sic mihi retinebis, vt eius fructus prorsus aliquis extet apud eumdẽ Balestrinum. Dabitis hoc gratiæ humanissimi Principis, qui tantoperè id à vobis contendit; me verò, vt nihil promeritum, in perpetuum arctissimo vinculo adstrinxeritis. Vale. Romæ.

EPIST. XXXIX. Ticinum.

Gregorio Cybo.

SICCINE igitur, Gregori, veterem amicum amisimus? facinus indignum! domum cum

cum reuerteretur sub horam accumbendi; ne esset in mora nobilibus congerronibus, quibus apud se condixerat prandium, à Sicarijs duobus, vili centunculo coopertis; quos, teterrimæ plebis quisquilias, nemo non præteriisset insalutatos, tormentarijs ictibus ex insidijs oppressus est; &. quod mirandum æquè sit, non longulè ab eo viæ flexu; in quo pari fermè cæde Pater paucis ante annis miserrimè occubuerat. Sanguinarij autem proditores militari iactantiâ, fastuoso vultu, arrogãtibus supercilijs, sic perterruêre, quotquot adfluxerant ad scelus vindicandum, vt impunè abscesserint atque euaserint. Enimuerò Iuuenis, honestarũ Artium studiosi, fabulam infelix excepit catastrophe: excellebat ingenio, memoria; facultate dicendi, & in Iure ciuili publicè explicãdo totus erat. Cogitauerat biennio præterito de Aulâ ineunda, cupiebatq; in alicuius Dynastæ recipi conuictum, sed amici reuocarunt, ne Patria Academia eo præsidio litterario priuaretur. Quod nunc quidem à te potest petere, neque quidquam, Gregori, ei negandum, in qua infantia tua vagijt, adolescentia bonis moribus informata est, iuuentus; etsi Gymnasium istuc plurimum contulit, liberales disciplinas celerrimè hausit. Vale. ex Vrbe.

EPIST. XL. Romæ.

Angelo Ciaio Episcopo creato.

OBSERVANTIAE in te meæ est, ex animo vereque gratulari, quod à Summo Pontifice

fice insigne Sacerdotium tibi delatum sit. Episcopatum Theanensem vltrò demandauit, sola doctrinæ, religionis, vigilantię, quæ semper in te præcipua floruere, ducta ratione; cum Cardinalis Bellarmini Auunculi tui, Viri celeberrimi, ingentia in Christianam Rempublicam merita spectare iure posset. Equidem ita sum lætatus, vt nemo magis; hoc autem tempore, cùm infirmus langueo, nullum sensi remedium hoc nuncio oportunius ad me leuandum. Quarè nihil nunc æquè cupio, quàm, remissa paululũ morbi vi, ad te aduolare; teq́;, pro mutuo studio inter nos, ac veteri familiaritate, in tanta licet dignitate cõstitutum amantissimè complecti. Quid enim mihi metuam ab ista, quam modò sustines, persona? quasi cum ea mores alios, adiuncto supercilio, tibi affingi fueris passus. Non tu is es, qui à te ipso, hoc est, ab humanitate, desciscas; & ego Angelum atque Episcopum haud queam seiungere. Quoniam verò id gaudij coram exprimere non licet; hanc è lectulo dictaui schedulam, quæ eius professionem obiret officij, tibiq́ue cũ longè maiorum accessione honorum, fortunatos rerum omnium euentus à Diuino Numine precaretur. Comitem adiunxi Bonciarij nostri Epistolam, vt ab ea voluptatem haurias, quam à valetudinaria mea non hausisses: quippè salutem perofficiosè adscribit; & deliciarum Neapolitanarum memoriam refricat. Ex Aedibus.

Romam.

Romam.

Marcus Antonius-Bonciarius Io. Baptistæ Lauro S. D.

ME verò quamquam in dies minus minusque splendoris Aulici colentem, hoc est, iam magis magisque arbitratu viuentem meo, & me mihi optimisque studiis asserere conantē, delectat nihilominus in maiorem modum prędicatio tua, Laure, apud recentem nostræ Vrbis Gubernatorem. nō herculè ob eam caussā, quod succedant delicijs deliciæ, Genuensibus Neapolitanæ: cùm aliàs ferè nunquam gustauerim: has nè nouerim quidem. Nec vescendi cupido est, præter quas illinc mittit Reuerendissimus, & nostri studiosissimus Abbas de Ciaia. Nosti alūnum Collegij & disciplinæ nostræ, Illustrissimi Cardinalis Bellarmini Nepotem. Cui, cum tibi commodum fuerit, volo impertias meo nomine plurimam salutem. Ad te redeo. Grata, inquam, est mihi commendatio tua, tametsi supra meritum est: quoniam ab amore proficiscitur, qui supra meritum non est. Amo enim te, mi Io. Baptista, quantum tu Musas, vel quantum te illæ. Humilior erat comparatio, si ab homine sumerem: Cælo fuit arcessenda. Quod frequenter cū Anfidæo es, nescio vtrum tibi, an illi magis inuideam. Et me tamen iniuria facere confiteor: siquidem meministis interdum mei liberûmque meorum. Ex quibus hunc editu postremum, natu antè multos, benè facis, quod à Leōtio expectas.

Mihi enim, ex quo Typographus periculo suo, edere cœpit, haud ferme cuiquam donandi copia est. Roga istic Dominos meos Dinum, Magiũ, Remboldũ, alios; etsi quid alijs opus est? Communis Princeps atq; Patronus noster, à me quidem non semel præterijt indonatus. At eum tu, cum se occasio præbuerit, ne prætereas insalutatum meis verbis reuerenter. Vale. Perusiæ.

EPIST. XLI. Romæ.

Ioanni Ferrario.

IAMDIV arbitrabar, Fœneralia meæ Calci aduenisse, quæ præ vetustate, meo iudicio, extabuerat, nulli ædificationi amplius idonea, sed, vt video haud dum cessauit fœnus, nempè ad alienæ beneuolentiæ ignem identidem recoquitur, & nouas amicitiarũ substructiones nobis parat modò enim, quid mihi adportauit lucri? quibus reculas nostras locupletaui accessionibus? Lacippiadē; hoc est, de Bello Granatēsi, per Ferdinandũ Regem Catholicũ gesto, inchoatum Poëma, elegantissimum ac suauissimum dono attulit, & cũ eo, quod à me æstimatur plurimi, Henrici Chifellij, eius conditoris, effusissimum amorem. Illud auidè perlegi, &, vt soleo, excellentium fœturas ingeniorum, versaui manibus, oculis semel, iterum, accuratè, diligēter. Argumentum hausi iucundissimè, simul dictionem mellitam, æquabilem, rotũdam. Ac veluti, qui vina commercantur, è tenui degustatiuncula de toto dolio pronunciare possunt; non secus

ego,

ego, hausto hoc modico, meritò videor coniecturam posse facere, cuiusmodi futurum sit vniuersum opus, videlicet grauissimum, inuentionum ac festiuarum narrationum ferax, vndequaquè absolutum. Suadebis Viro, præclarum incœptũ ne deserat, imò vrgeat, festinet ex Helicone hanc palmam petere; non quod anhelent alij; nihil minus: congelarunt hæc studia, ex quo Principum recessit calor: verum ne dormitantior in oppigneranda sibi gloria, veniat mox incusandus cum Iulio Cæsare; ac dabit veniam Stella humanissimus, quem suspicio, & non vni antiquorum iurè oppono, is suam exorsus Columbeida, per initia nos dimisit, & totos adhuc septem ac viginti annos expectatione suspendit. Quod sanè opus vt ille, tot Poëticis instructus copijs, ac Musis adeò fauentibus, citra reprehensionem omittere non debuit; sic Chifellius exemplo monitus, paribus munitus præsidijs, planè non potest. Vale, Romæ.

EPIST. LXII. Romæ.

Ludouico Leporeo.

EPITAPHIO illo tuo in Guarinum Iuniorem mirificè sum commotus, sola mentio de Musarum afflatu, animo inīecit ἐνθουσιασμόν. Quarè arrepto calamo, facere non potui, quin aliud simile meditarer, atque in litteras mitterem. Eò autem hic se prouexit impetus, vt, iudicium tuũ neutiquã reformidans, tibi legendũ

dederim, licet illepidum, illaboratū. Erit ob id tua censura seuerior, nobis ingrata minus, qui huiusce rudis informationis nosmet iam vitia deprehendimus, eique libenter obtulimus corrigenda, in cuius scripta si anxiè mox ipsi inquisiuerimus, non magis videbimur adhibuisse in consilium amorem, quàm iudiciū. Neque id propterea dico, quod mihi occurrat quidpiam in tuo ad incudem reuocandum: aut is ego sim denique, qui res censere queam alienas. perfacilè enim fallar; præsertim si ab extēporaneo meo, metiri velim maturum atque expolitum tuum. Vale. ex Aedibus in Vrbe.

EPIST. XLIII. Romæ.

Eidem.

Hevs tu: videsis, quam rem agas, Ludouice, qui Baptistam Guarinum in Dithyrambicis excelluisse affirmas. Si pergas; appellaberis titulo iniuriarum, cum ille poeticorum numerorum pulchrè sciens, nihil æquè cauerit, & semetipse in commentariolo ab hac nota vindicarit, in quo de Poësi Tragicomica luculenter disseruit. Vt enim dictio Guariniana grauis sit; haud est inconstans tamen, plena compositarum vocum, quas ampullas & sesquipedalia Satyri nostri nominarunt, plena Baccho, cuius mores & facta æmuletur. Non tu ignoras peruulgatū illud: Minus habet mentis, quàm Dithyramborum Scriptor. De eius Poëmatis ratione satis multa recognoui, ac nihil minus Guarino couenire animad-

maduerti, nisi ad Melicum referas, à quo Tullius Dithyrambicum separauit. Quid quod aliena hic persona non suscipitur; sed est qualis Virgilij in Moreto. præterea ad aliam quandam accedunt speciem Dramatica: potest & à Scholijs abesse propius videri. Verum quid tu mihi Etruscas Odulas aut pronunciata à Choris, conijcias in hoc agmen? Vnum est à te, si & hoc non sit paulò remotius; quòd Aristoteli Tragœdia ortum duxit à Dithyrambo. At enim fortaßis veriora & magis recondita, quæ te, illud vt scriberes, impulerunt, non attigi. Pergratum feceris, si ea nos latere non permiseris, qui paucula hæc libauimus, non tam vt sententiam proferremus nostram, quàm vt, rem melius edocti, subscriberemus tuæ. Ex Aedibus.

EPIST. XLIV. Mediolanum.

Philippo VVannemakero Gandensi Dominicano.

REM difficilem aggrederis, quamquam ingenio & eruditione tua dignam; qui Hieronymi Sauonarolæ tueri partes decreuisti, non aduersus modò Lipsium, sed contra superioris sæculi iudicia. Nam quod industria nostra nonnihil vti volebas, in excutiendo illo Exemplari, quòd manu exaratum, D. Francisci de Paula Epistolas cōplectitur, estque in Bibliotheca Herculana hîc apud Sodales tuos; præstiti iam, &, quæ subijciam, accuratè excerpsi. Addidi quoque Apologiam, Florentia allatam; è qua com-

plura in rem tuam licebit petere: alia in idem argumentum Differtatio, auctore haudquaquã certo vulgata, describitur, quam propediem expecta. Quod igitur scire primum habes.

Simeon quidam Limenius, Christianæ religionis studio feliciter flagrans, & in stipem quæritantes maximè liberalis, eundem D. Franciscum, qui anno M. CCCCLXXIX. arctioris disciplinæ Familiam instituerat, ac, cælesti afflatus Numine, multa vaticinabatur, per litteras rogauit, vt de Hieronymo Sauonarola, cuius tunc rara probitas & singularis integritas arcẽ pietatis occupasse credebatur, quid sentiret ipse, ingenuè confiteretur. Eas ille ante pendẽtis Christi signum proiecit, quem conceptis precibus vbi exorauit, in hanc sententiam etrusca oratione respondit.

Eximius iste VIR, in quo syncera pietas animi cum eloquendi virtutibus paria facit, rem Ecclesiasticam in Cœnobijs aliquot sui ordinis labentem, seueriori lege coërcebit. Libros stylo non minus aureo, quàm doctrinæ insignes notis, in publicum emittet. Florentiæ Concionatorem aget præstantissimum, ad quem audiendum homines cateruatim confluent, ac, meliorum delectu habito, mysterijs diuinioribus imbutos, ad asperiorem sacratioremque viuendi cultũ traducet. Verum, quæ improborum atque ingrati animi vitio laborantium seges vberrima esse solet, non deerunt factiosi, qui innocentiæ laqueos intendant, & inculpatam famam verbis ignomi-

nominiosis petulãtissime proscindant. Quamobrẽ maiestatis apud Pontificẽ accusatus, ab Aduersarijs per summũ scelus trudetur in carcerẽ, &, falsò iuratis testibus, extremo supplicio afficietur. suspensus trabe, medius inter duos sodales, Christi exẽplo, animã efflabit, deinde cõburetur. Ac ne lecta ossa & cinerem, veluti sacrũ & piaculare quiddam, obseruantiũ sui quisquã adseruet, ea in Arnũ proijcientur: quamuis sublegetur nonnihil, idque erit miraculorum ferax. Ceterũ adhuc agens inter viuos, intonabit minabũdus: Veh tibi Florentia! in duram seruitutis aleam abduceris, & alienæ libidini, vel inuita, obtemperabis: neque dicto fides aberit. haud multò post, duos ex eadem familia Romanos Pontifices Florentina Vrbs dabit. Prior excelsi animi Vir erit, munificus, pius. Alius natione Belga, in demortui locum sufficietur, qui breuissimũ Pontificatũ geret, Biennio à priore nondum exacto. Medicæus alter renunciabitur, homo absurdis moribus, inquies, astutus, immani flagrans odio: cuius improuido consilio, Roma capietur, diripieturque: cum hoste inibit fœdus, Florentiam pertinaciter circumsidebit, nec soluet obsidionem, nisi mercede pacta. Ducem nothum arcesset, Patriæque præficiet; Is cognati, mox & perfamiliaris insidijs, tolletur è medio. Ciues autẽ animaduertẽtes, Reipublicæ formã incolumẽ, diutius non posse retineri nisi nouum substituant Ducem; aliũ eiusdem familiæ deligent, ea ratione Tyrannis auferetur. Dat.

XIII.

XIII. Martij. MCCCCLXXIX. Eiusdem fermè exempli alia extat ad eumdem Epistola. Dat. XXIX. Aprilis MCCCCLXXXI.

His præscriptis litteris, perlata est ad me particula Voluminis tertij Diariorum Ioannis Brucardi sub Alexandro Sexto, in qua quid quoque die Florentiæ actum fuerit, diligentissimè adnotatur, omniaque multò fusius, quàm à Guicciardino recensentur. Leguntur in eodem exemplari Epistolæ Pontificiæ ac Hieronymianæ vltrò citròque scriptæ; ea cumprimis, in qua accuratã atque disertã sui defensionem exorsus, obiecta Aduersariorũ à se amoliri contendit. Diuinorũ insuper Luminũ, siue Reuelationũ adest Liber, in quẽ Hieronymus Beniuenius verissimè præfatur. Hæc si tibi istic ad manus non [illegible]t; dabo operã, vt describantur. Nam quæ Philippus Cominæus & Iunctinus scripsêre, quæque Politianus, dum Laurentij Medicis mortem in sinu Iacobi Antiquarij, gentilis mei, deflet, fortasse nosti: si quæ nobis occurrent alia, prodere festinabimus; gloriæ tuæ ex animo fauemus, & industriã tuã candidè exosculamur. Vale. Perusiæ.

EPIST. XLV. Romam.

Valentino Nicolutio Doctori Medico.

COMMODVM exieram vnà cum Forlerio, te iubente, in Tusculanum; vires vt colligerem, febricula assidua & satis molesta per

hos

hos calores, nec meminimus maiores, valdè attritas. Secuti sunt illicò magni imbres, & pedē è villa adhuc egreſsi non ſumus: itaque parum auſpicatæ profectionis pœnas pēdimus. Triſtiores verò eſſemus, niſi noſtras ille Scurra, qui pedes, benè ocreatus, & petaſatus comes aduenit, iocis ſuis, quamquam illepidis, illiberalibus, riſum eliceret. Ad quem ego heri: An tū, inquā, iſto tam lato atque amplo Petaſo pluuias, magico aliquo artificio, nobis commoues? quemadmodum Pileo Henricus, Suetiæ Rex ventos. Nō plus habeo hic moræ, quàm dum remittant, & cōtinuò me in viā; ne obiurgādus tibi ſim, quod aër ex humido proſiliens ſolo atque excalfacto, valetudini plurimum officeret. Paraſitaſtro, cū redierit, vnctiones para ſudatorias, an crapularias? nam itineris quantum interiacet, remetietur pedibus, currente Rheda: interea potabit largiter, ſudorem iſtic & crapulam emuncturus. è Tuſculano.

EPIST. XLVI. Peruſiam.

Io. Nicolao Leontio Doctori Theologo.

QVAM me vehementer ad languorem dedit heſterna conflictatio & turbarum amolitio in D. Pudentianæ, vt Illuſtriſsimo Domino & mihi commodior foret perreptatio ad ſubſellia! adeò erat conferta atque vndās multitudo; tot Dynaſtæ, Myſtæ, Duces, proceres ad

Ex-

Exquilias confluxerant, concionantem vt audiſſent Bonifacium Cardinalem Caëtanum. Et ſanè videbatur cauſſa, Viro ex ſupremo Eccleſiæ Senatu; antiqua generis nobilitate & ſuarum ſplendore virtutum æquè claro; ex occaſione intercurrentis Euangelij grauiſsimam concionem habituro. ſic vt me iam nihil tædeat illius vexationis; tanta meum (quid dico meum?) imò omnium animos ac ſenſus peruaſerat voluptas, admiratio, ſtupor. Baſilium aliquem, Nazianzenum, Chryſoſtomum, Auguſtinum ad populū verba facientem exiſtimaſſes. Eminebant præter cetera canora vox, plena laterum, actio varia, dictionis niueus candor, verborum mira ſanitas, grandes ſententiæ, validi argumentorum nexus. Nullus illi labor, impetu quemque rapere; quatere, premere, &, quo liberet cumque, circumuehere; miniores affectus ita pertentare & miſcere; vt ab omnibus lacrymas & ſuſpiria copioſè eliceret. Quid quæris? iudicij vices miraculum ſubijt, &, nullo Gorgonis terriculamēto, ſola Viri doctiſsimi ac diſertiſsimi admiratione, ſtupidi & immobiles euaſeramus! Quàm vellem interfuiſſes Leonti, qui iſtic feliciſsimè Eccleſiaſtem agis! deieraſſes, nullum in vita iucundiorem tibi diem illuxiſſe. Deum roga, vt, diuturno rei Chriſtianæ bono, tanti Principis valetudinem, penè ſemper infirmam, ſeruet foueatque in annos plurimos robuſtam ac florentem. Ex Vrbe.

EPIST.

EPIST. XLVII. Perusiam.

M. Michaeli Banderiæ Prouinciali Augustiniano.

AN tu? renumerandum tibi à nobis esse argentum, quod pridie feriarum Natalitiarum, meo Puero Romæ mutuum dedisti? quia diceret è publica Vectigalium Taberna, sibi fuisse redimenda nescio quæ mea scriniola & arcas, vestium librorumque plenas? quæ ni citò indè fuissent ablatæ, recuperari non potuisse; nisi vertente anno, aliquà etiam corrumpi. Proinde, quandò res agebatur mea, cui, pro veteri inter nos beneuolentia, vltrò vel maiore sumptu consultum iuisses, quantumcunque petierat pecuniarum, te adnumerasse. Nunc mirari te atque stomachari, quod accepti beneficij immemor, tot elapsis Mensibus homo nihil cogitet de soluendo. Idcircò vehementer flagitas, vt aut increpem, si fefellit, & cogam restituere; aut si res in meum cessit commodum, de meo tibi satisfaciam. Quàm vellem, Pater, istuc verum esset? marsupio tuo nihil deperiret. sed non est. Vsus fallacijs astutulus, imposuit tibi; &, quò artificiosius pecunias corraderet; finxit tã multa de vectigali, de arculis, de supellectili: quæ omnia, curaui mecũ adsportãda ad XI. Kal. Mart. cũ huc reuerti. Accedit, quod Perusiæ cõmorante me, horsũ redire, inuitis omnibus voluit; quarè illicò expunctus e familia. Tamẽ ex quo sum Romæ, nõ omisit me sæpius iuuisere; nuper & com-

communicauit,cogitare se Venetias per occasionem reditus Cardinalis Veldramini. Quod videor posse tua caussa facere, accersam hominẽ ad me,&,vt nomẽ sine mora dissoluat,hortabor, suadebo,ac tantum non cogam. Vale. Romæ.

EPIST. XLVIII. Melitam:
Io. Baptistæ Ansidæo Equiti Hierosol.

IN Melitensi itinere, puto te, apud Mamertinos in Christophorũ Laurũ incidisse,& multa de meo rerũ statu ei denarrasse:à quo ego, plures iã sunt Menses,ne vnã quidẽ litterã, etsi prouocatus à me sæpius, & per certos homines. Quia verò postremis in suis iniecerat verbũ de profectione,& petiturũ se Melitã, exeunte Vere;venit in mentẽ subuereri, vt nõnullas mearũ acceperit.Propterea hasce in fasciculum Legati vestri coniectas, ad eum scripsi,ad teq; inscripsi, qui pro tua humanitate,ipsi in manus dabis; aut si istinc absit,& adhuc Messanæ se contineat, inuolues tuis, eoque properè transmittes. Non facilè credas, quàm me eiusmodi vel iactura, vel dissimulatio torqueat: excitatis iterum tot in Familiam nostram procellis, varijs excrucior irati Genij baccahationibus; identidem clamans,O catenatos labores!sed imprudenter facio, qui in sinu placidissimi Adolescentis; propter ætatis ac fortunæ indulgentiam, malorum atque acerbitatũ ignari,exulceratũ curis animũ exonerem; da veniam, & vale hilariter, Romæ.

EPIST.

EPIST. XLIX. Perusiam.

Bernardino Oliuerio I. V. C.

MVNVS fuit mihi longè gratissimum, Imago Parentis tuæ, mi Oliueri; cuius insignem probitatem, modestiam, grauitatem ita sum semper admiratus, vt laudabiliorē feminam nondum agnouerim. Veritas in effigie egregiè simulata, nec perfectæ designationi quidquam defuit, nisi quòd demortuæ ex facie Pictoris coloribus & penicillo est expressa; viuax alioqui, & aculeis pietatis mirū in modum scatens. In conclaui meo religiosè asseruabitur, quæ, cùm inambulauero, quoties eam præteriero, etsi me iacturæ admonebit; ostendit vtique rosæ breuem purpuram, & liliorū breuem gratiam, quibus mortalium ætas, & humana omnia aptissimè comparātur. Neque adeò Mortis formidine percellar, quæ, tanquam Nauicularius, soluto portorio circumuectionis, hoc est, deposita corporis sarcina, ex huius vitæ naufragijs, in portum transferat immortalitatis. Haud à me mutuum expectabis, Bernardine. memorē perpetuò animū tantūmodò præstabo; consiliorum perpetuò futurus memor, quibus Mater sapientissima istuc me reuersum affatim munerabatur. Vale. Romæ.

EPIST. L. Perusia.

Gaspari Paulucio.

TEnè vltra differam, neque dum persoluam quod iamdiu tibi debeo? an consultius fa-

ciam, si rem omisero; vt videatur vtique semper excidisse? quandò neque tu quidquam pro ea debiturus es nobis. Munus enim haud putem munus, tam serò oblatum, quodque longiore interuallo obsoleuit, per se se minimi antea pretij, raro tenuique textu. Quamuis autem mittatur denique; si non retruditur, & vtcumque recipitur; in eo noui potius æris fit contractio, quàm veteris dissolutio. Ceterum habe à nobis tandē Tragicomœdiam, titulum fecimus, NARSETEM Haud huc tu Italiæ in libertatem adserte, ὑπόθεσιν translatam arbitrabere, quam rudi illa atque absona Poëseos inuentione Io. Georgius Trissinus primùm edolauit, & ad Homericum ἀρχέτυπον frigidè confinxit. Vtrinque corruptores euersoresque Italiæ, Gothi, fundūtur fuganturque. verum illic Belisarius, hic Narses, prostratis & oppressis Regibus longè diuersis, vt diuersis temporibus ac locis, triūphali victoria honestātur. Prosopopœia inchoamus & claudimus actionē scenicā. Italia afflicta luctuq; deformata proloquitur; eadē triūphantis habitu, cū cohorte Latinarū Virginū, perorat Fabulā, & festiuè tripudiās, dimittit Theatrū. Sed quid ego stultè hic recanto, quę magis fortasse videbūtur improbāda? Crede mihi, suauitate adductus colloquendi tecum, in hæc sum prolapsus: nam cædes alibi narratæ & pæne tragica facinora, quid ad hilaritatem candoremque tuum, mi Pauluci? Xeniolū igitur accipe, nec curo apponas gratiæ, quam ipsemet corrupi mihi. culpes quidem licet

cet officij negligentem, obliuionem ne obijcias. Ne dubita: in posterum docebit pudor audire bonum nomen. non temerè pollicebor; aut, quæ fuero pollicitus, maturius repræsentabo. Ex Aedibus.

EPIST LI. Romæ.

Ioanni Gualterio Episcopo Burgentium.

TANDEM expecto, vt in eo, quod spoponderas, fidē liberes, & legendā mihi tradas Protrepticā Epistolā, quā te ipsū, Episcopū creatū, sapiētissimè ac disertissimè es allocutus. Dies erat, memini, tuæ Inaugurationi destinatus, cum de luculenta scriptione resciui, & tu vltrò promisisti. verum tam multa interuenerunt, propè vt obliti simus, tu mittere, ego flagitare. Nā post Magni Etruriæ Ducis salutatam aulam, tu nouā tibi nuptui locatam Ecclesiam, inuisere festinasti, possessionemque dotalium adiuisti; Florentiam iterum euocatus, vsque eò ibi substitisti, quoad rebus ad profectionē cōparatis, Cardinalis Mediceus, in cuius amplissimo fuisti comitatu, Romā versus ad purpureū Galerū suscipiēdū, in viam se dedit. Nos quoque cū Cardinale hinc Tuder, Tudere Romā remigrauimus. Nūc quādò sæpius ad te honoris atque officij gratia adire licet, cūque vehemēter cupiā excellētis doctrinę tuæ fructus in publicū proferri, & vtilita-

tem ad omnes promanare; egoque, dum id fiat, prægustare: statui prius quàm me istuc confero, his te litteris appellare, quæ, submotis paululum negotiorum turbis, votum tibi insusurret meum; pareísque in perendinum Hortatoriam Orationem homini, scriptorum tuorum iam indè sitienti, cum ipse Perusinam Ecclesiam Proëpiscopus moderabaris, modò præpositus Burgẽti. Recordor enim quantã, & quã bonam frugẽ ex ingenij tui campis, hoc est, Musarum & Gratiarum viridarijs, Adolescens collegerim, & in arentem meum feliciter transtulerim: Cupio nunc Vir, ex ijsdem copiosius haurire; absoluto à me Commentario in Cynegetica Aulicorũ. Eum ad te adferam, ac dum vigiliolas ipse censebis meas, ego me scriptis oblectabo atque pinguescam tuis. Vale. Romæ.

EPIST. LII. Perusiam.

Scipioni Ptolemæo.

REDDIDIT mihi nudius quartus, tuo nomine, Iulianus Bibliopola, quinque tuarum Epistolarum Volumina, elegantissimè cõpacta, cum totidem litteris ad eos, quibus erant tradenda. Strenuè dedi operam, eodem vt die illi acciperent; effecissemque, nisi quippiam à vobis non animaduersum in Exemplari Episcopi Fulginatis, retardasset. Bibliopegi enim incuria, libro bracteola quędam inter glutinandũ adhæsit, quæ paginã vnam & alteram insigniter corrupit. Quapropter tãtisper apud me retinui,

dum

dum istinc foliũ transmittatur, quod pro vitiato queat reponi. Primũ autem Cardinalis Burghesius, cui opus nũcuparas, ad Aedes Quirinales commodùm reuersus, Volumen ornatius de manu, vt aiunt, in manum accepit multo procerum ac Principum præsente cœtu; qui hilari vultu inspexit, & verbis honorificẽtissimis gratias egit; id quod, litteris ad te remissis, vberius se facturum pollicitus est. Rectà deindè ad Ducem Corneum, quẽ secundo loco conuentũ volebas. Is in ingenij tui candorem & mirificã eloquentiam, tantum laudis cœpit effundere, vt in præsens, ne quid onerem modestiã tuam, prętereundum censeam. Mox me ad Cardinalem Iustinianum, à quo, dici non potest, quàm comiter fuerim exceptus, iussúsque ad te rescribere ingentes, immortales. Postremò nocte initã domi suum Cardinali meo obtuli, qui auidissimè aggressus est legere, ac mirnm quantum de munere te amauit. Haud vacat nunc referre, quæ verborum officia Viri præstantissimi adhibuerint, quamque multa de Etrusca ista Venere, & dicendi charactere emuncto, arguto, adstricto prædicarint. testes habebis Epistolas singulorũ. Ego tantas orationis diuitias & Hymettium os tuum, rore & ambrosia enutritum, Gratijs, quæ aluere, relinquam dilaudandum. Fateor quidẽ tibi me debere immortaliter, qui, dum rem egi tuam, meam visus sum agere peregregiè, conciliatus per te tot Principibus, quos scriptione demerueris; me verò multò magis, quem ea-

 pse,

pſe, atque eorum beneuolentia auctum volueris, & prioribus tuis in me officijs magna adeò nomina adijcienda putaueris. Vale. Ex Vrbe.

EPIST. LIII. Peruſiam.

Io. Chryſoſtomo Maſsio Canonico.

HAVD opinor, es oblitus Maſsi, Auguſtiniani illius turbinis, qui tot olim fluctus in noſtrum ordinem concitarat, & Theologicam exiſtimationem, quæ non in Academia Peruſina ſolum, verum etiam in tota Italia præſtantiſſima cẽletur, naufragio pæne oppreſſerat. Etſi ſedata mox tempeſtas omnis, ex quo Sixti Quarti, aliorumque Pontificum honorifica Diplomata, quæ inuidia Aduerſariorum delituerant, emerſere; & à bono Numine neſcio quo ſeruata, vnà cum Imperatorijs non interiere. Nunc quandò ad Cæſarianam aulam Vitalianus Vicecomes Borromæus Summi Pontificis Nuntius, proficiſci debet, Sinibaldi noſtri ac mei valdè amans, incidit vtrique cogitatio; num ille ab Imperatore queat impetrare, quod ex vſu Collegij noſtri ſit, & vndè Theologiæ candidatis ſplendor atque amplitudo maior accedat. Quarè hanc ad te, Maſsi, dedi epiſtolam, rem vt cum Vicino, Giliolo, Iouio, reliquiſque Theologis communices; tum quid petendum à Cæſare ſtatueritis, confeſtim ſignifices. Comparat enim ſe legatus ad iter, & erit operæpretium coram monuiſſe: cum, quæ litteris committuntur, frigeſcant admodum; præſertim miſſa in Germaniã; vbi cæ-

lum

lum conglaciat, & Pontificia iussa ad ignē Purpuræ duntaxat calent. Vale.ex Vrbe.

EPIST. LIV. Romam.

Fuluio Paulucio Pauli V, à Cubiculo.

TEN' igitur hac in proximo iter facientem, dũ regredereris Romã, ad nos non diuertisse? vnius vt saltem dieculæ mora, Cardinalis mei, Viri humanissimi, & in nostrates animo admodũ propẽso, liberali hospitio vtereris? quænam hæc (dicamne?) iugulati officij securitas? Principis enim partes agam, quem suboffendit nuper amici cuiuspiam hominis rusticitas, qui exorari non est passus, vt apud nos biduum versaretur; quosque pridie Kal. Nouemb. in Aede sacra, dum preces haberentur Vesperæ, vocula illa sua blandiore, cantiunculisque ad concentum fistularum organicarũ, suauissimè demulserat; eosdem sub noctem reliquit tristes, deque agresti ingenio iurè conquerentes. Accedit, quòd coram gratulari tibi gestiebam de honore Pontificij cubiculi delato; in quo excubare cuique viro principi perhonorificum semper est visum, & consecuta sæpius est Purpura solitos excipere ac deducere Purpuratos. Quâ verò nunc putem affici voluptate Bonifacium Cardinalem Beuilaquam, qui te Archidiaconũ ad Aulã suam spontè euocarat, & sic familiæ accensuerat, vt haud te, quasi pompã aliquã, suo adiungeret lateri, sed dulcissima cõsuetudine & cõuictu frue-

retur; haberetque, quicum ioca & seria, vt dicitur; quicum arcana omnia communicaret, animumque onere grauissimarũ rerum oppressum, sermonibus mitioribus subleuaret. Is scilicet auctor Perusia migrandi, ac Romam veniendi fuit; simul vt Constantium Nepotem Archidiaconatu insignires, curaresque eidẽ à Cardinalę Lancellotto Sacerdotium suburbanum, quod Abbatiæ titulo decoratũ, Cardinali Burghesio Paulus V. Auunculus antea contulerat. Quàm ἀπὸ βαθείας inquam, γνώμης συγχαίρειν rear Beuilaquam, qui te, quantus quantus es, totum è fontibus consiliorum suorum videat profluxisse? cuius Principis perpetuam benè de omnibus merendi voluntatem, præpotens Deus præmijs immortalitatis donet, te, Vir humanissime, diu nobis sospitem velit esse. Tudere.

EPIST. LV. Romam.

Francisco Fuccio I. V. C.

ERANT multa, quæ huc migraturis nobis, molestiam afferebant. in his, quod ad Anni tẽpus pertinebat, molestius videbatur. Nam quia cfarituri eramus Niuibus, Tiberi, Virgine, alijsque Romanis Fontibus; iurè metuebamus, ne non iucundè atque hilariter æstatem traducere possemus. hæc enim Vrbs, vt amœnitates rerum plurimarum ac delicias habeat, niuium certè copiam, & frequentium adeò aquarum quasi scaturigines, nõ habet. Verũ ea sollicitudo nescio vndè humanissimo Principi suboluerit:

qui

qui liberalissimè,quæ sibi ipsi fore saluberrima existimauit, eadem nobiscum cōmunia esse voluerit. Itaque præter quotidianos διανομὰς & solemnem sportulam,tantum niuis,quoque die nobis attribui iussit,quæ vino & aquæ potui paratæ, refrigerandæ esset satis. Neque tu leuiculum munus reputaueris,& nos præparcos,qui in rem tantillam sumptum facere recusemus. non modò hîc niues in æstiuos menses asseruari nequeunt,sed etiam ex Asisiate aut Fulginate agro conuehendæ sunt,nisi malis Perusia,quæ tantūdem Tudere distat,& alioqui vtitur Asisiatibus. Id, nonnihil abundans otio,in mentem venit ad te scribere,quem tam,scio, delectabit tanta heri liberalitas, quàm eiusmodi potu delectaris ipse,&,vel adstricta gelu Hieme,frigidū bibis.

Vale, & caue,ne excidat, quod istic admonui de Vincentij Cungij doctis Vigilijs. Mitte vel Romanas Lucubrationes, vel de Muneribus Principis partem aliquam.nam Præceptor tuus, vt audio, aliud nihil præter Apologias abortit, meras nugas. Aestas nobis abibit sterilis, nisi quòd,animi atque exercitationis gratia, vertemus è græco Euripidæum aliquid aut Lucianicum. Ludouico Fratri ego multam salutem & Cungio, tibi plurimam Comes Petrus Gabrielius;Tu à me vale iterū quā rectissimè. Tudere.

EPIST. LVI. Venetias.

* * *

MAGNAM Deo sospitali gratiam habeo, qui iter istuc,à te, æstate flagrantissima,

inuitis nobis, susceptum, prosperum & salutare contingere voluerit. id ego eò libentius cognoui, quò me, nullo in præsens negotio, afficere potes beneficio singulari. Etenim superioribus diebus F. Cosmus Balestrinus è Dominicana Familia, inconsulto Patre ac Fratribus, apud quos Perusiæ, à morbo vt reualesceret, commorabatur; Fulginiam rediјt in Cœnobium, & clam profectione cum quopiam constituta, qui delectum habebat Sodalium meliorum, vt secum, rei Christianæ constabiliendæ gratia, Constantinopolim adduceret, certa die istòuersus in viam se dedit; eo consilio, vt nactus Venetijs peridoneam nauim, cum reliquo Religiosorum cœtu à portu solueret. Quod vbi à Parentibus rescitum, non facilè dixerim, quibus verbis dolorem ipsi prodiderint suum: me quidem, cui id subitò significarunt, quique iampridem à meis abesse didici, neque imbecillo adeò sum animo, acriter commouit, iniecitque sollicitudinem, nō tam cogitanti locorum intercapedinem & nauigationis incōmoda, quàm quia ille infirma vteretur valetudine, idque ętatis ageret, quę nullo rerum vsu exercita, malè missionis Apostolicę numeros posse implere videbatur. Quocirca Romam ad maximum eius sodalitatis Præsulem litteras misi, efflagitans; vt iuuenilem impetum ac feruescentem cupiditatem pro potestate cohiberet, Anconæ aut Venetijs iuberet intersistere, ac tantæ rei paulò maturiorem reseruaret, diuinisque disciplinis instructum magis. Respon-

ſpondit; confeſtim ſcripturum ſe Venetias atq; imperaturum; cum illuc perueniſſet, vltrà ne progrederetur. Nunc quod te volo, mi Franciſce; accurras ad Dominicanorum Aedes, Præfectum conuenias, quîcum ita agas, vt hunc noſtrum apud ſe retineat; Cœnobiarcha ſic iubẽte, nobis enixè rogantibus, te adnitente, qui Viri etiam alicuius primarij auctoritatem, ſi ſit opus, obijcies: id mihi in primis cordi eſt, teque oro obſecroque, cùm mea ipſius, tum Parentũ cauſſa, qui aliquantulum reſpirarunt, cùm oſtendi Antiſtitis epiſtolam, & de tua in me beneuolentia certiores feci. Beabis vniuerſos bono, vt ſperamus, nuncio, ac debebimus tibi pro eo, ſupra quàm aut tu poſsis credere, aut nos profiteri. Vale. Tudere.

EPIST. LVIII. Romam.

Dominico Lupio.

AVLICAS igitur iam tertiùm adornas nuptias, quæ tibi eò cariores, quò prenſatione acerrima & fortibus vſus machinis, obtinuiſti. Prodigij ſimile. complures odere primas, ad ſecundas tranſiere quã paucisſimi. velle prętereà de coniugio cogitare, fractarum Muliercularum eſt, aut hominis mirè intemperátis atque ætate abutentis. Marita arbor in tot feminas ramis tamdiu non incumbit: cumque abſtinere connubio non queat, quia videlicet arbor eſt; acta in gyrũ anni tempeſtas aut illã eneruat, aut ſocias interficit. Tu homo tantus natu, canoque mento, qui cum altera atque altera conſenui-

nuisti, ac superstes ambarum duxisti funus, inducere in animum potuisti, vt nouis te coniugij legibus subijceres? non crederem, nisi litteris id significasses tuis. Ergò, vt, remoto inuolucro, apertè rem loquamur ipsam; non te prædo aliquis, non Pirata inter nauigandum, in seruitutem abduxit, neque lictor, manu iniecta, in carcerem deportauit; sed, relatis nuper in Senatorium ordinem Viris aliquot primarijs, in quorum Familias plurimi erant accensendi tu ex his vni; quandò non deerant, qui sedulò ambirent, certarentque inter sese in rationarium adscribi Aulicum; adhibitis in id deprecatoribus grauissimis, vltrò te seruiliter mancipasti: in quo vicem tuam tristius doleo, quia tantum facinus, an scelus? ea ætate perpetraris, in qua, (tametsi primus ille olim cognitus & dilectus Princeps, cui vegetiores & robustiores annos deuoueras, vitæ huius vsura frueretur) tempestiuum fuisset catenas & compedes excutere, teque in libertatem modis omnibus vindicare. Enimuerò ab eorum ingenio abesse tuum, inuitus intelligo, qui in eodem valetudinario hæc ossa; hanc maciem probant. Opto autem homini seni, & carissimo mihi capiti, benè vt vertat hoc nouum incœptum, & cui non malè cessit duorum Principum, quos te iuniores extulisti, famulitium; quàm vereor, ne in præsens contingat, quod generosis Equis fatalè esse consueuit, vt confecti senio, trudantur in pistrinũ aut carro alligentur. Nosti Ennianum illud in Catone

Ma-

Maiore: Sicut fortis equus. Me quidem consilij istius pudet, pigetque, qui vultu graue quiddam & venerandum præ te ferens, exemplo tuo docere nos, nunc primum in hanc Scenam prodeuntes, debueras; aulico homini, vbi satis pinguerit, excogitandam rationẽ, quâ feliciter ab Aula se subducat, sibique viuat. Cum verò illud accidit, vt prior è vita abeat, cuius gratia erat instituta seruitus; tum gloriosius à militia receditur; castra & excubiæ deseruntur; siquidẽ pax interuenit, & omnis bellandi occasio sublata est. Vale amice magne, quem miseratione potius, quàm quod vlla ignominia affectum velim, appellare occurrit, Columnã sepulchralẽ. Rem vide, &, si te amabis ipsũ, desines ineptire. Iterũ Vale.

EPIST. LVIII. Perusiam.

M. Antonio Bonciario.

MALLEM sanè alia quæuis caussa hoc tempore me impellet ad scribẽdũ. Quæro dolori sociũ, mi Bonciari, teque appello vnũ, qui Virũ optimũ atque eruditissimũ iuxta mecũ diligebas, & omni laude dignissimũ prædicabas. O patriæ iacturã incredibilẽ! illi propè parem, quã in Federico Corneo nuper fecimus: & Iuuene & Principe, in sũma totius Aulæ expectatione, ac tantum non purpurato. Lux Augusta è Vaticano excidit, & Antistitem Maximũ mœrore altissimo confecit, qui ad acerbũ nuncium complosit manus, eòque extincti desideriũ immanius

manius doluit; quò arctius in amoribus habuerat. Sed quid vlcus non statim scindo, vt residat, si fieri possit, tumor vno ictu? Balthasar Ansidæus (heu quid ingemuisti?) circiter horã hesternæ noctis tertiã nos deseruit. is, qui sæuientẽ hac æstate in Regione Leonina pestẽ, feliciter effugerat; ineunte hieme, pænè valens, letaliter confoditur. Decubuit dies pauculos morbo leui, qui tamẽ vna diecula hostilẽ in modũ cœpit furere, & imbecillum suopte ingenio hominẽ, facilè prostrauit. Heredes testamẽto scripsit, & sacris, Christiano more, est expiatus. Pontificio sumptu ad Diui Onuphrij elatus est, & temporario marmori nõ longè à Tassiano, nomẽ, munus, ætas simpliciter inscripta. Tu copiosius atque elegantius Epitaphiũ meditabere; cui certè debetur præstantissimũ, quandò, quę in Vrbe lectitantur, ab ipso excogitata, & Pauli V. ædificationibus incisa, omnium præstantissima iudicantur. Vale, mi Bonciari, & da operã, vt quã optimè valeas. Romæ VIII. Idus Decembris CIↃIↃCXIV.

Romam.

Marcus Antonius Bonciarius
Io. Baptistæ Lauro S.D.

ERGò me omnibus amicis, nec tantum natu grandioribus, sed etiam æqualibus, oportet esse superstitem? Mitto quàm multos post Crispoltum, post Palettarium, post alios tibi non ignotos amiserim, vel potius pręmiserim, cũ auditorum

ditorum meorũ nec indocta, nec ignobili turba: inter quos non semel contentio fuerat, me audiente, quis ex illis Magistrum, fato functum, laudaret, ô præposterã atque peruersã mortẽ! ego illos, non dicã laudaui, sed fleui fleoque. De veteribus amicis, quos litterarũ elegantia, & linguarũ varietas insignes redderet, ausim dicere, Vnus mihi supererat Ansidæus. Alios namque ad alia studia vel Genius induxit, vel occasio inuitauit, vel necessitas coëgit: Ansidæus, quas Musas mecũ Puer adamauit, coluitque sub ijsdẽ Magistris, Cardaneto & Mureto, easdẽ pariter mecũ à condiscipulatu traxit in senectam. etsi nõ adeò in grandẽ senectam. biennio me antecedebat: nec ego adhuc τὰ ἑξήκοντα. Viximus præterea studijs communibus dediti coniunctissimè, nec tantummodò cum mitioribus, sed etiã cum seuerioribus Musis vnà venimus in cõgressum, intrò admissi vterque per intimos ostiarios, Cartarium Bononiẽsem, & Massium nostrũ Vterque in publico Gymnasio, & ex eodem suggesto professi sumus ingenuas disciplinas. Illius fuit lectio breuior, spontè deposita, vel potius abiecta, propter insolentiam auditorum. Mansit mea biennium, nec id quidem totum, suborta clanculum, & me adorta Cæcitate. Cuius antea insidijs, postea calumnijs circumuentus, huc eijcior, tanquã in exilium. Secuta est Pisana cõdicio, quam ego certis de caussis prætermissam, ille meo etiam hortatu suscepit, & triennium obiuit insigniter. Florentia Romã euocatur ab Octauio Aquauiua Cardinale, qui cum vetus

illi

illi amicitia,& propè intima familiaritas intercedebat. Inde ad notitiam Summi Pontificis deductus, nemine prensante(at ille ne cogitabat quidem) muneri honestissimo,& eidē in primis quæstuoso,præficitur. Nescio,si Custodē, si Procustodem,seu quo alio appellant nomine,Curatorem Bibliothecæ Vaticanæ. hoc scio, aditum non patere ad huiusmodi prouinciam, nisi Viris,artium varietate conspicuis, & tam Latinè, quàm Græcè scientibus in exquisitum modum, hoc est, per omnia similibus tui, Laure. Ad quē si honos huiusmodi deferretur; ausim ego polliceri,non minus ei muneri,quam tuis aut commodis aut meritis fore consultum. Me verò nihil magis delectat,quàm cùm video virtuti honorem ac præmiū persolui; vt contra percoquere illos non possū, quos fortuna insignibus virtutis honestat,nullum habentes cum virtute cōmercium. Sed hæc illis persuaderi opus foret, quorū in manu res est. Ego meum explicui votum.cuius si compos fierem, non planè desertus ab Ansidæo meo viderer.cuius alioqui desiderium non alia res mihi auferet, quam, quæ illum restituet,propinqua Mors. ita existimo, Laure, Propinqua:contra tuum votum & aliorum,qui nos amant,& spe improba lactant. Cogito illos grandes siue Magistros,siue amicos. quorū proximè memoriam Velserus excitauit,& nunc integrat Ansidæus. P. Bencius anno ætatis quinquagesimo decessit: Cardanetus sexagesimum vix excurrerat, Muretus non implerat, Lipsius intra-

intrabat. citra illos Velserus: nec admodũ ſupra illos Aldus, Titius, Lombardellius. Quid me ſperem, vt viribus minorem, ſic iam annis æqualẽ? Ego verò ſarcinulas meas colligo, quaſi mox profecturus. Tu cupio, Laure, longiſsimo poſt interuallo conſequare, nec tantum fortunâ, ſed etiã ætate me vincas ipſum, &, quos ſupra memoraui, omnes. Viam interim preces & ſacrificia tua nobis expediant. Vale. Peruſiæ. Lucianibus. CIϽIϽCXIX.

EPIST. LIX. Peruſiam.

Diamanti Montemelino I. V. C.

ETSI conſtitueram, nullas hoc tempore, niſi prouocarer, dare litteras, vel hic noui aliquid ſe offerret, quod à nobis perſcribi deberet: tamen cum Farnetus iſtuc reuocaretur, ocreatuſque ad me acceſsiſſet, negauit ſe hinc eſſe diſceſſurum, niſi aliquid à me auferret. Igitur ne non homini noſtri ſtudioſo gratificarer, venit in mentẽ, narratiunculã tecum quandam communicare, heri feſtinanter exaratã, ijs inſerendam Voluminibus, quæ vberrima, & iuratis obfirmata teſtibus, diligentiſsimè pertexuntur, antèquam alicui mortalium publicè ſacri honores decernantur. ea in B. Philippi gloriam, gratiamque, ad hunc modum habet. Cum M. Aurelius Raphaëlius, Procurator Generalis Seruitarum, Peruſiam ad Comitia Prouincialia proficiſceretur, ac Tudere iter faceret; fama accepit, Dei optimi benignitatem in dies magis, magiſque Tudertibus declarari, & permulta edi

miracula; B. Philippo Seruita impetrante, quē præcipuo cultu Ciuitas coleret vniuersa. In his Ciues illud cōmemorabant, iam olim patratū, cū Florentinorū nōnulli, nimia pietate compulsi, eiusdē Sanctissimi Viri corpus clā noctu surripere ausi sunt. Cū enim Mulo imposuissēt, eam tenere decrērunt viā, quâ breuior Florentiā traiectus foret. Verū siue hominum illac prætereuntiū strepitu perterriti, siue celerius vt Tiberim pertransirent, à læua in agrū quendā deflexerunt, qui circiter mille passus à muris aberat: quo in agro Iumentū, crura lentè explicans, remissius, quàm raptores vellent, incedebat. Interea Tudertes ex altissimo somno, hisce Puerorum, in cunis vagientiū vocibus excitantur: Ecquid Patres non expergiscimini, & B. Philippi corpus à prædonibus Florentinis non vindicatis? quibus auditis, magno concursu itum est ad S. Marci: cernunt submotum monumenti tectoriolum; quod religiosè claudebatur intus, impiè sublatum; inanem relictam arcam. Continuò ad arma conclamatum: omnes hac illac circumcursare, ad ambigua Viarum properare; neque ab Vrbe progressi longius, furtum ac fures deprehenderunt; itaque nefarijs hominibus abstulêre ingentem prædā, &, vndè auexerant, recondidêre. Quod autem in admirationē quēque adduxit, & miraculi fidem longè auxit; quā semitam Iumentum calcauit pedibus inter eūdum, ea in certam mox euasit viam, incedentiū vestigijs vulgò pressam, procreandis frugibus inutilem. Hoc intellecto, Raphaëlius, expecta-

tione

tione erectior, loci propius perlustrandi cupiditate flagrantior; nihil antiquius habuit, quàm vt, Perusiæ peractis Comitijs, Tuder regrederetur. Igitur in itinere ibîdem substitit, & ad agrum celeriter perrexit. Commodùm eo ipso die duo ex Canonicis profecti illuc erant, qui Patrem è longinquo conspicati confusum atque incertũ animi, ad se se protinus euocarũt: En, aientes, hîc adest, quã quæris, diuinitus impressa semita, ostenderuntque miraculi faciem, tramitem toto fundo sic spectabilem, vt vix foret herbidus; ibique spicæ, sparsim enascentes, raræ admodum, & perexiguæ cernerentur: contrà vtrinque frumenta omnis generis densa, alta, magnitudinem propè hominis exæquantia; non secus ac si vestigium illud perpetuo quodam muro circumdarent sepirentque, neque vnquam illic quidquam profecisse arationem, subactionẽ, aut fimum denique.

Atque hæc scriptione tumulturia profuderam, nec spatium fuit ad limandum. Farneto enim, synthemate demisso, meritorius sternebatur Equus, qui hinnitu increpasset otiosum, & trahentem moras. His litteris Inscriptionem addendam putaui in idem argumentum, tabulæ tuidam appingendam, iudicium expecto, & te valere iubeo.

Romæ.

(*)

digladiari gestiens, in Forum vocat, litem intẽdit. Etsi autem minus metuo: ne non impostoris techna detegatur; ægrè tamen est mihi, quod animi tranquillitate carere cogor, quique anteà è meo quemque ingenio metiebar; nunc parem in alijs candorem frustra desidero. Quin vides, Vir integerrime, quàm me non puduerit apud te, nostri amantissimum, queri de tam pręclaro simulandi artifice; quem, tuorum meorũque Ciuium intersit, ne quid ex contagione castis aliorum moribus affricetur prauum, & flagitiosum, tua auctoritate castigari, & Prætoris supplicio coërceri. Vale. Romæ.

EPIST. LXI. Maceratam.

Io. Baptistæ de Ninis I. V. C.

CVM Constantino Barnabuccio, à quo has litteras accepisti, mihi coniunctissima familiaritas intercedit, vixitque apud meos compluresannos, in quibus Iurisprudentiæ continentem, operam nauauit. Is nunc post diuturnos exhaustos labores, Legali Laureâ istic insigniri velit. Cum enim Mense præterito, domesticis quibusdam negotijs fuerit in Patriam reuocatus; neque in præsens horsum regredi, sibi admodum ex vsu esse animaduertat: Maceratensem Academiam in qua sui honoris comitia obeat, vti propinquiorem, delegit. Non possum non vehementer tibi hominem, quem tuo ipse amore ac studio dignissimum es iudicaturus, commendare. Primùm igitur eidem Viros,

quorum suffragijs res agenda erit, conciliabis, reddesque testimonio tuo paulò notiorem: deindè cum publicè iudicium de eius dignitate fiet, comitatu aliquo, & frequentia cohonestandum curabis. Ego verò istiusmodi officia, quasi in me contuleris permagni æstimabo,& occasionem aucupabor, quâ studium locupletioris beneuolētiæ, re ipsa, tibi vicissim remetiri queam. Vale. Perusiæ.

EPIST. LXII. Verulas.

Hieronymo Hastæo Episcopo Verulano.

COMMENTARIOS tuos, è myrothecijs scriptorum, quæ plurima es emolitus, delectos, vnà cum elegantibus litteris, accepi, Præsul ornatissime, pro quibus vix dici potest, quātoperè te amem, qui me sic legentem affecerunt, vt, exordio gustato, non conquieuerim, donec ad calcem peruenissem: tanta est doctrinæ varietas, artificium, perspicuitas. Laudabunt posteri, ad quos peruenerint, efferentque nostrorū temporum ingenia, quæ minimè effœtis viribus natura peperit ad inuidiam atque æmulationem antiquorum. Ego is non sum, qui calculum queam apponere; famam tamen auguror, & ad palmam voco, haud vano verborū strepitu, & ventosa oratione; sed pudica epistola, virorum præstantium iudicio præfulta. Ea nunc tibi, Vir doctissime, tenuiter repensat laudes, ad quas nobis tuas legentibus, fuit erubescendum. Ages

igitur

igitur deinceps mecum simplicius, vt de aliorũ & meo sensu liceat loqui liberius, confidentius. Vale. ex Vrbe.

EPIST. LXIII. Perusiam.

F. Innocentio Vgolino Camaldulensi.

TE nè sic angi, sic animo iacere? facto earum rerum naufragio, quas Venetijs coëmptas, nauibus imposueras. At enim perpende iam cuius fidei commiseras; nempè ligno, quo nihil fragilius; mari, quo nihil instabilius: vel vulgus istæc nouit. Sed neutrum, inquies, me fefellit. Neapolitana calamitas, Proregis iussu, merces non tantum meas, sed multorum intercepit. Si sic, iactura leuior, quæ partitur in plures; & illæ mutarunt dominos, non perierunt; quæ amplius neque tuæ, neque aliorum fuerant, ventorum atque vndarũ arbitrio creditæ. Quid, quod ad vos fortassis etiam redibunt? & tanquam depositum sacrum, qui inuasere, fideliter restituent? Etenim haud piratæ, infestà pelagus classe obsidentes, eam prædam secum auexerunt; nec nauis hausta est fluctibus, aut illisit in scopulos: neque te fugit, quo consilio Prorex Venetis incõmodet. Mea est deterior condicio, alea periculosior; qui ab homine decocto, & maximo alieno ære constricto, scutatos centũ exigere habeo, & nulla spes est in syngrapha, in hypotheca, in lictore. Nam & arripuit fugam scelus, &, quidquid domi inerat, corrasit; aut multò

antè inter vxoris dotalia adnumerandum curauit. Idque vel inuito ferendum est; ac, ne irascar sæpius; mihi sunt perlegenda & memoriter discenda, quæ de amissa pecunia præclarus ille Vtriusque fortunæ παγκρατιαστὴς mandauit litteris, Franciscus Petrarca. Vale. Romæ.

Epist. LXIV. Perusiam.

Constantio Paulucio Archidiacono, Abbati.

Ergo in itinere, cum reuerteremur nuper tu Perusiam, ego ad Vrbem, alter in alterũ incidimus, nec vices saltem perfunctoriæ salutationis obiuimus? ego sanè ad Castrum nouum videram prætereuntẽ currum, pellibus demissis, & tendiculis omniquaque obuolutũ, Iumentis quidem agi non ignotis: qui tamen diuinassem, quisnam illic amicornm veheretur? Prægnantem veriùs aliquam feminam sublatere arbitrabar., aut podagricum hominem; quandò bijuges compositè ac molliter incedebant. At enim, qnod & acerbissimè dolet, fui in altero nõ omninò falsus. Tu scilicet improspera valetudine laborans, malè acceptus à Romano Cælo, lenta illa vectatione ferebaris, teque ab iniuria sæuientis aëris (nam inclinabat in Vesperam dies) clauso vehiculo vindicabas. Abs te mehercule sapienter factum, qui, valere iussa Aula, incolumitati consulendum putaueris. Quid enim, obsecro te, hic apud Cardinalem Aquinatẽ tuũ aut Pontificem denique, Præfectum ageres cubiculi

biculi secretioris, valetudinarius? Aequiore ego ferã animo, si exul abeam ad Scythas robustus ac valens; quàm si hic, aureis vsus toralibus, decumbam leuiter in pluma Olorina, fatigatus delicijs potentiorum. Enimuerò quamdiu Perusiæ fui; mente excepta, curis perpetuò molestissimè diuexata, perbellè me habui: modò defæcatiore animo huc reuersus, auidè cupiebam præsens præsente hilariter frui, quod olim non licuit; cum congressus nostros improuisus mearum ærumnarum disiecit turbo; ac tu, Perusia commodùm adueniens; à luctu mihi salutationem inuitus inchoasses. Deum etiã atque etiam rogo, vt de tuis hic degentibus semper tibi læta nunciem, à te, de recuperata quàm primum valetudine, audiam lætiora. Ex Vrbe.

EPIST. LXV. Antriani.

M. Antonio Bonciario.

NON committam, Bonciari humanissime, vt officij religionẽ neglexisse videar. Has litterulas, ante quàm Perusia discederẽ, scripsi, ab Aula duos iam Menses feriatus. Non abibo, te insalutato, etsi non conspecto: doleo, congressus nostros fuisse rariores: tametsi ego gnarus occupationum Scholasticarum; expectabã consultò dies, Auditoribus tuis per Autũnum, relaxando animo destinatos. In id tempus multa reieceram, quæ ad studia & Lucubratiunculas meas pertinebãt. In his erat εἰκών Aulicæ Venationis, de qua non illepidũ, ni fallor, Commen-

tarium confeci. Verum quandò ereptus est mihi fructus suauitatis & doctrinæ tuæ; effice, obsecro te, ne per litteras eo nimis diu careamus, nosque subtilitate atque elegantia scriptorum tuorũ crebrius exhilara, quibus nimioperè Cardinalis meus delectatur. Illi ego salutem abs te plurimam. Tu fac valetudinem sũma cura tueare, & nos ames. Perusiæ. Pridie Kal. Nouembris CIↃ IↃ CXV.

Romæ vbi fuero, nihil habebo potius, quàm vt tibi ac Leontio meo conquiram F. Ioannis de Carthagena Hispani Homiliarum Volumina, quæcumque ad hanc diem in lucẽ protulit. Cuius ego beneuolentiã mirum in modum glorior, & singularem sacratioribus in studijs præstantiã admiror. Vir scilicet optimus Christo ac famæ, in pietate Euangelica excolenda, Vigilias & labores fœnerat: cui si Elogium tua eloquẽtia concinnarit, non tam ipsius existimationi velitabitur, quàm tuæ.

Romam.

Marcus Antonius Bonciarius
Io. Baptistæ Lauro S.D.

O Verè aureas litteras, quarum Artemius meus & lator & lector fuit. Mihi crede, non multum ab eo absui, vt amarem rusticitatẽ meam, quod primùm insalutato tali amico discesserim; deindè quod tamdiù fuerim Ruri præter consuetudinem: cum à te videam scripto exiguo, si litteras numeres, at eximio, si verba, sententias, amorẽ, illustria omnia, meã culpam fuisse

isse donatam. Docebit sæpius malè agere facilitas tua, Laure, ingenuos amicos, si ad hunc modum peccata dissimulas, & quasi officia pretio rependis. Me certè ab excusationibus initium scribendi facturum, humanitas tua retorsit ad gratias agendas & ago scilicet quàm maximas, quàmque amplissimas possum, pro tuis erga me omnibus officijs; at longè maiores ampliores-que, quòd sensum interpretans meum, qui nunquam à tuo discrepat, Illustrissimum Cardinalem, atque communem Dominum, meo nomine appellandum, ac salutandũm censueris. Benè vale. Ex Seminario, Vigilijs Martinalibus CIↃIↃCXV. Perusia.

Hanc epistolam lecto decumbens, & vix fandi potens, dictaui. Quod magis mirabere ac miserabere, non solemnibus torqueor morbis, à quibus iamdiu otium & pax est: saltem induciæ longiusculæ. nunc vt membra singula æquas habeant partes, nec alterum alteri posit inuidere, silentibus articulis, gula, stomachus, venter interstrepunt, & turbas cient. Nocte ante proximam, repentè vomitus erupit, cuius crudelitatem intelligas licet. Postquam corpus vndique corrasum spoliauit & exhausit, viam quoque nouis commeatibus obstruxit: obstruxit, vt esculenta nullo modo, poculenta vix, ægrèque stillata traijcere queant. Nec interim dolor cessare. hoc iã molestior, quòd in verba, & questus effũdere nõ licet. Clamant cognati, & amici cariores timidioresque, vt hanc deferã mihi fa-

ta-

talem domum, fortè nouas coquentem iras, necdum saturam veteribus iniurijs. Ego aliam recentis morbi caussam reor fuisse. Itaque, si resurgo certũ est durare, vt optimus Antistes obsequium & fidem meam commendet: ad extremũ excuset necessitatẽ. Tu etiã atq; etiã vale, mi Io. Baptista; quo incolumi, sospes esse aliquam partem, nec ex toto ægrotare mihi videbor. Eadem die.

Epist. LXVI. Hispellum.

*Aeschini * * * I.V.C.*

Excvsationem intermissionis litterarum non affero, quandò occupationes meas non ignoras, atque is ego sum, qui malim nullas, quàm inanes dare. Neque nunc scripturus fui, nisi infelix Hieronymi Perezij casus argumentum præbuisset. Recordaris, opinor, quem tu mihi superiore anno, cum hic esses, laudare consueueras, Philosophum eximium, & Cælum Mathematicum sedulò curantẽ. Cupiebas hominem reuisere, vt ab eo, impensa largiter pecunia, eiusmodi quippiam tuis Filiolis impetrares, quale in te iampridem, veluti oraculo, ediderat, & Stellarũ fidem (quæstum enim ex ijs faciebat) tibi oppignerauerat. Is nuper inopinatum ac miserabile infortunij genus ante mortem incurrit. Cœperat sub hos dies grauissimè ægrotare, tantaque hominem διάῤῥοια arripuerat, vt consistere nõ posset. Sub hæc amentiæ quidam morbus, qui in animi domicilio delituerat,

tuerat, erupit, victorque in apertũ prodijt. Suaui insaniæ specie vexatus est. Accedentes amicos festiuissimè salutabat, interrogabatque; videreturnè satis pennis ad volandum munitus. Rebatur enim alas sibi, minimè cera agglutinatas, sed humeris, manibus, pedibus enatas, quibus posset, haud quidem modico volatu à terra, Anserum exemplo, se sustollere; verum Icarum & Mercurium æmulari. Annuere illi in præsentia quibus, vt prorsus citra metum foret, maiorem adhiberi custodiam placuit. Medicamentorum nihil omissum, vel Squillas putem à sepulchris auulsas; quibus antiquius hoc malum expiabatur. nec frustra: dìceres, ab ea fatuitate paululum reuocatum. Die quodam cum iaceret dormienti similis, quique ægrotanti assiduè conuiuebant, in remotius cubiculum, lenius ille vt quiesceret, secessissent; præter solitum subgiiscente vesania, ridicula morbi protasis in deterrimam exijt catastrophen. Primũ, vbi neminem videt, Lectulo consurgit, clauem abducit, cubiculi foribus obdit pessulum; deindè stratum, ligna, arculas eò obuertit, sic vt, clatrato ostio, nemo ingredi queat; postremò, sicuti erat nudus, se fenestræ applicat, ac, perindè altiuolus euasisset, demittit se se per præceps, & in subiectam viam cadit. Aderant ibidẽ Mulierculæ fabulantes, garrientes. casu illo exterritæ, aufugerunt, & in tota vicinia clamores excitarunt. Miser fracto crure, & læua corporis parte insigniter læsa, tantum animam non exhalauit-

halauit: ſemianimis in Noſocomium adſportatur. Ingraueſcit morbus, animus priſtinæ ſanitati reſtitutus, deploratum corpus deſerit, & in cæleſte, vt credimus, migrat contubernium. Habes exitum Viri, diſciplinis omnibus exculti; quibus quidem, quòd addictum ſibi hominem ab ea dementia non eripuerint, aliquis fortaſſe malè precetur: atqui verè obtinuit illud à Sapientibus nè, an à Vulgo? Fatis agimur. noſti reliqua. Vale. Romæ.

EPIST. LXVII. Tuder.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.

D. MARCELLO LANTI S. R. E. CARDINALI,

Io. Baptiſta Laurus S. D.

QVOD Romæ facturus fuerã, Cardinalis Ampliſsime, ſuadentibus Amicis, rerum talium optimis æſtimatoribus, vt Litterulis Latinis noſtris receptui canerem, earũque nonnullas ſaltem, formis excudi ſinerẽ: id nũc, etſi res haud quidẽ videbatur tanti, quæ neglecta religionem inijceret, præſtare in otio Peruſino licet, quandò & tu, Princeps vigilantiſsime,

me, Tuder reuersus, ad Ecclesiam tuam propius administrandam, & Christianis officijs excolendam, nobis in Patriam, ob propinquitatē, tantisper cōmigrandi facultatem humanissime dedisti. Ergò quas Epistolas, non è pluribus ac melioribus delectas, sed vt quæque occurrere, in aceruum quasi reddas, vtque olim sine cura exarauimus, natiuæ simplicitati relictas, hic in Cēturiā coniecimus, Tuo Nomini nuncupamus: haud quaquā iudicia quorundā veriti. qui nimis anxiè ac fastidiosè probare cōsueuerunt, si quid alijs parum probandum videri volunt. Illud equidē minus vsurparim; νικᾷ γὰρ αἰεὶ διαβολὴ τὰ κρίττονα: hisce enim leuioris oper[illegible]mporarijs studijs absoluti nomē velle impon[illegible], hominis sit ad sua stultè conniuentis. Neque ego simulacrum me ipso maius in Musarū Aedem, hoc est, in doctissimorū Virorū Theatrū inferre audeā, quod Accius Poëta fecit, ideò & impudentior est habitus. cùm præsertim superciliosis illis bona fide, quidquid peccauerimus, parati excusare continuò simus, aut, si malint carpere, præterire silentio atque eludere. Verborū fumos & cōuicia ignorat Pudor, cui persanctè nos deuouimus (quamuis Histrionicæ genus cēseatur esse, à qua scilicet absit pudor omnis, Libros in vulgū prodere) quippè nos vel tenuiter laudāda, vberrimæ laudis fructu tempestiuè cumulamus: hæremus autem & intersilescimus, cum pudenter parcèue non possumus. Nam ingeniorum fœtus quosdam parum auspicato, vt ita

lo-

loquar, nixu nuper emissos, ne mihi malè ominer, ab animo & calamo prorsus reieci. Alienarum Vigiliarum funera nō sunt tanti. cicatrices & vestigia contumeliarum ament illæ, nostrarum candor non admittat: haud hic quēquam, velut è proscenio, nominarim. Habeant porrò incolumen suam Venerem, qui Etrusca sunt moliti; nisi si Diomedes aliquis vulnus inflixit, aut Vulcanus catenis obuallauit. Latina sanè scripta emunctioris elegantiæ hac tempestate edidere perpauci; egoque admodum felici Genio videar litasse, si, vt meliorum indolem assequerer, non tantum oculos, verum etiam artifi[illegible]manus à me fuisse admotas, vtcunque o[illegible]dero. Neque id eâ gratiâ, vt gloriolæ vllius[illegible]ndè mihi aucupium quærerem: nihil minus. cum incertæ famæ lenocinium neutiquam sit me consecuturum ab obitu, à quo, tametsi haud ita natu grandis, propè fortassis absum, & me Iuniores firmioresque alienissimo tempore anteuenterint, præsidiaque posteritatis omnia improuisi calamitas morbi excusserit atque prostrauerit. Nosti nimirum, Patrone amabilissime, quàm immaniter florentem illam deuinctissimæ tibi Domus frugem proterua Nemesis præsecuerit; nec fore exindè sperem; vt in complexum sinceræ voluptatis vnquam relabar. Vnam, ita me Superi benè ament, grati aduersum te animi testificationem propositam habui; ne beneficia, quæ in me plurima contulisti, iacere

in

in obſcuro diutius paterer: tum vt aliquà intelligeres, poſſe me in eo, quod benignè feceris, gnauiter deſudare. idque hoc felicius, quo benefacta nouis ſubinde geſtis obruũtur; commendata ſemel litterarum monumentis, perpetuò extant, & nutu accedente blandientium Gratiarum, fiunt indies locupletiora. Quod quamquam expenſa numeris, & eloquentiæ lita luminibus oratione, pro dignitate præſtare non valeo: tamen ob laudabilem conatum, declaratio qualiſcumque reijcienda non eſt. minuſque ſtudium hominis reprehendendũ videtur, qui vel ſui diſpendio nominis, ſi alio non queat modulo, præclarè de ſe merenti nitatur ſatisfacere. Igitur quam nunc Princeps humaniſsime, primam damus Epiſtolarum Centuriam (aliæ, prout ceſſerit alea, poſt ſequentur) & tuo munitam clypeo, qui Aiacis Homerici inſtar eris, in publicum emittimus, hoc libentius ac ſtudioſius tueri debes, nec abnuẽdi eſt cauſſa, cũ poſsis; quo, tua Nos ipſos, qui ſcripſimus, aliis in Familia, vt gratis & nihil promeritos, ita futuros Tibi magis obnoxios, magis obſequentes. Vale. Ex Auguſtà Peruſia, Idibus April. CIↃ.IↃC.XVIII.

LXVIII. Peruſiam.

Rudolpho Calidonio.

ERGO non vno iam vulnere miſeri ſauciamur? & crebra, quæ in nos coniurant mala,

antè inter vxoris dotalia adnumerandum curauit. Idque vel inuito ferendum est; ac, ne irascar sæpius; mihi sunt perlegenda & memoriter discenda, quæ de amissa pecunia præclarus ille Vtriusque fortunæ παγκρατιαστής mandauit litteris, Franciscus Petrarca. Vale. Romæ.

EPIST. LXIV. Perusiam.

Constantio Paulucio Archidiacono, Abbati.

ERGO in itinere, cum reuerteremur nuper tu Perusiam, ego ad Vrbem, alter in alterũ incidimus, nec vices saltem perfunctoriæ salutationis obiuimus? ego sanè ad Castrum nouum videram prætereuntẽ currum, pellibus demissis, & tendiculis omniquaque obuolutũ, Iumentis quidem agi non ignotis: qui tamen diuinassem, quisnam illic amicornm veheretur? Prægnantem veriùs aliquam feminam sublatere arbitrabar., aut podagricum hominem; quandò bijuges compositè ac molliter incedebant. At enim, qnod & acerbissimè dolet, fui in altero nõ omninò falsus. Tu scilicet improspera valetudine laborans, malè acceptus à Romano Cælo, lenta illa vectatione ferebaris, teque ab iniuria sæuientis aëris (nam inclinabat in Vesperam dies) clauso vehiculo vindicabas. Abs te mehercule sapienter factum, qui, valere iussa Aula, incolumitati consulendum putaueris. Quid enim, obsecro te, hic apud Cardinalem Aquinatẽ tuũ aut Pontificem denique, Præfectum ageres cubiculi

biculi secretioris, valetudinarius? Aequiore ego ferã animo, si exul abeam ad Scythas robustus ac valens; quàm si hic, aureis vsus toralibus, decumbam leuiter in pluma Olorina, fatigatus delicijs potentiorum. Enimuerò quamdiu Perusiæ fui; mente excepta, curis perpetuò molestissimè diuexata, perbellè me habui: modò defæcatiore animo huc reuersus, auidè cupiebam præsens præsente hilariter frui, quod olim non licuit; cum congressus nostros improuisus mearum ærumnarum disiecit turbo; ac tu, Perusia commodùm adueniens; à luctu mihi salutationem inuitus inchoasses. Deum etiã atque etiam rogo, vt de tuis hic degentibus semper tibi læta nunciem, à te, de recuperata quàm primum valetudine, audiam lætiora. Ex Vrbe.

EPIST. LXV. Antriam.

M. Antonio Bonciario.

NON committam, Bonciari humanissime, vt officij religionẽ neglexisse videar. Has litterulas, ante quàm Perusia discederẽ, scripsi, ab Aula duos iam Menses feriatus. Non abibo, te insalutato, etsi non conspecto: doleo, congressus nostros fuisse rariores: tametsi ego gnarus occupationum Scholasticarum; expectabã consultò dies, Auditoribus tuis per Autũnum, relaxando animo destinatos. In id tempus multa reieceram, quæ ad studia & Lucubratiunculas meas pertinebãt. In his erat εἰκὼν Aulicæ Venationis, de qua non illepidũ, ni fallor, Commen-

tarium confeci. Verum quandò ereptus est mihi fructus suauitatis & doctrinæ tuæ; effice, obsecro te, ne per litteras eo nimis diu careamus, nosque subtilitate atque elegantia scriptorum tuorũ crebrius exhilara, quibus nimioperè Cardinalis meus delectatur. Illi ego salutem abs te plurimam. Tu fac valetudinem sũma cura tueare, & nos ames. Perusiæ. Pridie Kal. Nouembris CIↃ IↃ CXV.

Romæ vbi fuero, nihil habebo potius, quàm vt tibi ac Leontio meo conquiram F. Ioannis de Carthagena Hispani Homiliarum Volumina, quæcumque ad hanc diem in lucẽ protulit. Cuius ego beneuolentiâ mirum in modum glorior, & singularem sacratioribus in studijs præstantiã admiror. Vir scilicet optimus Christo ac famæ, in pietate Euangelica excolenda, Vigilias & labores fœnerat: cui si Elogium tua eloquẽtia concinnarit, non tam ipsius existimationi velitabitur, quàm tuæ.

Romam.

Marcus Antonius Bonciarius
Io. Baptistæ Lauro S.D.

O Verè aureas litteras, quarum Artemius meus & lator & lector fuit. Mihi crede, non multum ab eo absfui, vt amarem rusticitatẽ meam, quod primùm insalutato tali amico discesserim; deindè quod tamdiù fuerim Ruri præter consuetudinem: cum à te videam scripto exiguo, si litteras numeres, at eximio, si verba, sententias, amorẽ, illustria omnia, meã culpam fuisse

isse donatam. Docebit sæpius malè agere facilitas tua, Laure, ingenuos amicos, si ad hunc modum peccata dissimulas, & quasi officia pretio rependis. Me certè ab excusationibus initium scribendi facturum, humanitas tua retorsit ad gratias agendas & ago scilicet quàm maximas, quàmque amplissimas possum, pro tuis erga me omnibus officijs; at longè maiores amplioresque, quòd sensum interpretans meum, qui nunquam à tuo discrepat, Illustrissimum Cardinalem, atque communem Dominum, meo nomine appellandum, ac salutandũm censueris. Benè vale. Ex Seminario, Vigilijs Martinalibus CIↃ IↃ CXV. Perusiæ.

Hanc epistolam lecto decumbens, & vix fandi potens, dictaui. Quod magis mirabere ac miserabere, non solemnibus torqueor morbis, à quibus iamdiu otium & pax est: saltem induciæ longiusculæ. nunc vt membra singula æquas habeant partes, nec alterum alteri possit inuidere, silentibus articulis, gula, stomachus, venter interstrepunt, & turbas cient. Nocte ante proximam, repentè vomitus erupit, cuius crudelitatem intelligas licet. Postquam corpus vndique corrasum spoliauit & exhausit, viam quoque nouis commeatibus obstruxit: obstruxit, vt esculenta nullo modo, poculenta vix, ægrèque stillata traijcere queant. Nec interim dolor cessare. hoc iã molestior, quòd in verba, & questus effũdere nõ licet. Clamant cognati, & amici cariores timidioresque, vt hanc deserã mihi fata-

talem domum, fortè nouas coquentem iras; necdum saturam veteribus iniurijs. Ego aliam recentis morbi caussam reor fuisse. Itaque, si resurgo certũ est durare, vt optimus Antistes obsequium & fidem meam commendet: ad extremũ excuset necessitatẽ. Tu etiã atq; etiã vale, mi Io. Baptista; quo incolumi, sospes esse aliquam partem, nec ex toto ægrotare mihi videbor. Eadem die.

Epist. LXVI. Hispellum.

*Aeschini * * * I. V. C.*

Excvsationem intermissionis litterarum non affero, quandò occupationes meas non ignoras, atque is ego sum, qui malim nullas, quàm inanes dare. Neque nunc scripturus sui, nisi infelix Hieronymi Perezij casus argumentum præbuisset. Recordaris, opinor, quem tu mihi superiore anno, cum hic esses, laudare consueueras, Philosophum eximium, & Cælum Mathematicum sedulò curantẽ. Cupiebas hominem reuisere, vt ab eo, impensa largiter pecunia, eiusmodi quippiam tuis Filiolis impetrares, quale in te iampridem, veluti oraculo, ediderat, & Stellarũ fidem (quæstum enim ex ijs faciebat) tibi oppignerauerat. Is nuper inopinatum ac miserabile infortunij genus ante mortem incurrit. Cœperat sub hos dies grauissimè ægrotare, tantaque hominem διάῤῥοια arripuerat, vt consistere nõ posset. Sub hæc amentiæ quidam morbus, qui in animi domicilio delituerat,

tuerat, erupit, victorque in apertū prodijt. Suaui insaniæ specie vexatus est. Accedentes amicos festiuissimè salutabat, interrogabatque; videreturnè satis pennis ad volandum munitus. Rebatur enim alas sibi, minimè cera agglutinatas, sed humeris, manibus, pedibus enatas, quibus posset, haud quidem modico volatu à terra, Anserum exemplo, se sustollere; verum Icarum & Mercurium æmulari. Annuere illi in præsentia, quibus, vt prorsus citra metum foret, maiorem adhiberi custodiam placuit. Medicamentorum nihil omissum, vel Squillas putem à sepulchris auulsas; quibus antiquius hoc malum expiabatur. nec frustra: diceres, ab ea fatuitate paululum reuocatum. Die quodam cum iaceret dormienti similis, quique ægrotanti assiduè conuiuebant, in remotius cubiculum, lenius ille vt quiescceret, secessissent; præter solitum subglíscente vesania, ridicula morbi protasis in deterrimam exijt catastrophen. Primū, vbi neminem videt, Lectulo consurgit, clauem abducit, cubiculi foribus obdit pessulum; deindè stratum, ligna, arculas eò obuertit, sic vt, clatrato ostio, nemo ingredi queat; postremò, sicuti erat nudus, se fenestræ applicat, ac, perindè altiuolus euasisset, demittit se se per præceps, & in subiectam viam cadit. Aderant ibidē Mulierculæ fabulantes, garrientes. casu illo exterritæ, aufugerunt, & in tota vicinia clamores excitarunt. Miser fracto crure, & læua corporis parte insigniter læsa, tantum animam non exhalauit-

halauit: ſemianimis in Noſocomium adſportatur. Ingraueſcit morbus, animus priſtinæ ſanitati reſtitutus, deploratum corpus deſerit, & in cæleſte, vt credimus, migrat contubernium. Habes exitum Viri, diſciplinis omnibus exculti; quibus quidem, quòd addictum ſibi hominem ab ea dementia non eripuerint, aliquis fortaſſe malè precetur: atqui verè obtinuit illud à Sapientibus nè, an à Vulgo? Fatis agimur. noſti reliqua. Vale. Romæ.

EPIST. LXVII. Tuder.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.

D. MARCELLO LANTI S. R. E. CARDINALI,

Io. Baptiſta Laurus S. D.

QVOD Romæ facturus fuerã, Cardinalis Ampliſsime, ſuadentibus Amicis, rerum talium optimis æſtimatoribus, vt Litterulis Latinis noſtris receptui canerem, earũque nonnullas ſaltem, formis excudi ſinerẽ: id nũc, etſi res haud quidẽ videbatur tanti, quæ neglecta religionem inijceret, præſtare in otio Peruſino licet, quandò & tu, Princeps vigilantiſsime,

me, Tuder reuersus, ad Ecclesiam tuam propius administrandam, & Christianis officijs excolendam, nobis in Patriam, ob propinquitatẽ, tantisper cõmigrandi facultatem humanissime dedisti. Ergò quas Epistolas, non è pluribus ac melioribus delectas, sed vt quæque occurrere, in aceruum quasi reddas, vtque olim sine cura exarauimus, natiuæ simplicitati relictas, hic in Cẽturiã coniecimus, Tuo Nomini nuncupamus: haud quaquã iudicia quorundã veriti, qui nimis anxiè ac fastidiosè probare cõsueuerunt, si quid alijs parum probandum videri volunt. Illud equidẽ minus vsurparim; νικᾷ γὰρ αἰεὶ διαβολὴ τὰ κρείττονα: hisce enim leuioris operæ temporarijs studijs absoluti nomẽ velle imponere, hominis sit ad sua stultè conniuentis. Neque ego simulacrum me ipso maius in Musarũ Aedem, hoc est, in doctissimorũ Virorũ Theatrũ inferre audeã, quod Accius Poëta fecit, ideò & impudentior est habitus. cùm præsertim superciliosis illis bona fide, quidquid peccauerimus, parati excusare continuò simus, aut, si malint carpere, præterire silentio atque eludere. Verborũ fumos & cõuicia ignorat Pudor, cui persanctè nos deuouimus (quamuis Histrionicæ genus cẽseatur esse, à qua scilicet absit pudor omnis, Libros in vulgũ prodere) quippè nos vel tenuiter laudãda, vberrimæ laudis fructu tempestiuè cumulamus: hæremus autem & intersilescimus, cum pudenter parcèue non possumus. Nam ingeniorum fœtus quosdam parum auspicato; vt ita

lo-

in obscuro diutius paterer: tum vt aliquà intelligeres, posse me in eo, quod benignè feceris, gnauiter desudare. idque hoc felicius, quò benefacta nouis subinde gestis obruūtur; commendata semel litterarum monumentis, perpetuò extant, & nutu accedente blandientium Gratiarum, fiunt indies locupletiora. Quod quamquam expensa numeris, & eloquentiæ lita luminibus oratione, pro dignitate præstare non valeo: tamen ob laudabilem conatum, declaratio qualiscumque reijcienda non est. minusque studium hominis reprehendendū videtur, qui vel sui dispendio nominis, si alio non queat modulo, præclarè de se merenti nitatur satisfacere. Igitur quam nunc Princeps humanissime, primam damus Epistolarum Centuriam (aliæ, provt cesserit alea, post sequentur) & tuo munitam clypeo, qui Aiacis Homerici instar eris, in publicum emittimus, hoc libentius ac studiosius tueri debes, nec abnuēdi est caussa, cū possis; quo tua Nos ipsos, qui scripsimus, alis in Familia, vt gratis & nihil promeritos, ita futuros Tibi magis obnoxios, magis obsequentes. Vale. Ex Augusta Perusia. Idibus April. CIƆ.IƆC.XVIII.

LXVIII. Perusiam.

Rudolpho Calidonio.

ERGO non vno iam vulnere miseri sauciamur? & crebra, quæ in nos coniurant mala;

hunc suspiriorum quasi ventum, non sinunt elanguescere? grandem profectò iacturam fecimus in Ansidæo: propemodum parẽ in Bonciario; si non ob aliud, certè quia superstes relictus, partes illius & suas obibat quam egregie, cum totus in scribendis Libris versaretur, securus famæ, certus immortalitatis, quam multiplici fœtu sibi comparauerat. Dederat ad me litteras ab obitu Ansidæi, amoris & querelarum plenas, diuinabatque iam tum abesse propius migrationem suam: scripserat etiam sub initium morbi, qui postremus ei fuit. Quapropter hoc grauius huius decessu angor, quia maximus mihi cum illo vsus, & familiaritas intercedebat. Ferrem autem paulò moderatius, si aut morienti adfuissem, aut extremis in sermonibus aliqua mei absentis fuisset subiecta recordatio. Ceterum ecquid, Rodulphe, excidit inter scribendum? parco dicere, factum per imprudentiam, ne te verbo asperiore suboffendam. Igitur amor vsque adeò imponit tibi, vt seriò affirmes, post sublata duo illa Eloquentiæ lumina, Vnum me? Sed taceo, ne sit iterum erubescendum. Enimuerò si quid olim ex me lucis, quam non agnoui quidem; id nunc omne tenebris Aulæ infuscatum est. Non desunt istic præclara ingenia, quæ in omnem eruditionis laudem rectis studijs incumbant. in his dicerem te primas obtinere, nisi pudori tuo ego modestius consul-

fultum vellem, quàm tu meo. Veniam tamen do, quia Amori Amor irasci non consueuit. Romæ. Idib. Ianuar. CIↃ IↃCXVI.

LXX. Perusiam.

Christophoro Ferro.

O Triste planè atque acerbum funus! non poterat Vrbi nostræ quidquam accidere luctuosius, quàm Clarissimi Viri immatura mors, quo nimirum clades, plurimorum interitu acceptas, solabatur vno, &, quo superstite, Latinæ litteræ damni nihil fecisse videbantur. Mihi studia omnia excussit dolor, ità vt nec Musas liceat appellare, hortarique, mecum vt, quo genere queant Carminum, pio fungantur munere, ad Bonciarianas exequias celebrandas. Vtinam funebri concioni, quæ in Ecclesia primaria pleno hominum conuentu, vt scribis, recitabitur, daretur interesse: eam volo mihi quàmprimum exscribas, tum adijcias epicheremata, epitaphia, epicedia, & quæ istic cumque publicè vel priuatim ab Augustis Vatibus procudentur. Persuasum enim habeo, longè plura nobilem Iuuentutem, quã præcipuè hæc tangit calamitas, exhibituram; cum par facundia dolorem consequatur atque amorem. Vale. ex Vrbe Idib. Ianuarij CIↃ IↃCXVI.

tationes amicorum consopitum excitassent. Tuo vtar libro ad dies pauculos,tu meo,quam diu volueris; cum, quod propediẽ fiet,descriptus ad te perferetur, cuius ego pectus plus quàm aureum, sincerumque iudicium iampridem exploratum habeo.

Clausulam his adnexui litteris,quod eius legendæ desiderio teneri te, cũ heri de nebulone illo colloqueremur, indicasti. Pythagoram aiunt,quanta corporis mole fuisset Hercules, è modulo pedis iudicasse. Tu nihil tale de toto opere ex hac particula; appendix enim quædam est,quasique Παρεκβατικὸς λόγος & laciniosæ vestis superfluens ora ac segmentum nihili. Ad hunc modum in Commentarij calce peroraui, & Illustrissimum Dominum,cui inscripsi, non illepida narratione dimisi. Vale.

Ex Commentario De Venatione Aulica.

HABES, Princeps, Venationis Aulicæ imaginem si minus ad viuum expressam, adumbratam certè ijs coloribus, qui eam latere nusquam sinent. Scripsi alicubi cum stomacho, memor oblatæ præter opinionem Venatiunculæ propè è manibus ereptæ, me increpans ipsum, & vultum pudore commaculans; qui aliorum rationes calamo fauorem haud ineptè persecutus, mea ipsius studia contempserim, & prædæ, cui,natus è luto Eques *inhiabat, lanceam fortiter non obiecerim. Sed scilicet et hæc est Artium meliorum probrosa condicio, vt differere de his instituant, qui sunt ignorantiores; quemadmodum Philosophi benè*

vncti, & obsoniorum pleni, multa de temperantia & sobrietate ridiculè balbutiunt; sic ego de Venatione Commentarium sedentario labore confeci, qui Venatoriam nunquam exercui. Ad lepidum tamen argumentum tantum industriæ ac vigiliarum attuli, quantum Comœdiarum ac Tragœdiarum scriptorem adhibere decet, qui in Fabula pertexenda, assumpto socco aut cothurno, modò hanc, modò illam personam effingere ac sustinere habeat, cuius Mimus è Theatro non mereatur explodi. Quid voluerim, quò collineauerim; esto censura eiusmodi nostri temporis Virorum, vt ad maiorum nostrorum ætatem omninò referant, nec candidum hominem lusisse in Aulam recentem, falsò iudicent, qui consilium & calamum direxit ad remotiorem vetustioremque. Celebratur præclarum M. Antonini dictum, qui, amicis hortantibus, Faustinam, quæ malè audiebat, vt repudiaret, respondit; Si Vxorem dimittimus, reddamus & dotem, Imperium dotis nomine designans, quod Faustina referebat acceptum: ita & nos, si in præsentem Aulam inuehimur, dimittere eam conuenit, &, quidquid ab ea lucri in nos affluxit, restituendum. Atqui optimè recordaris, Patrone amabilissime (quamquam benefici est, obliuisci eorum, quæ confert; non iis quos) quam magnifico donario nos exceperis, vbi primum non ingenerosam seruitutem apud te sumus auspicati. Ea tu vltronea liberalitate delectatus, nunquam destitisti splendida munificentiæ sarcina clientulum grauare; sic vt recens Aulicus visus sim inter Gratias, quas in meo scriniolo, iuxta Theocritum, frigidis genibus squallidas iacêre credideram, feliciter consenuisse. Vtinam hierarchico beneficio frui integro solidoque licuisset, in quo propugnando,

Genio,

Genio planè ringente ac reclamante. in forum, ad subsellia, ad Iudices sum protrusus. Digitum præmordeo, pigetque nescire in eos oblatrare, qui dissidij auctores extitere. Et quidem alterum, Tartari nunc ciuem, qui hic profitebatur peregrinum, Inferorum Satelles implacabilis, ex improuiso Mors abduxit ad Aeacum & Rhadamantum, quibuscum petulanter in præsens litigat, & cum arguta & canina facundia Eumenidibus æternùm cruciandus mancipabitur. Alterum moribus agrestibus, & aspero vita cultu omnibus infensum, quamuis nomen arrideat humanius, placabilius, si diuinare irato fas est, malorum Lerna obruet, &, vt viuens inter Bubalos & Onagros diuersatur, iisdem fato infelici functus projicietur deuorandus, sed rem, sicuti est gesta, paucis exponamus.

Biennium est, cum Patri Patrato Ærarium ad Tullij Hostilij Aedes & Hydragogias Carminibus non vnius generis sum gratulatus. Nec in parcum, & ieiunum laudatorem ille fuit ἄδωρος, qui, vt verbis ac re benignè faceret, è Silua Muneraria, siue è Viuario Quirinali, eductum Aprum nobis alendum fruendùmque dedit. Equidem, eo beneuolentis animi monumento, non aliter gestiebam, quàm Terentianus Charea potitus virgine. Animus immodicè tripudians, commouit Nemesin, & cuiusdam Thrasonis prodigiosa gloria conflauit inuidiam. Prò quantum negotij habui, hunc vt auerterem, qui & pergit molestiam exhibere, desiturus, opinor, cum desierit lucis huius vsura frui; quod propè vt absit, impensè voueo: vsque adeò contumax, interuersum & ab omni humanitate alienum ingenium gerit. Sed præstat inuidiosum esse, quàm miserabilem: vellicet,

mordeat, insectetur; non erimus tam infantes, tam ficulnei, verueces denique, qui non reponamus iniuriam, & cominus atque eminus depugnemus.

Igitur ubi venustus Aethiops resciuit, Belluam pramissam domum, continuò ad viarum flexus & diuerticula, cum Canibus venaticis, emissarios dispo-suit pueros, & quaquauersum clancularias insidias parat. Nec beneuoli pramonitores defuere, iussi subsistere, & ad contubernium amici capitis diuertere, occludique introrsus in inferiore adium parte. Nam superiorem minimè tutam existimaui; ne fortassis cupidum sciendi Animal, si quid clamoris & tumultus in vicinia oboriretur, efferret è fenestra caput, & veluti Asinus Apuleianus, suo se proderet indicio. Interim Feciales ad Dionysium hunc legaui, qui ab instituta venatione (pepercimus latrocinij verbo) reuocarent. Accessi egomet, & quibus potui verbis, humilibus, apertis, lenibus, oraui, obsecraui: haud omittens permodestè innuere, quàm non sobrij iudicij rem faceret, quod alienum foret, non velle modò in discrimen vocare, sed pro imperio ad suas ipsius caulas compellere. Erubuit non nihil, & officiosis vocibus onerari est visus. Verum ut fucat faciem unguentario vasculo Anus meretricula, à quaestu non recedens; sic sumpto meretricio vultu, supplicem admisit, & blando sermone delinitum, violenti iam metuentem nihil planeque securum, dimisit. Iubebam ergo siluestrem Suem è stabulo educi, & viam capere penates versus. Graculi rursum conuolant, fures tumultuantur, venabulorum fumis & incendijs vicum complet. Iterum ego submittere, hero qui deferrent, quid, se inscio, molirentur sui. Protinus frontem ferit, attollit supercilium, arcessit seruos, irascitur, minas intentat.

Pax.

Pax. sed thesaurus carbones erant: facilè fuit Vulpeculam deprehendere. Quamquam enim officiosè adiretur; inclusum venenum euomuit tandem. & molestissimè ferens, quod damno non indormirem meo: Nisi Aprum à me confestim auferam. & ipsius potestati permittam; diem dicit mihi, & litem acerbissimam denunciat. Conditionem, licet impar viribus, non recusaui; exclamaui tamen: O pecudem execrabilem! ò ominosam Simiam! ò faciem dignam matula. & manus sceptro dignas arundineo! fierinè potest, homo vt diues ac beatus, alterius censum tam improbè concupiscat, &, dum assequatur, nullam pietatis, nullam fidei, nullam dignitatis rationem ducat! nimirum fatale est, vt tenuioris fortunæ homines semper aliquid tribuant ditioribus. & de Lauernione isto nimis verum; qui immemor sordium, in quibus natus atque altus est, minimè mirum, si in quadriga argentea adhuc Bos est. & volutatur eodem in luto Sus, vtinam mactanda fuisset! sicuti apud quosdam sacrificantes moris esse, meminit Suidas. Fœdum institutum persequitur, à se ipso non desciscit: eiusmodi artibus à puero assueuit, quæ atieni appetentissimum fecère, simulandi, ac dissimulandi artificem, quique nihil vnquam haberet sacrum, nullius Numinis reuerentia tangeretur.

Igitur complures è familia demunt lorum Canibus, & ad diripiendam inflammandamque domum, in qua occultari feram arbitrabantur, properant. Ingenti vi saxorum, è vicinia tectis subuolantium, repelluntur. discedunt infecta re, ringentes, oblatrantes, & quadam Salmonei audacia strepentes, obtonantes. Postremò in ius vocat, ac rancidi duo Senes omnem industriam & diligentiam expediebant. Alter ex his

merus rabula, oculis refugis & ferinis, obeso ventre fastuosè incedebat: ingenium habebat intractabile, spinosum, caput plusquam marmoreum sensum stupidum. verum tarditate illa nauseabunda ac litteratis superciliis, Iudicem integerrimum remorari, & Viro sapientissimo prastigias offerre conabatur. Contrà alius videri poterat non vulgariter in ciuili scientia versatus, idemque acerrimus disputator: nisi undecunque captasset decipiendi astutias, & tantum in Culicibus venãdis incubuisset, nihil assecutus denique prater nubes & inania: alioqui senex odiosissimus, Titanico vultu intuens, ac peierator promptissimus, nemini vel confidentia, vel auaritia concedebat.

Enimuerò forum ego libentissime refugissem si quoquomodo elabendi occasionem nactus essem; Alcibiadis sententia subauscultans, qui Matris calculos in iudicio metuebat. Sed futile consilium, maximèque improbandum videbatur, à scelestis hominibus contumeliam & damnum pati, neque, cum facultas detur, iniuriam propulsare. Et sanè effranatius in nos irruentibus resistendum erat. Obfirmaui animum & Muscas non carere splene, audacter ostendi, cœpique agere litigatorem strenuum, digladians verbis, & conuitiis lacessitus, vtique remordens; victoriam non nisi cruentam traditurus. Metuebam nihil ab Aduersariis, cum presertim quem mihi adesse volueram in caussa, esset habereturque sapientissimus, & in Foro exercitatissimus seque ita gereret in eorum argumentis dissoluendis. & nodis explicandis; vt ignis in senticeto, absumens sarmentitias quisquilias: eratque Aduocato, quod dici solet, bipennis in lingua, cotem vel durissimam discindens. Quid plura? suo didicit malo arrogans prouocator haud sibi rem esse cum Laruis, & ma-

& malum nodum in peiorem cuneum incidisse. Pergat ingenij impotens, lenocinari opibus, seruire improbitati; impinget in ferocem Genium, dabit ignominiosè manum herbamque porriget. An non videt ipsos Cælites classicum pro me canere, clypeum sumere, & victorem è longinquo renunciare? Etenim senex magis confidens, ad Manes abijt. haud cum quoquam amplius rixabitur, nec nostram Helenam studebit alteri vindicare. Ego honori hominis parcam, ne cum vita functo inire videar certamen; quamuis ipse mecum congredi tunc destiterit, cum pertæsus animus vltrà incolere contaminatum corpus, illud vltrò destituit. Ceteris impostoribus quid precer, nisi mentem dari meliorem? aliquando vt reducant calculum, mutentque factum: aut pecunijs vsque adeò pinguescant, vt flagitiosi esse desinant. Leonibus persimiles, qui, cum sunt saturi, sunt & mitiores. De Pisistrato memoria proditur, pepercisse comessatoribus quibusdam, orantibus veniam, quod ebrij in ipsius Vxorem lasciuius quiddam perpetrassent. idem & à nobis licebit expectent, modò decocta temulentia, in posterum longè sobrij, Continentiæ immolare hostias velint. Sed mittamus istos Musarum osores ἀγροτέροισι σύεσσιν ἐοικότες, qui biennium totũ mihi eripuerunt, quod in studia impendere potuissem cum fructu & animi tranquillitate: quam tamen vtcumque restitui, & paulatim molestiam profligari sensi, dum motoriam Aulicorum dedi Fabulam; nam quempiam preposui liti, diribitorem vt ageret, eamque peroraret. sperans vtique, Numen, velut de machina, adfuturum, quod lætum exitum adderet controuersiæ. Quamobrem ne, quæso, Princeps humanissime, obtrectatoris & clamosi no-

men

men imponas homini, ſuapte natura quieto, & iurgiorum omnium, quoad in ſe eſt, contemptori. Etſi enim illud de inſana Lauro, prouerbio iactatur, quo innuimus rixarum auctorem, qui, quo ſe cumque vertat, lites & diſcordias ſuſcitet; ex eo genere mea Arbor non eſt, quæ ſacra Apollini Fori turbas auerſatur, & Muſis manſuetioribus coronas nectit. Nec, quæ vtilitas ex illa manare ad eos poteſt, qui huic Aulicæ Venationi nauarint operam, par eſt, nos vllo pacto inuidere. Animalia, quibus venenum in venis æſtuat intermit; quemadmodum & hic Commentarius, ſi quis in manus ſumpſerit, & non oſcitanter lectitauerit.

EPIST. LXXI. Cremonam.

Franciſco Narmetillo Martinello.

NON vacas negligentiæ culpa, qui, ex quo Neapoli diſceſsiſti, nihil litterarum ad me, ignarum prorſus, vbi locorum eſſes; cum ego inde ab Hebdomada ſanctiore, huc Peruſiâ remigrauerim. Ergo Cremonæ ſedem tibi delegiſti; nimirum ſpectator vt ſis equeſtrium & pedeſtrium copiarum, quas Mediolani Dux, ad oppugnandas atque expugnandas Vercellas dicitur contraxiſſe. Beneficij vice fuerit, ſi de apparatu ac progreſſu totius belli, de quo hic ambigua ſæpius & falſa iactat rumor, fideliter nos feceris certiores. Quod tu monendus videris. Miſotheus, vetus congerro & vtriuſque noſtrum amantiſsimus, vt inſigni ingrati-

tudine

tudine pensaret, quæ à nobis in eum sunt amicè & beneuolè profecta, ambobus amicitiæ tesseram remisit, & simultatem denunciauit. Risi, ac, vt bulbos soleo, sic hominem contempsi. ambitiosulum, credo, pupugit, quod in scriptis nostris eius eiusquam meminimus. Præclarum Blepharonem! cuius Thrasonicæ gloriæ nobis seruiendum sit. Me veró iterum ad Aulam haudquaquam priora consilia retraxerunt, quæ suauissimi Fratris obitus infregit. Sed ne otio in Patria contabescerem (neque enim corbi mihi amplius Academiæ Perusinæ puluis & arena, quin Aristotelem ac Ciceronem, alias nobis quæstuosos, ex quo ipsis desiuimus publice litare, & Aulæ post-habuimus, nunquam putem bona fide nobiscum in gratiam redituros) in Familiam humanissimi Principis reuerti; eò nunc liberalius facturus in officio; quo me ijs cōparo, qui suo ipsi ductu atque ære, cum parua cohorte aliquo abeunt militatum, & in maximo exercitu, vna cum alijs necessariò adlectis Ducibus volentes auctorantur. Tua Poetica scedia smata plausibiliter sunt excepta, & amici omnes gratulantur; quod domestici tumultus haud tibi dirimāt Musarum fœderas nec bellorum istic exorientium fragores hæc commercia intercipiant. De paucitate exemplarium queruntur nostri, in his Cæsar Meniconius Archinsensatus; à quo salue & vale. Romæ,

Iuliano

LXXII Messanam.

Iuliano Castaneaceo.

FVI per hos dies de tua incolumitate sollicitus, & veritus sum non mediocriter, qui meus est in te amor, ne cederet tibi parum feliciter nauigandi consilium, repente susceptum: quod tum Luna esset plenior, & maritimi æstus fretorumque angustiæ commouerentur. Solueras omnino aduersis Ventis, & Cælo pluuijs perobsceno. Iam quando sospes, vt scribis, in portum peruenisti; licet Siciliam tetigeris nauseabundus, nauigatione vsus non minus infesta periculis, quàm longa; animus, metu solutus, gaudio exiluit. Vtinam istic ad voluntatem tibi omnia fluant, & nunc eò faueat Fortuna indulgentior, quo fortassis illam pudet in te benigniore aura non fuisse vsam, cum apud Nouellum primas teneres, & pro arbitrio publica priuataque integrè administrares. Haud Diuûm sine numine factum arbitror, quod iterum ad Mamertinos adnauigaris; præfectus Oppidis munitissimis, opulentis. Inde, cupio, nonnullis post annis nummatior, quàm antea; maiore item onustus gloria, in Italiam ad tuos reuertare. Vale.

ex Vrbe.

Ricciar-

EPIST. LXXIII. Romæ.

Ricciardo Fantono I. V. C.

DE Panęgyri in Britanniarum Regem quietus esto, Fantone humanissime. Sine arbitratu vtatur suo, cui commodato dedisti: semel atque iterum cognosci peruolutarique debet, quæ seriò ludit & festiuis dicterijs, Alexandrino more, Veritatem vellicat. Coronam Regiam, artificiosè contextam, ne Histrio peracta Fabula, contemnat atque abijciat. Ego carere possum tua, qui in aliam, præter opinionem, incidi: eam diligenter tracto, & exemplum sumo. Nec propterea tibi minus debeo, qui quantũ in te fuit, nobis tradere festinasti, habuissemque, ni XII. vir Vbaldus prior occupasset, cui ego vel libatam, & ne libatam quidem, vltrò eram traditurus. tanti est apud me ornatissimi Præsidis auctoritas, & iuxta tuam, exquisita eruditio. Haud te tamen onere libero demerendi mei, hoc est, hominis tui studiosissimi, tuarumq; laudum verissimi pręconis. Audiui de te nudiustertius in Aula Quirinali, formis excusum Mediolani Librum quendam Obseruationum in Cornelium. Aueo cursim lęgere. si minus habes ad manum; eius qui scripsit, Nomẽ insinua. Parabit nobis Clarissimus Saccus, quem per eã occasionẽ appellabo litteris, mutum planè aduersũ nos factum; ex quo Bonciáriana facundia destituti sumus. Ex Aedibus.

Fr. Dio-

Epist. LXXIV.

Fr. Dionysio Veliæ Seruitæ.

De Græcorum Patrum triumuiratu, quod iudicium, mi Velia, requirebas; aperio breuiter, ea conditione, vt tuum de Ben. Ariæ Montani in sacras litteras explanationibus, pronuncies, qui Hebræam linguam doctè calles, quæque in Genesim ipse procudisti, expolias & quàm primum in publicum emittas. Videntur igitur antesignani illi, ætatis vnius felicissima soboles, pietate atque eruditione pares; sed, si cum nostris conferantur, dictionis charactere dissimiles. Io. Chrysostomus, quidquid ferè scripsit, ad popularem captum accõmodauit, eoque liberior ac simplicior in locis communibus exspatiari, quam difficiles tractare quæstiones, maluit: cui Augustini ingenium atque vbertas proximè accedit. In Gregorio Nazianzeno, quem cum Ambrosio comparo, pietas propemodum certat cum eloquentia: significantes enim amat argutias, in quibus Latinè reddendis, video Interpretes frustrà laborare. Frater huius Basilius, Chrysostomi Achates, suaui quodam & inaffecta to orationis fluxu, sanctitatem, doctrinam & acumen amplectituri, & sicubi res postulat, in eo perspicuitas, iucunditas, & quæuis alia Christiani Oratoris virtus grauiter efflore-

scit.

ſcit, huic quem opponam, nondum planè ſtatui, niſi ſi quis Scripturarum cognitionem, qua Hieronymus inclaruit, cum aurea Lactantij Firmiani facilitate coniungat. Quando vero tu in nobis vbertatem deſideras, & litteras exigis copioſas, abundantes; ſtudijs hiſce ſanctioribus pauliſper omiſſis: accipe de Vercellenſibus, qui, cum obſidionem menſes aliquot fortiter tolerasſent, & mirifica edidiſſent in Hiſpanos virtutis documenta; quià auxiliaribus copijs & commeatu deſtituebantur, ac ſemitis vndequaque interclusis, nulla ſpes erat intus comportandi; coacti ſunt deditionem facere. Quare ſublata Hiſpanorum vexilla milites inuitè deuenerati, præter Oppidanos, ſuis ſubſarcinati armis, triſtes abierunt. Quam tamen deditionem omnes fere exiſtimāt fœderi ſtabiliendo non fuiſſe alienam; eàque Hiſpanicę dignitati maximè conſultum, de qua plus quam modicè videbatur detractū; dum certamen eſt initum cum Duce, viribus longè infra regium faſtigium conſtituto; qui æquo Marte pugnarit, pauco ſuorum, hoſtium ſanguine valdè multo, egregiam apud mortales laudem aſſecutus. Infelix Tragœdia in Allobroges ac Ciſalpinos exhibita eſt. Vtinam reconciliatis aliquando animis, grata nuptiarumc horea ſubleuentur. Exoptandum idem eſt Reipub. Venetorum; quam Prorex Neapolitanorum continenter vexat; magno numero

in mare subducto, quæ licenter hac illac discursant, classes prætereuntes obsident, lacessunt, captiuas agunt. Quantam nuperrimè iacturam fecerunt, onerarijs aliquot à Neapolitano captis? Etenim vna cum alijs mercibus, argenti signati pondo ad L. millia Prorex Mediolanum transmisit ad belli necessaria comparanda; iocatus lapidè: Venetos amicitiam persanctè colere, quæ sibi cum Philippo Rege intercedat, quem in tempore pecuniario subsidio iuuent; quod si absit, conatus, omnes, omnia militiæ fulcimenta irrita cadere, frustra haberi. At in monetæ adulterinæ exculores, ab hinc triennium carceri mancipatos, scinus hodie mane fuisse ad molem Aeliam animaduersum? adactos suspendio viros & feminas. Malè factum, quòd à Mulierculis, metu vltimi supplicij deterritis, Christiana religio, vt quidam affirmarunt, non fuit recognita. Neque te celabo de nostrate, Homine fatuo, qui in Xenodochio desipientium commorabatur, si fieri posset, ad sanitatem vt rediret. rediit, sed instante morte; tum maximè cum exuere amentiam decet. Quamobrem sapienter mortalium fatuitates deseruit, receptus inter vita functos, arbitror, æquè inter beatos. Ceterum quod in harum vestibulo litterarum factum oportuit, gratulor incredibilem in modum, te ac germanum tuum Io: Paulum, rediisse in Patriam incolumes, obita vsqueadeò longa peregrinatione, perillustratis Hispanijs, Gallijs & libata

Germa-

Germania. Quo consilio tantum itineris institueritis, totamque eius rationem, amabo te, diligenter perscribe. Summæ fuerit iucunditati, mihi, longinqua atque ignota per te scire: tibi nō minus, memoria repetere, & non incurioso homini, curiosè animaduersa, exponere. nosti quam sim χαςλόφιλος Nauium gubernatores imitabere, qui intra vnius angustias paginæ, maria, portus littora, insulas graphicè describūt, & intuentiū oculis ad spectandum proponunt. Vale. ex Vrbe CIↃIↃCXVII.

Obsignaturo iam epistolā, illud percommodè venit in mētem Carolo tuo debere me iampridem Alexandri & Rodulphi luctuosas litteras, ad me Anno superiore, super optimi Fratris decessu, Perusiâ scriptas: eas in fasciculū tuarū addidi, qui homini reddas, & ex me salutē annuncies.

R mam.

Io: Baptistæ Lauro Fratri Alexander Balestrinus S. P. D.

QVAM vellem, nuncius aut fama ipsa sua celeritate hanc Epistolam superasset; audiuissesque ab alijs potius, quam à me, excessisse è viuis eum hominem, quem omnium maximè viuere optassemus! profectò ferres moderatius dolorem tuum, qui vereor, ne te tanquam fluctu obruat. Nos certè, quotquot domi sumus, animū contraximus, & demisimus, neque dum, vt erigamus tantum virium nobis adesse intelligimus. Quid te fieri, Frater amantissime,

quem repentina clades absentem perculit, & in quem mœroris ac solitudinis procella detonabit? Cerneres, si hic adesses, quo hæc fletu scribam, nec vestigium hominis, nec simulacrum in me, sed effigiem quandam spirantis mortui exhorresceres. Quid, si coram Io. Paulum, communem Fratrem, iacentem & conclamatum videres? heu nos infelices, & in summum, miseriarum adductos! ferocem vim morbi febrim acutissimam execramur: quæ dulcissimo ac suauissimo Fratre nos orbauit. Te porro litteris nostris, & bonis nuncijs deceptum, meritò potes conqueri & excandescere. Verùm fallax ægrotatio nobis imposuit & Medicis; qui die ipso, qui postremus illi fuit, melius, quàm antea, habuisse affirmarunt. Aues scire, quo res modo acta sit. cupio scribere, etsi impedior lacrymis, & quas adhuc elicui, religio est immisericorditer fouere. In magnis Iulij caloribus redierat Florentia, spe, si vnquam alias, certissima nuptiarum; quas illi Excellentissimus Princeps Corneus confecerat, nec tamen celebrandas, nisi Ianuario Mense. Referebatque in hoc senis cuiusdam Galli verba, qui sibi obequitanti occurrerat, & stipem poposcerat. cui cum perbenignè pecuniam, & crustum sacchareum esset elargitus; egit homo gratias, & corporis habitum, faciemque attentè contemplatus; Felices ei, & beatas nuptias, Diuo Ianuario duce, comprecatus

catus est. neque abfuit dicto fides. Sacer fuit Beato Ianuario dies, cum Io Paulus, quasi emissus custodia, in æternam domum, initis nouis nuptijs apud Cælites, commigrauit. Decubuit dies plusculos, principiò haud ita grauiter, imò prorsus citra maioris mali suspicionem; neque quidquam vnquam remisit de hilaritate, quam vultu præse ferre consueuerat. Monebat subinde, te de morbo celaremus, aut significaremus, esse quàm leuissimum; ne tanta locorum intercapedine disiunctum vlla molestia adspergeremus. Fecimus, & nunc ex animo dolemus factum; siquidem rem tum deniq; deprehendis, cum deplorata est, teque in sempiternum mœrorem adductura. Pridie quam excederet è vita, sanguine emisso, mirificè recreari est visus; & poculenta atque esculenta suauius, quàm solebat, accepit. Nō multò antè vesperam, vires languidiores fieri præsentiens, naturamque paulatim deficere, letho sensim propinquante, fatiscentem; Patrem meum confestim iussit euocari, adfuit in tempore, qui cum breuiter & submissè est locutus. Auuncule, inquit, dulcissime, exeundum est ab hoc carcere, imminet necessitas moriendi, vobiscum ero ad paucas horas. Sacris Christiano ritu expiari volo; huc Christi corpus, huc sacrum Oleum, huc, quidquid è vita discessuris deferri solet, quàm citissimè adferatur. mortuus saccovestiar, fune præcingar. Mos geritur,

 litat

men imponas homini, ſuapte natura quieto, & iurgiorum omnium, quoad in ſe eſt, contemptori. Etſi enim illud de inſana Lauro, prouerbio iactatur, quo innuimus rixarum auctorem, qui, quo ſe cumque vertat, lites & diſcordias ſuſcitet; ex eo genere mea Arbor non eſt, quæ ſacra Apollini Fori turbas auerſatur, & Muſis manſuetioribus coronas nectit. Nec, quæ vtilitas ex illa manare ad eos poteſt, qui huic Aulicæ Venationi nauarint operam, par eſt, nos vllo pacto inuidere. Animalia, quibus venenum in venis æſtuat interimit; quemadmodum & hic Commentarius, ſi quis in manus ſumpſerit, & non oſcitanter lectitauerit.

EPIST. LXXI. Cremonam.

Franciſco Narmetillo Martinello.

NON vacas negligentiæ culpa, qui, ex quo Neapoli diſceſsiſti, nihil litterarum ad me, ignarum prorſus, vbi locorum eſſes; cum ego inde ab Hebdomada ſanctiore, huc Peruſiã remigrauerim. Ergo Cremonæ ſedem tibi delegiſti; nimirum ſpectator vt ſis equeſtrium & pedeſtrium copiarum, quas Mediolani Dux, ad oppugnandas atque expugnandas Vercellas dicitur contraxiſſe. Beneficij vice fuerit, ſi de apparatu ac progreſſu totius belli, de quo hic ambigua ſæpius & falſa iactat rumor, fideliter nos feceris certiores. Quod tu monendus videris. Miſotheus, vetus congerro & vtriuſque noſtrum amantiſsimus, vt inſigni ingratitudine

tudine pensaret, quæ à nobis in eum sunt amicè & beneuolè profecta, ambobus amicitiæ tesseram remisit, & simultatem denunciauit. Risi, ac, vt bulbos soleo, sic hominem contempsi. ambitiosulum, credo, pupugit, quod in scriptis nostris eius eiusquam meminimus. Præclarum Blepharonem! cuius Thrasonicæ gloriæ nobis seruiendum sit. Me veró iterum ad Aulam haudquaquam priora consilia retraxerunt, quæ suauissimi Fratris obitus infregit. Sed ne otio in Patria contabescerem (neque enim corbi mihi amplius Academiæ Perusinæ puluis & arena, quin Aristotelem ac Ciceronem, alias nobis quæstuosos, ex quo ipsis desiuimus publice litare, & Aulæ post-habuimus, nunquam putem bona fide nobiscum in gratiamredituros) in Familiam humanissimi Principis reuerti; eò nunc liberalius facturus in officio; quo me ijs cōparo, qui suo ipsi ductu atque ære, cum parua cohorte aliquo abeunt militatum, & in maximo exercitu, vna cum alijs necessariò adlectis Ducibus volentes auctorantur. Tua Poetica scedia smata plausibiliter sunt excepta, & amici omnes gratulantur; quod domestici tumultus haud tibi dirimāt Musarum fœderas nec bellorum istic exorientium fragores hæc commercia intercipiant. De paucitate exemplarium queruntur nostri, in his Cæsar Meniconius Archinsenlatus; à quo salue & vale. Romæ,

Iuliano

LXXII Messanam.

Iuliano Castaneaceo.

FVI per hos dies de tua incolumitate sollicitus, & veritus sum non mediocriter, qui meus est in te amor, ne cederet tibi parum feliciter nauigandi consilium, repentè susceptum: quod tum Luna esset plenior, & maritimi æstus fretorumque angustiæ commouerentur. Solueras omninò aduersis Ventis, & Cælo pluuijs perobsceno. Iam quando sospes, vt scribis, in portum peruenisti; licet Siciliam tetigeris nauseabundus, nauigatione vsus non minus infesta periculis, quàm longa; animus, metu solutus, gaudio exilutt. Vtinam istic ad voluntatem tibi omnia fluant, & nunc eò faueat Fortuna indulgentior, quo fortassis illam pudet in te benigniore aura non fuisse vsam, cum apud Nouellum primas teneres, & pro arbitrio publica priuataque integrè administrares. Haud Diuûm sine numine factum arbitror, quod iterum ad Mamertinos adnauigaris; præfectus Oppidis munitissimis, opulentis. Inde, cupio, nonnullis post annis nummatior, quàm antea; maiore item onustus gloria, in Italiam ad tuos reuertare. Vale.
ex Vrbe.

Ricciar-

EPIST. LXXIII. Romæ.

Ricciardo Fantono I. V. C.

DE Panegyri in Britanniarum Regem quietus esto, Fantone humanissime. Sine arbitratu vtatur suo, cui commodato dedisti: semel atque iterum cognosci peruolutarique debet, quæ serio ludit & festiuis dicterijs, Alexandrino more, Veritatem vellicat. Coronam Regiam, artificiosè contextam, ne Histrio peracta Fabula, contemnat atque abijciat. Ego carere possum tua, qui in aliam, præter opinionem, incidi: eam diligenter tracto, & exemplum sumo. Nec propterea tibi minus debeo, qui quantū in te fuit, nobis tradere festinasti, habuissemque, ni XII. vir Vbaldus prior occupasset, cui ego vel libatam, & ne libatam quidem, vltrò eram traditurus, tanti est apud me ornatissimi Præsidis auctoritas, & iuxta tuam, exquisita eruditio. Haud te tamen onere libero demerendi mei, hoc est, hominis tui studiosissimi, tuarumq; laudum verissimi præconis. Audiui de te nudiustertius in Aula Quirinali, formis excusum Mediolani Librum quendam Obseruationum in Cornelium. Aueo cursim legere. si minus habes ad manum; eius qui scripsit, Nomē insinua. Parabit nobis Clarissimus Saccus, quem per eā occasionē appellabo litteris, mutum planè aduersū nos factum; ex quo Bonciariana facundia destituti sumus. Ex Aedibus.

Fr. Dio-

Epist. LXXIV.

Fr. Dionysio Veliæ Seruitæ.

De Græcorum Patrum triumuiratu, quod iudicium, mi Velia, requirebas; aperio breuiter, ea conditione, vt tuum de Ben. Ariæ Montani in sacras litteras explanationibus, pronuncies, qui Hebræam linguam doctè calles, quæque in Genesim ipse procudisti, expolias & quàm primum in publicum emittas. Videntur igitur antesignani illi, ætatis vnius felicissima soboles, pietate atque eruditione pares; sed, si cum nostris conferantur, dictionis charactere dissimiles. Io. Chrysostomus, quidquid ferè scripsit, ad popularem captum accómodauit, eoque liberior ac simplicior in locis communibus exspatiari, quam difficiles tractare quæstiones, maluit: cui Augustini ingenium atque vbertas proximè accedit. In Gregorio Nazianzeno, quem cum Ambrosio comparo, pietas propemodum certat cum eloquentia: significantes enim amat argutias, in quibus Latinè reddendis, video Interpretes frustrà laborare. Frater huius Basilius, Chrysostomi Achates, suaui quodam & inaffecta orationis fluxu, sanctitatem, doctrinam & acumen amplectituri, & sicubi res postulat, in eo perspicuitas, iucunditas, & quæuis alia Christiani Oratoris virtus grauiter efflorescit.

scit. huic quem opponam, nondum planè statui, nisi si quis Scripturarum cognitionem, qua Hieronymus inclaruit, cum aurea Lactantij Firmiani facilitate coniungat. Quando vero tu in nobis vbertatem desideras, & litteras exigis copiosas, abundantes; studijs hisce sanctioribus paulisper omissis: accipe de Vercellensibus, qui, cum obsidionem menses aliquot fortiter tolerassent, & mirifica edidissent in Hispanos virtutis documenta; quia auxiliaribus copijs & commeatu destituebantur, ac semitis vndequaque interclusis, nulla spes erat intus comportandi; coacti sunt deditionem facere. Quare sublata Hispanorum vexilla milites inuitè deuenerati, præter Oppidanos, suis subfarcinati armis, tristes abierunt. Quam tamen deditionem omnes fere existimãt fœderi stabiliendo non fuisse alienam; eàque Hispanicę dignitati maximè consultum, de qua plus quam modicè videbatur detractũ; dum certamen est initum cum Duce, viribus longè infra regium fastigium constituto; qui æquo Marte pugnarit, pauco suorum, hostium sanguine valdè multo, egregiam apud mortales laudem assecutus. Infelix Tragœdia in Allobroges ac Cisalpinos exhibita est. Vtinam reconciliatis aliquando animis, grata nuptiarum chorea subleuentur. Exoptandum idem est Reipub. Venetorum, quam Prorex Neapolitanorum continenter vexat; magno numerò

in mare subducto, quæ licenter hac illac discursant, classes prætereuntes obsident, lacessunt, captiuas agunt. Quantam nuperrimè iacturam fecerunt, onerarijs aliquot à Neapolitano captis? Etenim vna cum alijs mercibus, argenti signati pondo ad L. millia Prorex Mediolanum transmisit ad belli necessaria comparanda; iocatus lapidè: Venetos amicitiam persanctè colere, quæ sibi cum Philippo Rege intercedat, quem in tempore pecuniario subsidio iuuent; quod si absit, conatus, omnes, omnia militiæ fulcimenta irrita cadere, frustra haberi. At in monetæ adulterinæ excusores, ab hinc triennium carceri mancipatos, scinus hodie mane fuisse ad molem Aeliam animaduersum? adactos suspendio viros & feminas. Malè factum, quòd à Mulierculis, metu vltimi supplicij deterritis, Christiana religio, vt quidam affirmarunt, non fuit recognita. Neque te celabo de nostrate, Homine fatuo, qui in Xenodochio desipientium commorabatur, si fieri posset, ad sanitatem vt rediret. rediJt, sed instante morte; tum maximè cum exuere amentiam decet. Quamobrem sapienter mortalium fatuitates deseruit, receptus inter vita functos, arbitror, æquè inter beatos. Ceterum quod in harum vestibulo litterarum factum oportuit, gratulor incredibilem in modum, te ac germanum tuum Io: Paulum, redijsse in Patriam incolumes, obita vsqueadeò longa peregrinatione, perillustratis Hispanijs, Gallijs & libata

Germa-

Germania. Quo consilio tantum itineris institueritis, totamque eius rationem, amabo te, diligenter perscribe. Summæ fuerit iucunditati, mihi, longinqua atque ignota per te scire: tibi nõ minus, memoria repetere, & non incurioso homini, curiosè animaduersa, exponere. nosti quam sim χαςιόφιλος Nauium gubernatores imitabere, qui intra vnius angustias paginæ, maria, portus littora, insulas graphicè describũt, & intuentiũ oculis ad spectandum proponunt. Vale. ex Vrbe CIↃIↃCXVII.

Obsignaturo iam epistolã, illud percommodè venit in mẽtem Carolo tuo debere me iampridem Alexandri & Rodulphi luctuosas litteras, ad me Anno superiore, super optimi Fratris decessu, Perusiã scriptas: eas in fasciculũ tuarũ addidi, qui homini reddas, & ex me salutẽ annuncies.

R. mam.

Io: Baptistæ Lauro Fratri Alexander Balestrinus S. P. D.

QVAM vellem, nuncius aut fama ipsa sua celeritate hanc Epistolam superasset; audiuissesque ab alijs potius, quam à me, excesisse è viuis eum hominem, quem omnium maximè viuere optassemus! profectò ferres moderatius dolorem tuum, qui vereor, ne te tanquam fluctu obruat. Nos certè, quotquot domi sumus, animũ contraximus, & demisimus, neque dum, vt erigamus tantum virium nobis adesse intelligimus. Quid te fieri, Frater amantissime,

catus est. neque abfuit dicto fides. Sacer fuit Beato Ianuario dies, cum Io Paulus, quasi emissus custodia, in æternam domum, initis nouis nuptijs apud Cælites, commigrauit. Decubuit dies plusculos, principiò haud ita grauiter, imò prorsus citra maioris mali suspicionem; neque quidquam vnquam remisit de hilaritate, quam vultu præ se ferre consueuerat. Monebat subinde, te de morbo celaremus, aut significaremus, esse quàm leuissimum; ne tantâ locorum intercapedine disiunctum vlla molestia adspergeremus. Fecimus, & nunc ex animo dolemus factum; siquidem rem tum deniq; deprehendis, cum deplorata est, teque in sempiternum moerorem adductura. Pridie quam excederet è vita, sanguine emisso, mirificè recreari est visus; & poculenta atque esculenta suauius, quàm solebat, accepit. Nō multò antè vesperam, vires languidiores fieri præsentiens, naturamque paulatim deficere, letho sensim propinquante, fatiscentem; Patrem meum confestim iussit euocari, adfuit in tempore, qui cum breuiter & submissè est locutus. Auuncule, inquit, dulcissime, exeundum est ab hoc carcere, imminet necessitas moriendi, vobiscum ero ad paucas horas. Sacris Christiano ritu expiari volo; huc Christi corpus, huc sacrum Oleum, huc, quidquid è vita discessuris deferri solet, quàm citissimè adferatur. mortuus sacco vestiar, fune præcingar. Mos geritur,

sitat, vngitur, & strenuè alacriterque comparat se se ad migrationem. Erumpebat è vultu gaudium, diuinas laudes concinebat, hortabaturque, quotquot aderant, excubarent secum, preces pro se ad Deum, Deique Matrē effunderent tantisper certè, dum S. Franciscus & S. Carolus, quos potronos ac tutelares habebat, ad cælestè contubernium se perducerent. His vigilijs extracta Nox est, aduentabatque iam dies; cum defixis in Cælum oculis & protensis in altum manibus, animam Deo reddidit reposcenti. Elatus est honorifice, funus duxit flens & suspirans vniuersa Ciuitas. Omitto consternationem nostram, qualis quantusque fuerit, qui omnino haud est consolabilis, dolor, neque te hortor, Virum Sapientissimum, ad ferendā leuius hanc iacturam, quæ cēseri debet omnium grauissima; &, qui me non possum, imprudēs sim, si alios audeam confirmare. Deus, Deus, ad cuius amplexus Frater suauissimus anhelauit, & felicissime peruenit, medeatur languori nostro; & te nobis diutissimè præstet incolumē. Ac quando Perusiam reuertare necesse est, ad negotia aliquot expediēda; cum te in viam dederis, præsto ille tibi sit, & apud nos statuat reducē, à quib᷒ auidissimè expectaris. Benè Vale. Perusiæ XII. Kal. Octob. CIƆIƆCXVI.

Romam.

Io: Baptistæ Lauro
Rodulphus Calidonius S. P. D.

Si

SI subeuntes amicorũ humeri vt grauata pō-
deribus corpora leuare solent, ita etiã mœro-
re debilitatis ac propè fractis animis, adiumē-
to esse possent: si vt partitũ in plures onus, leuiꝰ
efficitur, ita communicatus dolor leniretur; O
quantũ ægritudinis & lacrymarum eriperetur
tibi, mi Laure! Tristitia enim cōcepta ex Fratre
tuo, immatura morte sublato, tã multos afflixit
vt tantũ non omnes. Ego certè acerbissimo ca-
su, & tam inexplebili Naturæ auaritia, nomine
vix scripto, nomen exigētis, supra quàm credi
par est, examinatus sũ: atq; his litteris ad te nō
cōsolaturus, sed de communi cōsolatione con-
sulturus, accedo inter ceteros, dolens supra ce-
teros, nec iniuria factum arbitror, vt doleã non
vulgariter dolorem tuũ, cuius amorē amo non
vulgarem in modum. verus est enim meus in te
amor, vt vera virtutũ tuarũ admiratio est, & par
obseruãtiæ beneuolētia, se se comitē adiunxit.
Hoc autē tua videtur esse, quàm mea caussa me-
lior, quod mihi nō adsit ea mētis cōstantia, quã
tibi tum multa rerũ experimēta, tum mandata
memoriæ præcepta Philosophantiũ, compara-
runt; vt dici de te meritò possit; veluti altiora
loca, quã humilia, fulminibus obnoxia sũt ma-
gis, ita grãdes animos vehemētioribus fortunæ
flatibus agitari. Ego verò nullo virtutũ robore
munitus, heu quãta, heu quã sæpè patior infor-
tunia infortunijs amicorũ! Mortuos est ãno su-
periore idē literatissimus, idē amãtissimꝰ mei
M. Antonius Mascius; nō multis ab illinc Mēsibꝰ
Bociario orbati sumus, quibꝰ ego vtriusq; in re

teraria vtebar ducibus & magistris. Te verò, qui vnus amborum loco esse poteras, quamdiu est, cum degentem Romæ desideramus? Nō, incommodè tamen mecum actum censundum, dulcissimo Fratre tuo frui datum est; cuius nimirum præsentia absentiam tuam pensare videbatur, & desiderium meum simillimus fallebat adspectus. Istuc etiam (proh dolor!) Mors sustulit, quod erat propè vnum solatij reliquum. O humanarum rerum mutabilem statum! O fragilia & caduca omnia! O tantum duraturas in æuum animi dotes! Non surripiet Mors, non casus vllus Aegyptiadem, Titanopœiam, Leonidem, cum ipso terrarum Orbe perennaturos ingenij tui fœtus, illos dū legam, te videbor alloqui, teque frui præsente, dum illis; illi sanabunt fortasse acceptum in præsens vulnus, & sauciatam mentem aut ad sanitatem penitus reducent, aut certe sedabūt. Tu quoque Vir eximie, vince te ipsum, vince lacrymas, & prudentia tua, quam tempus factura erat, prior occupa medicinam. Magnam fecisti iacturam, non inficior; sed ideo ferenda æquiore animo, quia magna est. Iniqui Fratris iactura leuior, sed magis dolenda. tibi verò, qui Fratrem amisisti, ingenuis castissimisque moribus præditum, & à multis dilectum inter paucos; illius prosequi funus diuturnis lacrymis, ausim dicere, nefas est. Commoueri, eiulare, ingemiscere ad primum nuncium, humanita-

pitatis est; sed dolori diu pertinaciter inhærere, inuidentis animi est. Fratrem non perdidisti; qui enim perditus dici potest, qui recto tramite ad bonorũ omniũ auctorem Deum, vt cõfidimus, euolauit? Laurus ista, quę ex Familiæ tuæ campis auulsa est, non perijt, sed in cæleste translata pomarium, viget vigebitque æternùm, vt quæ maximè. Si ergo dolendum; nobis potius doleamus, qui amisimus, quàm illi, quem amisimus. at ne nobis quidem, si sapimus. Si enim ille, mortali fruens vita, vel adiumento nobis vel solatio, fuit; quid sperare habemus in posterum, dum Cælicolis adscriptus, egestatem nostram apertius intelligit, & iuuare felicius potest? Tu viue & Vale, & firmitate valetudinis tuæ spes nostras firma labantes & infirmas. Perusiæ VIII. Kal. Octob. CIↃ IↃCXVI.

LXXV. Tiphernum.

Euangelistæ Torniolo Tiphernatium, Episcopo.

EXTRVSIT me Roma infelix nuncius de inopinato Fratris interitu, quẽ fato functum ante resciui, quam morbo implicitum, aut in angusta vitæ spe versantem. Itaque Perusiæ me

mirum vt sit, si valeo corpore, qui animo iaceo, & mœrore quotidiano acerbissimè conficior. Vnicum mihi solatium ac leuamen tua est humanitas, Patrone amabilissime; quam dum recogito, ad eamque, veluti sacram anchoram, confugio, fit, ne domesticis rebus ex iucundissimi Fratris obitu propè conclamatis, desperem. Nam conditi suauitate sermones, & amoris plenissima consilia, quibus Roma abeuntem piè comiterque prosecutus es, identidem occurrunt, quæ me ex magna consternatione maiorem in modum erigunt ac sustentant; doloríque meo aliquem statuunt modum, quando tuo in me amori statuisti nullum. Faxit Deus, vt ab hoc naufragio miseriarum quàm primum incolumis enatem, tuque, Princeps optime, cum accessione fastigij sublimioris, diutissimè ac suauissimè ætatem agas. Perusiæ Kal. Octob. CIↃ IↃ CXVI.

LXXVII. Romam.

Io: Baptistæ Lenio Cardinali, Episcopo Ferrariensi.

DISCESSI Roma, telo, quod nosti, longè immanissimo sauciatus. Toto tamen itinere, medicinā, quā verbis humanissimis mihi propinaras,

pinaras, hausi cum salute, & de qua habeo tibi ingentes gratias. quid enim tui ipsius exemplo poterat fieri salubrius, efficacius? Tu nempe tantæ amplitudinis ac dignitatis Vir, cum primum in Patrum Purpuratorum Collegium es adscitus, vulnus planè idem accepisti, vnico dulcissimo Fratre orbatus, & tulisti constanter fortiterque: ego numerus inter mortales, æquo & erecto animo nō feram eam iacturam, & Sapientissimum Patronum vsque adeò calamitosa in Tragœdia imitari non contendam? Opinor, eo fomento acquiescet dolor: erigam scilicet, atque excitabo iacentem animum; ac docebo tandem, nihil mihi accidisse proprium, nihil nouum. Quod alacrius certè præstitero, celeriusque conuertar ad tranquillitatem; si me, tui studiosissimum, tuo patrocinio semper tuebere. Vale. Perusiæ Kal. Octob. CIↃ. IↃCXVI.

LXXVIII. Romam.

Ladislao Aquinati Cardinali.
Episcopo Venafrano.

BONO meo fato euenit, vt pridie quàm ab Vrbe digrederer, in nostris ipsis Aedibus, cum de more officij gratia vna cum alijs tecum creatis Cardinalibus, Illustrissimum Dominum meum inuiseres, te Purpuratum consalutarem: quem prorsus visurus non fui, nisi istuc

istuc reuersus; quod quidem ob grauissimas, quibus distineor, occupationes, quam primum vt sit, valdè vereor. Quod igitur in illo, vt sic dixerim, exercitu gratulantium, parcè ac tenuiter feci, & temporis prohibitus angustijs, domi tuæ vberius non potui (neque enim arbitratus sum decere vllo pacto, luctuosum hominem, inter gliscentium gaudiorum tripudia, aliquam eiusmodi gratulationem obire) id nunc absens his literis eò cumulatius præsto, quod, refrigerato tantisper Aulicorum ardore, noua gestientis animi mei testificatio fiet aliquanto illustrior probatiorque. Quare iterum nobilissimæ Familiæ, tuæque virtuti gratulor, quòd ea demum honorum insignia à Pauli V. diuina sapientia recepisti, quæ iampridem Sanctissimus Pontifex Pius V. vel sola in Diuum Thomam Aquinatem animi propensione, ad quem ipse originem refers, tibi tunc Adolescenti destinarat. Gratulor etiam Vrbi nostræ, quam singulari prudentia administrasti, cuius tanto est lætitia amplior, quanto post Bontempios, Armellinos, Corneos Filios suos, neminem, præter te Patrem humanissimum, videre cupiebat, Purpura infulatum. Eam tu, vt instituisti, meque, qui tibi viridem istam senectutem precor à Superis diuturnam, peramanter fouere perge.

Perusiæ Kalend. Octobris CIↃ IↃCXVI.

Ful-

abs te peto, Pauluci, vt qui nunquam es importunus interpellator, sed intimus, per familiaris; fungaris in vtroque apud comem Principem vicem meam; gratuleris reditum; neque de infesto casu, qui me Roma abduxit atque orbitate celes; tum perceptum à me Roma abduxit atque orbitate celes; tum perceptum à me declares, ex interitu excellentissimi Viri, incredibilem dolorem. Ceterum cùm nullum sit munimentum nec animi, nec corporis, sapientia præstantius, eaque sapientissimus Cardinalis consiliorum & actionum omnium suarum socia complures iam annos sit vsus; non est, quod vereamur, ne huic vulneri amissi Fratris cedat illa atque succumbat. Vtinam eius nonnulla ex parte ego particeps fuissem; profectò telum, valdè in pectus meum à Fortuna immissum, si minus declinassem, certè fortius excepissem aut lentius & præfractius illud incidisset. Deum clementissimum rogo, mihi vt imbecilliori firmitatem atque constantiam, ipsi vtranque, cum iucundioris vitæ spatio longissimo; tibi perpetuam incolumitatem & gaudium largiatur. Perusiæ Kal. Octob. CIↃ IↃ C X V I.

LXXX. Perusiæ.

Io. Thomæ Giliolo V. C.

HERI

HERI cum ad nostræ Præsidem Vrbis, Episcopum Casertanum, officij gratia adijssem, eique de reditu à Domo Lauretana gratulatus essem, ad quam Magnum Etruriæ Ducem deduxerat, &, vt fit, alius ex alio institueretur sermo: nobis plurimus de nauigatione Tiberis, à se restituenda, fuit, à Trusiamno ad Narem & Anienem: exinde enim vel magnarum capax est Nauium. Dixi, quàm multa in ipsa operis molitione fore difficilia, amplificandum flumen, repurgandum, ac stabiliendum alueum, intra ripas continendas aquas, tollendos sinus, molliendos cliuos, detruncandos scopulos, in primis ad Rotillas Balchianas præter-fluentem à præcipiti lapsu refrænandam. Sub hæc ille ostendit Augustini Steuchi Commentarium, in id Paulo III. objatum. rogassem, eius vt copiam mihi legendi faceret, nisi in mentem venisset, posse me è tua Bibliotheca petere. Erit igitur mihi maiorem in modum gratum, Vir humanissime, si commodaueris: vtar biduo, non amplius. Statim seligam, quæ Eugubinus: nam tradita à Strabone & Plinio, teneo iam. Tu vero, cuius est acre ac subtile iudicium, multiplex & recondita lectio, coram, quæ senties, communicabis. Vale. ex Aedibus.

LXXXI.

EPIST. LXXXI. Romam.

Federico Cauacepio.

NONDVM habeo, quid ad te de aduentu perſcribam meo: operam do, hinc vt me expediã, quantam poſsũ, ne quaſi Siſyphio ſaxo hic totos dies circũuoluar: ſed calamitas calamitati additur; poſt vnius impulſũ fluctus, aliũ excipere neceſſe eſt, ac ſuccedentibus inuicem procellis, pænè obruor. Andabaturum more, clauſis oculis, in nos proſiliunt ventilantes gladium, res aduerſæ. Anno ſuperiore ἀπόστημα ferro rupimus, Chirurgum nacti, qui vel apud Tibarenos & Derbices immaniſsimus audiret. vixdũ à morbo conualuerã, in facinoroſos quoſdam incidi, qui acerrimæ liti obuoluerunt. Conſecutæ ſunt propinquorum clades, funera, ſeruorum expilationes: & iam inter ſacrum & ſaxum ſtantem, fraternus obitus propemodũ oppreſsit. Hominem noueras, Cauacepi, quâ ingenij dexteritate, quâ prudentia publica priuataque adminiſtraret. Quarè quot præclara opera, morte adeò præpropera, putas concidiſſe? Verum quæ me tangunt vnum, ſtudeo componere, vt citius ad vos reuertar, quorum interim ſuauiſsima recordatio moleſtias reddit paulò leuiores. Fam, litteris, Aulica nunciantibus, idẽtidem refrica. Quamquam autem quæ inter nos familiaritas eſt, eiuſmodi officijs ali non curat; egoque otioſus habear, qui res Vrbis cupiam ſcire, domeſticis diuexatus: ne tamen tetrico

Cc ſem-

ſemper incedam vultu, & ſeueritatem rugoſæ frontis aliquo nitore temperem & diſcutiam; dum legam tuas, litare Gratijs videbor, quæ in te domicilium ſtatuerunt. Marſilium Peruzium V. C. cuius mihi amorem conciliaſti, iube à me officioſiſsimè ſaluere. Vale. Peruſiæ.

EPIST. LXXXII. Romam.

Camillo Perino I. V. C.

COMMENTARIOLVM de Tiberis exundationibus arcendis ac moderandis, edidit nuper apud nos Cæſar Gualterius, homo acutus & in augenda Patriæ gloria ſatis diligens. Exemplum vnum ſplendidè adornat ipſe ad Illuſtriſsimum Dominum; ego alterum his adiunctum litteris ad te mitto, Vir præſtãtiſsime; quem alioqui de digreſſu hinc meo, & itinere certiorem facere decreueram. Peruſiæ tantiſper ero, dum redeat ad has reſponſum. Deindè me Tuder, vbi negotiolum biduum morabitur. Occurrent hic vobis, opinor, pluſcula, ſiue ad Eccleſiæ adminiſtrationem interſint, cui Cardinalis præeſt, ſiue ad rationes priuatim tuas. Si quid Ampliſsimus Dominus aut tu iudicabitis hic à me præſtari poſſe, verbulo duntaxat ſignificate. Voluntas mea iampridem in procinctu ſtat, opperiens, ſi quam rem imperetis. tam id beneficij loco accepero, quàm horum ſpatio Mẽſiũ, in quibus à vobis abſui, in Aula pœnitet ceſſaſſe; & impetratã Vacationẽ; gratulabor mihi appoſitam gratiæ, non obliuioni. Vale feliciter. Peruſiæ.

EPIST.

EPIST. LXXXIII. Montemcoronam.

P. P. Placido & Innocentio Camaldulensibus.

MEVM, antequàm Romanum iter ingrederer, consilium hoc fuit, vt animi & religionis caussa ad vos excurrerem, & in nemora solitudinesque vestras me dies aliquot abderé; vbi, depositâ grauium curarum sarcinâ, memet turbis paulum suffurarer, & vestro sanctissimo conuictu recreatus, exciperem diuini luminis radios, à quibus me nubeculæ molestiarum, forensibus in negotijs, immanè quantum arcuerant. Frûstrà fuit votum. nam vt nauigandi cursus, sic anceps voluntas, quo prorsus nollet, sæpius appellit. Igitur non licuit; nec caussabor sæuientem Hiemem, viæ difficultates, hominũ equorumque vestigium subindè fallentis, quæ sanè incommoda fortiter superasset æstuans amor in vos meus. Sed occupationibus identidem subnascentibus districtus, ægrè ferebã differri, & cogebar inuitus mea vota remorari. Interea, dum diem de die expecto, litteræ Româ adferuntur, continuò vt redeam, monentes, obiurgantes. Paretur. litibus Auunculum præficio, vasa colligo, itineri me do; relictâ vestrorum Nemorum dulci illecebrâ, ad quã sæpius recurrit animus; cupiens iungi vobis & vestris horarijs auxilijs inter Aulicas conflictationes in Dei amorem suauissimè rapi. Valete. Perusiæ.

EPIST. LXXXIV. Romam.
Francisco Fuccio I. V. C.

HEv quid homini non timendum! cui tam multa contra voluntatem, longè plura præter opinionem eueniunt. Sic sumus miseri, vt abnuentes, reluctantes addicamur; & ab illo æternę Prouidentię circulo, sacris veluti precaminibus adacti, effugere non possimus. Nimis vera, quamquam temerè palam non vsurpanda, ea clausula, quæ tuis litteris initium præbuit. Nam imminere aduersi quippiam, nonnullis antè Mensibus prædictum est tibi; sed euasisse vim carnificem arbitrabaris, conflictatus acerrimè cum litibus, & improspera valetudine. Ecce autem (quid ni repetam, quod demiror?) Iustinianus Cardinalis tuus religionis ergò, iter ad Fanum Lauretanum edicit: curulis vectatio placet, lecticaria posthabetur. Rhedam inscenditis, editiore in loco Princeps, tu infra sedens, portulæ inniteris. iamque admisso cursu Flaminiam deuoratis. Dum Pontem Miluium traijcitis, successu vsqueadeò inopinato in prægrãdem silicem impegit rota, Equis seiugibus tracta; vt ab ea parte resupinata, portulam submouerit, teque inde excusserit. Delatus præceps ad pontis oram, in prominens saxum offendis: eò fit, ne in flumen decidas; sic prouolutus à superueniente alio curru quiuisses proteri; verum ille velox, &, quasi diuina suspensus manu, præ-

uola-

uolauit, & iacentis ne pedes quidẽ attigit. Valdè me tam acerbo nuncio percussisti, idem tamen animum sedasti meum, à quo eodem tempore de periculo & de incolumitate certior sum factus: idemque litteræ effecerũt tuæ, quod Achillis hasta in Telephi vulnere. Deo igitur, qui id maluit, te conseruato, maximas gratias ago: tibique mirum in modum gratulor, qui, in tam ancipiti ingruentis mali impetu; modico in capite ictu accepto, à quo intra octiduum conualueris, feliciter ex fatali clade euaseris, ad quam nunquam satis videri possumus cauti prouidique. Si rem sic obitam, alius renunciasset, fidem ægrè habuissem: nunc debeo tibi eò largius, quòd reliquum iter commodè explicueris, & ab Lauretana peregrinatione reuersus Romam; humanissimis nos litteris consalutaueris. Precor Superos, vt posthac infestos casus à te amoliantur, & velint consequentes annos, non tam accessione splendoris & fortunarum, quàm integra valetudine florere. Perusiæ.

EPIST. LXXXV. Anconam.

Carolo Seuerolo.

PERMOLESTVM erat, quod à discessu tuo nihil omninò de te, neque ex tuis ad me, neque ad Nicolutium litteris cognoscerem. Quarè ob hoc ipsum gratiores mihi nuper redditæ, quòd consedisse vos Anconæ significarunt, quò ego scripturus fui, si sciuissem, non tam vt eo of-

ficio anteuerterem, quàm vt elicerem vberiores tuas, afferrentque noui aliquid de Equitatu Neapolitano, quidque post deditionem Vercellensium, de fœdere statutum sit. Hic enim sparsus est rumor de spe pacis sublata, tū magnas Gallorum, Saxonum, Anglorum copias ad Sabaudiæ Ducem confluere. Ne igitur ieiunas ac nullius argumenti epistolas, ad hominem rerum eiusmodi cupidissimum, tibi exarandas putes. Nam quod calores nimios istic culpas, facis itidem vt nos, qui sub hos dies pertulimus grauissimos; tametsi nudius quintus ingens procella largum imbrem effudit, & præcipitans grando Vineta Romani agri fœdissimè excussit atque contriuit; sic vt, vi subitæ tempestatis, in foro Flaminio puer, in Circo Maximo tres, quatuor mulierculæ interierint. Commodùm Princeps meus diuerterat ad Cardinalem Senensem in Quirinali, cernebamus violento quodam turbine lapides rotari, Iumenta solo deijci, & specularia propemodum omnia Sacelli Pontificij illisa grandine, perfringi & comminui. Ab ea die æstus nonnihil remisit. itaque Prid. Non. Septēbris Pontifex creditur secessurus in Tusculanū. Lenius è brachio iā conualuit. P. Marcellus Pignattellus, Ecclesię Aesinę est pręfectus. Ecquid proximè huc allatum de Turcarum classe, ad oram istius Maris appellere conantium? Testij Etruscas Odas valdè dilaudauit heri amicus, talium Iudex acerrimus. Liber Romæ frustrà quæritur, Mutinæ editus. etenim qui scripsit,

qui-

quique in vulgus edidit, æquè exulant. Tu da operam, alicundè vt eruas. Viden' quantam segetem tuæ deinceps ad nos habituræ sint litteræ? adde & aliquid de Cardinalis Sabelli reditu, & cura valetudinem. Ex Vrbe Kal. Septembris. CIↃ IↃ CXVII.

EPIST. LXXXVI. Perusiam.

Hannibali Valeriano.

PROFECTIONEM hinc tuam, si vnquā antehac, nunc quidem feliciter tibi euenire ex animo sum precatus; propterea quod æstas ingrauescebat, Canicula adhuc furente; & à Romano Cælo trāsduci ad Perusinū, hac præsertim anni tēpestate, nostrates, qui mitiori assueuere, valdè periculosū existimârūt. bono omine sum prosecutus abeuntem, benè vt verterit consiliū, scire expeto. Ac quandò contra opinionem meam accidit, vt & hic negotia, & festinatior istuc reditus, te mihi eripuerint; in Quirinali autem, cū officij gratia, quæ tua fuit humanitas, si quid Perusiæ curatum vellem, vt præciperem, rogasti, importunum videbatur agere cum homine occupatissimo, & pedem in stapeda propemodum habenti; quod per otium, expeditis litibus, communicare constitueram: faciam per litteras, eò libentius, quod hæ memoriam sine molestia refricabunt, & tuo commodo, quæ mox dicam, percurare poteris. Anni sunt fermè septem & nonaginta, cum Io. Maria Vibius gratulatus

Iacobo Antiquario fuerat, quòd res à Perusinis præclarè gestas conscribere aggressus esset; qui caussatus ætatem, laboribus apud Sfortianos suos fractam, laudato Campano, Sabellico & Sigismundo Fulginate, negauit prorsus, à se id præstari posse: hæsisset tantummodò in quibusdam Commentariolis, quos absoluerit, publicaritnè incertum est: imò constat, istã sarcinam in Franciscum Maturantium, affinem suum, reiecisse, litteras tum in Academia Perusina Græcas Latinasque profitentem. sed is quoque eam neglexit curam. Nobis in cunis vagientibus, Pompeius Pellinus, qui Campani nescio quæ vertit in Etruscum, ad eamdem formã nonnulla volumina emolitus est; qui obijt antequàm ederet, nec laudabiliter inchoata perfecit. Non male operam collocasset homo industrius, & meliorum ferruminator, Cæsar Crispoltus; nisi & in alterum hoc Patriæ ornamentum Mors præpropera irruisset. Nam Philippum Albertum Poëtam lepidissimum, à scribendis Elogijs inuidia deterruerat potentiorũ; qui ab opibus nobilitatem mutuati, multis maiorum Imaginibus conspicui videri volebant, qui vix habebant cauponarum ac salsamentariorum. M. Antonius Bonciarius, homo æuo nostro disertus, Iouij exemplum secutus, de illustribus litterarum & amorum laude Viris Libros condidisset, digniorem in locum, hoc est, suum transcriptis nominibus, quæ in ludicro Poëmate quisquilijs Pædagogorum parum decorè

corè inſeruerat: verum neque contigit vita diuturnior, &, quod habuit ſpatium, inſumere in Poëticis atque Apologeticis fabricandis, haud ſcio quanto cum fructu, maluit. Etenim cum Examerone, cuius ſpecimen dederat, longè plura debent nobis Heredes, & quidem alterum nō multo cum labore poſſent; de altero quoniam fruſtrà ſuſceptum conſilium animaduerterat Saluuccius, ſicut ab eius obitu communes amici retulerunt, Iuuenis eloquentiæ ſtudioſus, ſtatuerat vigiliam illam obire, comparabatque ad nobilem narrationem pertexendam, quæcunque ſibi fore vtilia arbitrabatur. Sed, dum apud fato functos beneficium inſigne ponere cogitat, fato ipſe defungitur immaniſsimo, & ſeptimum conatum, inuidens Peruſinorum gloriæ, fortuna eluſit. Boni Superi, an etiam octauum? quãquam hic partus quî vitalis eſſe queat, ſupra Hebdomaticum, quo genita interire non ſolent? Quod ſi expectetur Enneaticus, ſcilicet actum de me ſit; & prudenter omittam ſcribendi conſilium, malè vt mihi deſinam augurari. atque alium præire iubeam Ogdoaticum. At enim eorum, qui in luce Orbis glorioſiſsimè vixerunt, nomina & decora tamdiu iacêre in obſcuro, ſanèquã indignum eſt: nec poſterorum quiſquam erit vel mediocriter facundus, qui parcè ſaltem pro eo quippiam relatum velit, quod Ciues benemerentes Patriæ abundè perſoluerunt? Præſtes tu, Hannibal, aut ſi egomet onus imponam mihi, arrogantiæ ne des; qui (vſqueadeò noſtro-

rum piget, qui calamo, quantumuis rudi, pepercerunt) tametsi infirmis viribus, subire non recusârim, & Otium hoc Aulicum, qualecunque, haud grauatè scribendis Ciuium laudatiúculis impendam: adsit modò homini, à vobis tot annos remoto, ea supellex, quam alij sibi in vnum quasi corpus redactam, affatim quæsierũt. Eam sedulò mihi cures velim, & huc transmittas, nisi mauis, Kalendis Octobribus, horsum regrediens, tecum adferre. Puto & alij aliqua in re iuuerint, si indicium facias; & debes in publica re, quæ nec institui, nec effici potest sine tua & multorum ope. Inibimus æquè grandem gratiam ab egregijs Viris, quorum immortali memoriæ vtcunque consuluerimus; & sanè gratissimi omnium sunt Mortui, in quibus merito præconio decorãdis, industria nostra nõ latebit. Dolet quidẽ, non esse plus neruorum in ingenio: atqui vel vulgares Statuarum artifices haud respuimus, cum Polycletos & Lysippos non habemus. Vale. Romæ.

EPIST. LXXXVII. Romam.

Alexandro Buccabellæ.

AMICE mones, Alexander, aliquantò vt maiorem valetudinis, quàm studiorum rationem habeam, neque citra reprehensionem videri me, qui Cæli huius clementia, & propè diuino Patriæ genio, temerè abutar: quandò nõ alio consilio, exeunte Vere, Medici me istinc extru-

truserunt. Autumno ineunte, dies complusculos lecto affixum, febricula detinuit, quæ nunc remisit. Haud tu culpam in Libros reieceris, quorum consuetudinem iampridem intermisimus. nec enim salutis sum tā securus, quin malim hoc otio diu perfrui, quàm nihil statim nescire. Multò me magis tua sollicitat valetudo, & Hypochondriorum iste morbus, qui te vexat immanissimè. Dum ego in Agelliano meo me reficio; fac, secessu Tiburtino te oblectes. Memini, quàm egregiè prosit tuo corpusculo ille tractus; aut, quod & Castellano Medico sæpius visum, longiori viæ te committas, ac triduo seu quatriduo Perusiæ sis apud nos. Confido, hoc Cæli haustu, terræ halitu & Aurarum lenissimarum afflatu, mirificè viriculas tuas subleuatum iri. Oro te atque hortor, vt animum huc inducas, mi Alexander. Amœnitate harum Villularum capieris, scio: Tibur aut Tusculanum nequaquam es desideraturus. Quàm mihi grata, quàmque iucunda, sentio iam nunc, suauissimo conuictu tuo accidet rusticatio: Ioannem Iordanum Fratrem huc adduxeris, cui, ab obitis Iurisprudentiæ laboribus, eius obtenta Insignia ex animo sum gratulatus. Eritis hic ad Vinalia, vel, sicuti nos loquimur, Martinalia. Maximæ voluptati fuerit, more nostro, Dolia omnia & ferias relinire ac pitissare. Dierabitis, Augustis Collibus & Valleriano, cumprimis fauere Bacchum: continuò nos vnà ad falerna vestra. Vale. Perusiæ ex Agelliano meo.

Sed

Sed heus tu propemodum prætereieram, quod minimè omissum oportuit. Incidêre nuper in manus Diaria quæpiam Francisci Pisani Cardinalis, qui istic in D. Marci Venetorum, duodequinquaginta ab hinc annis, sepulchrum sibi extruxit. In ijs de Equitibus Draconarijs, Romæ à Sigismundo Cæsare creatis, perhonorifica habetur mentio. nomina præcipua sunt nostratium, Tudertium, Romanorum: in quibus Ioannes Baptista Buccabella tuus. Eam particulam à meo Puero describi iussi; tibi, si ad nos excurras, legendam traditurus: sin minus; optabis frustrà, nec, admotis machinis, extorquebis. Vale iterum.

EPIST. LXXXVIII. Perusiam.

Marcello Alphano.

AT perfacilè erat diuinare, infestos homines, olim improuisâ frugum depopulatione irritatos; aliqua nunc improbitatis machinatione in nos vsuros, & occasiunculas vndè vndè capturos; deterrendi nostros à legendis Oleis, qui prouentus esse solet istius fūdi quàm vberrimus, etsi hoc Anno vbique mira paucitas. Qui tamen anteuertêre, præ festinatione, an formidine latentium insidiarum? audio, non excusisse vniuersas. Itaque volo à tuis sedulò detur opera, vt, quæ superfuerunt, colligantur, & per agrum discursent minabundi; ne cecidisse nos animis, aut aliquid de pristino iure detra-

ctum,

ctum, Aduersarij opinentur: Quin istic percrebrescat, me de nefaria irruptione ac latrocinio vehementer hic apud Caussarum omnium Præsidem conquestum; à quo mittendus sit certus Arbiter, qui in eius reos criminis diligenter inquisiuerit; neque quidquam nos omissuros, quoad insolentiam istorum compresserimus. Nostri verò posthac cautiores sunto, periculo edocti atque iniuriarum admoniti, & in propugnatione Agrorum, lapides, glebas, rastros, si sit opus, execrandos in illos proijciant atque effundant. Quænam hæc audacia? quæ facinorosorum studia, in res grassandi alienas, & Dominos à suo iure deturbandi? non feremus inulti. Sed me reprimo, & te, mi Marcelle, valere iubeo. Ex Vrbe.

EPIST. LXXXIX. Perusiam.

Bernardino Zibellino.

VAH qui dicebas Seruulum, quem mihi abhinc quadriennium tantoperè commendasti, pinguem & saxeum. modò appelles licet, furacem, impostorem, è Laconum familia ille prodierat. Nam quale nuper nobis & amicis, quibuscum vixerat coniunctissimè, furtum ac fucum fecit? at ego in intimam familiaritatem admiseram demens, falsissima probitatis fideique aduersum me, specie deceptus. Siquidem constituta, vti mox deprehendi, cum aliquot nebulonibus fœda fuga, vestium & pecuniarum

plu-

plurimum è meo cubiculo clanculum subtraxit; neque rem cogniturus fui, nisi ipse aufugiens, cùm scriniolum fortè reseraui, è quo argentum surripuerat, indicasset. Continuò enim è conspectu se se proripuit meo, conscientia vellicante atque obstrepente. Abijt igitur prædo, & vnà cum petulantibus commilitionibus se abdidit in ganeas. Lege haud sum persecutus, ne miserrimo Patri turpem adeò notam inurerem; sperans itidem fore, mihi vt damnum sarciatur. Id quod tu, pro tua in me beneuolētia, proque studio æqui & boni, cupio quàm primum diligenter cures. Aluerim equidem cotem, Lupi catulum enutrierim, & redierit ex beneficio mala gratia: cordi tamen est afflicti dignitas senis, cui non minus ego tacendo consuluero, quàm tu, quod nobis perierit, vt restituatur, efficiendo. Vale. Romæ.

Epsist. CX. Perusiam.

Alexandro Balestrino.

De letali, vel certè periculoso Bonifacij Cardinalis Caëtani morbo nonnihil ad te proximis litteris; mortem in his significo, quæ pridie huius diei religiosissimà secuta est. hodie in Sacra Aede Augustinianorum, magnifico sumptu vniuersus Cardinalium cœtus, & tota Aula Pontificia ei iusta persoluit: quanto verò cum mœrore, & publica lamentatione funeris, is facilè sibi persuadebit, qui de eius eloquen-

quentia, doctrinarum varietate, ingenij acumine, singulari prudentia, deque obitis pro Christiana Republica muneribus leuiter inaudierit. Decessit ætate satis firma, &, vt videbatur, longè vltrà id spatium feliciter semet productura, quod ipsius natu maiores, raro supra quinquagesimum, extenderant; ipse vix inchoauerat. Viuet autem in ore omnium Clarissimi Principis memoria, fruetur que in perpetuum inter Mortales fama, inter Cælestes gloria, fructu suarum virtutum amplissimo. Mihi quidem hærebunt multa ab eo prudenter disputata, multa acutè & commodè dicta; ac vixisse in Vrbe gloriabor, quo tempore ea Bonifacij conspectu reddebatur augustior honorificentior. Romæ Kal. Iulij. CIↃ IↃCXVII.

EPIST. XCI. Perusiam.

Leonardo Giliolo.

OMNINO tranquilliore animo esse cœperam Septembri ineunte, hoc est, vertente Anno ab illa clade, quæ meam familiam, spemque posteritatis omnem funditus euertit. Medicamenti plurimum attulerant remotior locus, occupationes Aulicæ, præter cetera, rerum humanarum animaduersa condicio, quæ Euripi in morem, alternis vicibus affluant ac defluant; tũ nostrorum vices temporum ac ludibria, Vrbiũ direptiones, vicorum incendia, Reges, Duces inter se discordantes atque intestinum agitãtes bel-

bellum. Perpensa enim vi varietateque carnificis Fortunæ; vere aiebam: Orbem, in quem mancipia detrudimur, nihil esse aliud, quàm pistrinum; aut palæstram, vbi nobis mortalibus molendum, luctandumuè perpetuò sit cum infestis casibus & infelici agmine calamitatum. Hæc mecum, malorum propemodum oblitus, & rationis naui, è mœrorum pelago, in portum consilij sanioris lentè subductâ cùm de Iacobi Fratris acerbissimo obitu, inopinatus Venetijs allatus nuncius, obductum nonnihil vulnus, crudeliter exulcerauit. Quid, inquam, mi Leonarde? iterumnè nobis irati Superi, qui morbum morbo, ignem igni addendum putent? & puluere ac luctu deformatos, rursum tragicam in scenam producant? nos miseros! quibus ab ærumnarum mearum tumultu paululum respirantibus (nam tu pro amore, qui inter nos est, proque assiduo vsu, qui cum meo Fratre tibi intercesserat, ex æquo mecum domesticam iacturam partiri voluisti) veluti decumani fluctus vortex super-ingeritur, obiecto amabilissimi Fratris tui luctuoso interitu; qui vtinam domesticos intra parietes, atque in carorum amplexu propinquorum contigisset. Quamquam istuc, rem vt rectâ reputemus viâ, poterat doloris sensum augere vehementius; videturque aliqua nunc ex parte leuius ferendum, quia illo iamdudum carueramus, quippè abfuerat quinquennium totum, & in militiæ disciplinam profectus, pro Veneta ditione stipendia merebat

cum

cum V C. Horatio Baleono, qui vnà cum strenuis Ducibus & præcipua exercitus nobilitate, fortiter dimicans, in acie occubuit. In quo conflictu ea Respub. quantum amiserit roboris atque præsidij, sentit ipsa iam, & posthac Dijs iratis, Genioque sinistro, qui in id discriminis præstantissimorum Virorum florem impulerit, non desinet maledicere. Sed nostris nos incommodis & inauspicatâ Martis aleâ propius commouemur: nec tanti sunt publica, vt priuatis non afficiamur magis. Etenim non vna in parte vexari armis Europam, quid ni doleamus? etsi perquàm leuiter, positi extra tela, & Homericâ quadam contecti nube. Ex quo autem Cælestis ille Medicus vsqueadeò amarum haustu poculum mihi diluit, & inuitum bibere coëgit, nullas iam amplius Rosas, nullum Papauer Sesamumuè cogito; quod si absinthium, atque acetum propinetur, ferendum æquè censeo; quod videam serpere in omnes mala, nec haberi quēquàm eximium ab eo Hercule, qui mortales tēpestiuè vniuersos, vti Chirones, percutit, & vulnere immedicabili prosternit. Tuæ duntaxat me domus perculit comploratio, & inter altissimos gemitus proclamatum funus. afflixit itidem renouatum meum; quoniam Iuuenes inter se se coniunctissimè vixerant; delegerat alter alterum, vt diligeret, & solida sinceraque fuit amicitia, quandò, nisi ipsis deficientibus, deficere nō potuit. Quàm enim germanum meum tui absentia Fratris mirè torquebat! Quem ille non

mouit lapidem, vt extorris tuus postliminio reuerteretur in Patriam! quàm crebras dabat ad me litteras, obiurgantes, conuicio agentes mecum, vt aliquandò per Cardinalem meum, exilij legem curarem tolli atque interscindi? Tu vestri amantissimo, quàm prouidè semper cauisti, ne quis ad suauissimum Fratrem de extincto Lauro manaret rumor? sciebas nempè immoderatius atque intemperantius laturum, quàm noster dudum, Pauli Veliæ & Io. Francisci Herculani, capitum longè carissimorum, exitum visus est ferre. Iacobus autem in lucro habuit, si ignorauit; & demortui memoriam æquè ac verè viui, ex more coluit, deque reuisendo perfamiliari haud dubiè cogitauit. At Io. Paulus, suprema vigilia sanctissimè peracta, Cælo, vt credimus, receptus, sodalem cœpit suum amare flagrantius, obseruare diligentius (siquidem coniunctio & nexus animorum, qui à corpore sunt soluti, est arctior firmiorque) præsens præsenti adesse, in somnis occursare, arcanis illabi modis atque complecti; quinetiam vnà cũ bono Genio salutem diuinioris partis procurare, &, cum fuit intempesta nocte, non longè à Sontio, ad Alpes Iulias, dimicandum, ac fatalis immineret hora; institit cælestes fundere radios in belligerantem, præstò esse concidenti, consolari iacentem, paulò post Iesum intermortuis vocibus repetenti, expiatámque religiosè animam efflanti, viam ad Angelorum sedes præmunire. Porrò vtrique nunc in sacro viuentes contuber-

tubernio, semet mutuò iucundissimè fruuntur; gratulanturque sibi, depositâ mortalitatis sarcinâ, grauioris ætatis sollicitudines effugisse; subindè rident ac damnant luctus nostros, & lacrymantes huiuscemodi dictis acriter castigant. Quid istuc est quod agitis? aut cur tãtoperè super excessu amborum lamentamini? qui non tam sumus mortui, quàm ad immortalitatem translati? desinite iniquissimis querimonijs mortem præproperam in ius trahere, & ex istius vitæ compedibus exemptis nobis, atque in hanc felicitatem euectis, nequaquam inuidete. Miseramur tam crassam animorum vestrorum caliginem, quorum viuacitas periculo mox ea mala experietur suo, à quibus nos Dei clemẽtia tanto antè præripuit. Ac nostrum quidem alterum Patria, alterum Forum Iulij, diem extremum obeuntem vidit: te Perusia Giliole, te Laure, Roma retinebat; maxima locorum intercapedo vtrumque à nobis diremerat, & neutrum adspexistis, nec, peracta vitæ Fabula, abeuntes cum plausu dimisistis. Benignè ac sapienter à Deo id factum, ne discessuris in mora essetis, aut mœrore aliquo adspergeretis, qui modò ingentia gaudemus gaudia, ac patronos agimus pro vestra salute, vt sedulos, ita & efficaces. Vos pro virili enitimini, vt vitæ curriculo benè laudabiliterque expleto, Mors, quæ nemini, rectè morienti, non est matura, dignos reperiat, qui in nostrum conuictum transducamini. Quid quæris, Leonarde? his auditis, iam mi-

nus orbitatibus excrutior; qui dulcissimis Fratribus diuinitus oblatũ portũ,& indultã perennem gloriam, mecũ in animo reuoluo. Quantulũ autem hoc momenti est, quod nos ab illis diuidit? sequemur, sequemur propediem ipsi, non quos amisimus, sed quos præmisimus. Adornat illi Fraternis adducti obsequijs, hospitium, in quod de via fessos hilariter recipiant. Comparemus interim nos ad iter, & nescij, quo Mors loco nos expectet, omnibus eam locis expectemus. Benè Vale. Romæ CIↃ IↃ CXVII.

Paranti complicare hanc epistolam; venit ad manus Consolatio, olim à Viro doctissimo Io. Thoma Giliolo ad me transmissa. Ea Pharmacum animo dolore extabescenti, vsqueadeò efficax adhibuit, vt ad pristinam hilaritatem propè reuocarit. Tu si accuratè lectitaueris, par remedium experieris. Iterum vale.

Romam.

Io. Thomas Giliolus
Io. Baptistæ Lauro V. C.

QVOD acerbum inexpectatumque de Fratris amantissimi obitu, nuncium dolens exceperis, non modò excuso, sed planè laudo sensum humanitatis tuæ. Absim ab inconcussa illa mentis duritie, quam iactabunda Stoicorũ Porticus extollit. Docent illi, an ex animi sententia, nescio; an imitentur, sit aliorum iudicium. Hominem me esse memini, humanas perturbationes, dummodò intrà rationis metam, non reij-

cio,& credo laudandum motum, quo te hominem ostendas. Doluisti, Laure; at iustè, at eo, quo debuisti, &, quo non dolere, dolendum fuisset. Habuisti in dolore imitatores, qui, vt propinquior agnatione, omnes meritò præuertisti: si tardior fuisses, habuisses præcursores. Ac te rectè doluisse, hoc confirmat nobis, quod Consolationem ab Amicis oblatam, non modò non repulisti; sed ita æquo animo suscepisti, vt eos, qui ad te accesserunt, animi tui mœrorem mitigaturi; non paruo ipsi ex hac tua magnanima moderatione solatio perfunderentur. Accedam ego, vt amicus; dum amicum dico, mœrētem dico: Amor enim easdem imprimit affectiones, & paribus expositum infortunijs animum, paribus vulnerat telis. Accedo, non te solaturus, qui non eges, at animi ægritudinē mei scribendo fortasse expleturus. Sicut enim terra vapores tollit, quos sinu exprimit suo, cessuros non in Cæli aut Solis decus, aut vtilitatem; sed in eiusdem terræ fœcunditatem; ita spero, quod scribendo emisero, id ad me, & fœneratò, remeaturū. Cōmittā ergò tibi mei doloris alleuamēta, tu, si quid est, in rem tuā, lege, perlege elige vtere: ego te legisse fruar; vide tuæ virtutis planè inuidendam condicionē, vt quo tempore videris ipse maximè consolationis indigens, tunc habeas, cuius dolorem ex tua caussa susceptum, lenias. Animum humanum, Plato docet, cum primò corpori adnectitur, statim subire condiciones fati; fatum intelligit nexum caussarum. quæ per corpoream naturā diffusæ, dum corpus pe-

tunt, earum motibus agitabile, animum quoque afficiunt, associatum corpori; ita vt necessitudinis cum eo contractæ, pœnam referant nõ condemnendam. Finge tibi ob oculos graue saxum, hærens solo; hoc vix loco dimoueas, ita mole nititur sua ad immobilitatem: idem ipsũ si nauigio imponas, & committas freto; dici vix potest, quàm sit mobile, quàm facilè huc illucque transferatur, & mobilitatem contrahat à naui, cui impositum. Mens incorporea, immortalis quid patiatur à corporibus? eadem agglutinata corpori, eiusdem fortunæ consors, vicissitudinem subit parem. Quod si corpori se se eximat, restituitur statim legibus Prouidẽtię, suo firmius regitur ingenio, neque habet, quo aut deturbetur aut rapiatur. Quis non amet hanc mutationem in melius? Amauit profectò Frater tuus, & adsertor propriæ libertatis, arripuit occasionem, grauem corporis (dicamnè, socij, an potius hostis?) corporis inquam, consuetudinẽ intercidendi. Captiuo carcere effodere, nefas; at iubẽte Principe, exire; iustũ, & lætũ. Se se vinculis eripere corporeis præproperè siue clã, siue palam, non expectato Principis edicto Dei, piaculum, capitale: at suscepto mandato, & veniâ quis non exeat? quis perplexus in re tam certa, nectat morãs? peropportunè vitandũ, quod, non subijsse, optimum fuisset. Memini de Stoico quodam legisse; cum dolore capitis, & alijs afflictaretur aduersæ valetudinis incommodis, in hãc venisse suspicionem; has esse tacitas Dei ad-

admonitiones,quibus reuocaretur ab huius sæculi fugacissima mortalitate, ad æui, quod nos manet,stabilem perpetuitatem. Talem sibi fingebat fabulam. Domum suam locat quispiam, non statuto tempore,intra quod dissolui nō posset locatio : at facta locatori libera eijciendi potestate, cum libuerit ; si modò effringat valuas, modò turbet tegularum ordinem, modò perfosso pariete eò rem adducat, vt totū ædificium aut procumbat fermè,aut saltem inclinet in ruinam, quid aliud opinatur conductor,quàm sibi his signis denunciari discedendum domo,finitam conductionem,& sibi de alio habitaculo cogitandum ? Deus locauit Animo hoc ergastulum, Corpus inquam,tempus nō pepigit certum,sed quod visum fuerit Domino, eidemque locatori ; si aliquandò tentet valuas, id est,Sensuum instrumenta,cæcitate,surditate, aut alijs vitiosis affectibus; aliquandò caput turbet,quod velut tectum, toti supereminet domui,latera doloribus,pedes & crura imbecillitate affligat ; quis non videt esse hæc signa Domini, discessum iubentis,& ad se reuocantis? sic facilè adductus, vt mortem sibi vltrò conciliaret ille Philosophus, vt sic audiens Dei nutibus & imperio,mereretur laudem animi obsequentis. Sapienter in eo, quod credidit, Aegritudines esse futuræ Mortis prænuncias. at,quòd,sibi mortem consciuerit, nefarius : aptare se ad interitum, laudabile, at aptare ; complere opus, non nostrum ; sufficit constanter perferre,quod nullo artificio vitare possis,&,quod fugere,in-

ane eſt,id non recuſare Prudentis,&, quandò adeſt neceſsitati comes volũtas, fortis viri. Viciſſitudo & mutatio per alternas vices,iucũda corpori,ad quod effingẽdũ multa cõuenêre,ſimplici animo ſubmoleſta, ait Ariſtoteles noſter in Ethicis; gaudet immobilitate ſui,quod in ſe non admittit alienum. Huc illuc transferri, & perpetuis agitari curis,modò componendis affectionibus,modò vitæ neceſſarijs comparandis, aut conſeruandis,modò tuendæ valetudini,aut quibuſlibet & alijs ſtudere, ſiuè commodis, ſiuè neceſsitatibus, graue illi animo, cui vna iucunditas, quies & vacatio. Scis Pithagoræos, dum rerum principia bona enumerarunt, ablegaſſe metum,quia & malum ipſum,& malorum initium aut ſocium exiſtimarunt. Metum intelligò fluctuationem animi; hanc ſicut pauci admodum vitant viuentes; ita multis aut fortaſſe omnibus, vitam facit moleſtam, ærumnoſam. Ixionis fatum recogito, hæret rotæ; at ſemper voluibili; hinc miſer. Animus corpori coniunctus, rapitur ſemper, & quo vix, aut ne vix quidem vellet, ni raperetur. Quæ ſit mentis occupatio,dum regit,animatque corpus, quo vis Pictore induſtrior, expreſsit Plato noſter typica in Imagine. Equos duos, currui iunctos, Auriga impellit voce,minis,ictibus: arduum iter,& nimis accliue, per aërem, in Cælum.Equorũ alter generoſus & nobilis,impatiens moræ, aſſurgit, aptat ſe viæ,hinnitu ſociũ excitat, & pedibus alacer nunc ſolũ percutit, nũc cunctantẽ ſecũ attra-

trahit comparem,& quia non poteſt;iraſcitur,ſe nimis obnoxiũ eſſe iurè huic iugali. Alter autem Equus,demiſſo in terram vultu,ventri, cibiſque deditus,laborem pertæſus,otij cupidus, dũ impellitur; reſilit,detrectat frænum,& iugum deſpectat; nihil non agit,quo minus loco, & propoſito ſuo demoueatur. Auriga miſerè occupatus,nec deſidiam aculeis, nec pertinaciam vincit feriẽdo.. Difficilis,inquit Plato, vectura noſtra. Auriga Mens, generoſus Equus Iraſcendi, vt vocant, facultas; alter deſes, & deſultoriæ naturæ, Concupiſcentia; quis poſſet diſcordes horum motus conciliare? hic reſpectat,dum ille ſuſpectat;calcẽ incutit in caput ſocij, neque patitur ſuſtolli. O graue Aurigæ laboris impendium! quis non vltrò amet, & eligat, hoc liberari aurigandi munere ita diſpendioſo? Soluit Mors, quandò Auriga de curru deſilit, & nullo Equorũ miniſterio, ſuis contentus viribus, trãſuolat,& iã iam conceptũ animo, ſibi deſtinat finẽ viæ. Hoc ſuaſit Sapientibus, vt facilè mortalitatis pondus deponerent, & æquanimiter ferrent, illo priuari; cuius fuit ſemper ſocietas luctuoſa,cura anxia, & honeſtioribus impedimẽto. Impensè curare, quod non niſi hoſtẽ experiri debeas, periculi plenum: & velle illud coërcere, in quo ſemper habeas, quod coërceas, durũ, & infinitum. Optandum cuilibet hoc alleuari oneroſo negotio; optabile otiũ,quo,dũ perfrueris, ſcis nihil eſſe,quod quidquã intemachinetur aut fraudis,aut violentiæ. Melius eſt, nullum habere, cui, mandata des,

quàm habere,quem regas, si renuit detrectator; imperiũque,quod à se abigere nequit,dũ abhorret, contemnit, breuè dicã:infelix Regnũ, cui, si pœnã detrahas,non est,qui pareat. Quod si hæc detestabilis est condicio mẽtis, quamuis in solio;quãto erit execrabiliorilla, quã eligunt quidam?Reginam suam coronant Concupiscentiã; sibi in illam naturale & debitum dominium abrogant, & spontè exauctorati, obediunt tyranno. Oderunt homines viuere sub tyrannide; hanc quarè non oderunt? ab ista quarè non referunt pedem? ah impudentiam,ah stultitiam. illi succurrendum, vt Furioso. Quod libet, quo aut sibi, aut alijs nocere posit, auferimus amẽti; ita,si non discit sapere,saltem discit quiescere. Quod si non temperet insaniam, vinctum carceri committimus, quod si sibi non absimilis,furere non desinat, relegamus; procul amãdandus, qui nec sibi, nec alijs frugi esse potest. Vides, mi Laure, hoc solum distare Sapientes à vulgaribus,quod vtriusque mori vtile, at ex his alij destinant,illi vltrò admittunt; etenim decipi,& non eligere meliorem partem, vulgarium est.at quo proficias,rectè iudicare,& inutilibus non distineri,sapientis. Eò magis ferre lætanter potes hunc obitum Fratris, quò clarius scis,illum semper æquo, compositoque animo expectasse,& prius menteconcupisse, quàm corpore recepisse. Habet Sapiens hospitium, patet hoc illi liberaliter, & munificè quotidie Morti peregrinabundæ; cogitatio Sapientis illam,vt hospitam,

ſpitam, in ſuos receſſus introducit, non tanquã in diuerſorium, ſed tanquam in domiciliũ. Quî ergò ſit aſpera Sapienti Mors, toties excepta domi? nonnè modeſtè, clementer, & amicè cum ſuo aget hoſpite? O Philoſophiam vnicam, frugiferam, quæ nullam ſinit noſtri animi partem eſſe incultam, deſertam, infructuoſam! Gratulor tibi, mi Laure (vt, quod à Conſolatione incœpit, deſinat in Gratulationem) qui iamdiu talem viuendi rationem inijſti, qualem imitatus Frater tuus, ita felici fine compoſitus, eſt nũc nobis omnibus inuidioſus. Fruere prœmio, quod habes, bonâ conſcientiâ; expecta meliora; interim gaude, quod Frater, nec etiam ſi poſſet, mutaret factum, ſic orbitatem compenſa. Nobis, qui te amando non quieſcimus, &, quo te ducit fortuna, te ſequimur, repende, obſecro, amoris vices. Conſtantiam contra aduerſa, ipſa etiam inimica Fortuna admirante, exercuiſti; oſtendes (auguror, & ſcio) quàm ſis obfirmato contrà obliuionem animo, & quo alios allicit & promouet, aut grati animi propenſio, ob acceptorum memoriam; aut voluntas luci cupida, ob ſpem accipiendi, eò te ſola rapiet magnarum Mentium moderatrix Magnanimitas. Ea lege viuis, Vir præclariſsime, vt nec amare queas dediſcere, nec amari. Parolus, ſacra Athenienſium triremis, non niſi per iniuriam poterat cogi vilia quædam, vt ligna, vallos, & pecudes, vehere; ſed ſacris Solis aptanda erat, ſacrum vehiculum. Humanus Animus, longè magis quoli-

bet

bet nauigio sacer, præsertim quandò Virtuti Aram in se ipso dicatam extruxit, in vilia non debet ministeria detorqueri; at solũ se ipso dignis operibus sese exercere, fortitudine contra aduersa, constanti amicitiâ, amicorum studio, sui prouidentiâ. Sistam tandem aliquandò calamũ, mi Laure; ne, dum infinitè loquor, videar in re seria intempestiuè garrulus. Vestales (Plutarcus refert) Romæ, priore suæ ætatis parte discebant Sacra, altera parte faciebant, vltima docebant alios, & publicè fiebant sacrorum ministeriorum magistræ. Didicisti, Laure, cum virtuti capessendæ sedulò studuisti, quid faciendũ, quid patiendum in hoc calamitoso quidem, sed valdè illustri probis Viris, vitæ præsentis curriculo: exercuisti te, Fortunâ probante, in obitu Fratris: ah iám veteranus, & palmarius doce nos; habes nutibus obsequentes, & expectantes, vt ducas, vt admoneas, tutos sub tãto ductore dę triũphali gloria. O felicẽ nostrũ omniũ condicionem, alienis laboribus sub alienis consilijs, cum tanto fœnore, profecisse. Precor, ne eã inuideas orantibus & sperantibus. Vale. Perusiæ XVIII. Kal. Octob. CIↃ IↃ CVI.

EPIST. XCII. Tuder.

Sancti Orlando.

AD prudẽtiæ tuæ veluti senatum retuli, quæ Medici nostri multa conscripserunt, ad lentã istã ægrotationẽ amoliendã; misique in hoc Hannibalis Camilli Libellũ, in quo de vtilitate atque opportunitate Aquarũ Nucerinarum

rum

rum ſubtiliter diſſerit; quas fore tibi plurimũ conducibiles affirmat. etſi audio, ad Cluſinas, ſiue, vt nunc loquimur, ad Sancaſsianenſes te animũ adieciſſe, eòque breui profectioné apparare. Arbitrij tui res eſt, Orlande, in qua mihi nec ſeritur, nec metitur; te certè optimè valere cupio, ac voueo tibi Balnea qualiacũque, quantũ ipſe exoptare potes, ſaluberrima. Et quãquam, illic cum fueris, omnis generis oblectamenta nõ deerunt: noſtræ beneuolentiæ tamen eſſe exiſtimaui, eiuſmodi quippiã litterarium nouũ, ad te adferre, quod ab ingenio tuo nõ abhorreat. Propterea venit in mentẽ, Diſſertationẽ cõmunicare à Ladiſlao Aquinate, Venafri Epiſcopo, Legatione obita, Paulo V. oblatã; in qua de Heluetiorũ Repub. & Legati Pontificij, quẽ ipſe pulcherrimè egit, munere copioſiſsimè & grauiſsimè diſputatur. Nec quia docuerant me nõ pauca, quæ in Theſauri Policiti volumina congeſta ſunt, Apoteleſmata, non quiddam præſtantius in ſcriptione recenti videor agnouiſſe. quò hoc ſum affectus magis, quòd præſentium ratio tẽporum ex lucubrationibus præteritorum frugẽ perexiguam poteſt petere, ex his longè maiorẽ. Ac quemadmodum in Vino vetuſtatem laudamus quidem; ſuauitatem haud ita veteris potiorem ducimus; quo & vtimur frequentius, & ſalubrius experimur (ſanioris id palati & ſtomachi iudicium eſt) ita ex Aulæ vſu maximè cenſeatur eſſe hæc nunc primum concinnata ſapienter, & vulgata vtiliter diſputatio.

Fin-

Pindari fuit dictum: αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων. Nemo quippè ea in præſens temerè deſpiciat, quibus ſuperior ætas album calculum appoſuit: recens tamen floribus fructuque efflorescentium in dies vigiliarum prudenter veſcitur atque oblectatur: mauultque vegeta ac robuſta, quàm præcepta natu maiorum euanida & fugientia. Eaque ego, haud puto indecorè, ceruicalibus Mulierculàrum cõparare ſoleo, quæ, cum ſe attollant ac tumeſcãt, capitibus ſuppoſita, iiſdemque videantur reniti poſſe & reſiſtere; cedunt magis & contrahuntur, falſum habentes & cauum pondus. Et quoniam in Aquis illiuſmodi perpotandis, à ſomno in primis Medici monent temperandum atque abſtinendum; ad tædium efficacius diſcutiendũ, Somniorũ, quę tibi fortè indormiẽti aut dormitanti obreperent ſubuolantia, interpretẽ Artemidorũ, è Græco in Etruſcũ à Petro Lauro, cõuerſũ ad Aquinatis πολίτευμα adieci, vt ſubindè rideas priſcorũ aniles nugas & delirameta; verũ ea condicione, ne imaginibus Amicorum illudas; quorum obiecta ſpectra aut obliuioſos increpant, aut ſubfrigidè amantibus acres amoris addunt faces, aut cum abſentibus quaſi coram ſuauiſsimè loquuntur. Vale.

Peruſiæ.

(?*?)

EPIST

EPSIST. XCIII. Perusiam.

Dominico Vitali Monacho Casinensi.

LIBRVM tuum, in quo habetur doctrina multiplex Anulorum Astronomicorum, vnà cum meo anulo æreo, misi ad Virum acris ingenij iudicijque, ac nostri amantissimum, Iulium Dantem, qui ad te perferret. Monui auté, prius inspiceret Frisium, Dryandrum & Finæum. meus enim ad formam eius, quem isti exhibuerunt, videtur accedere. Cumque ratio interioris Armillulæ in meo non satis mihi liqueat, præ angustia illius rimulæ; quæ radium Solis incidentem habet excipere; decreui communicare vobiscum, talium rerum peritis, quæ mea sit sententia, & vestram audire, proximis litterarijs ferijs, cum ad Vrbem rediero, ad annuum munus in publico Gymnasio obeundum. Mitto etiam CARMEN Sacrum abs te valdè expetitum. Profectò latet alicubi apud vos Exemplar longè vberius, quod Antistiti vestro, Peruigilio ipso Translationis, dono dedi. Sed is, cum desijt esse inter viuos, fortassis aliquis non defuit, qui Scriptionem, Patroni obitum grauiter ferentem, ad se receperit. tamen biennium est, nec tibi diligenter inquirenti, vnquam ad manus. An verò coniecit ille in vincula, quisquis fuit, aut ablegauit in militiam, vt cum tineis & blattis congrederetur? Vindicauimus ab vtroque incommodo. Nam repertam mitto, edi-

editurus propediem, & tibi amicorum optimo inſcripturus. primum exigit beneuolentia ſingularis, quâ me effuſiſsimè proſequeris; deindè ire ad vos lucubrationem decet, quæ ſit de Patre veſtro. Hunc precibus velim aſsiduè mihi concilies,& valeas. E Vallepontio.

Epist. XCIV. Piſas.

Thomæ Elephantio.

Merito facis, qui defuncto Fratri pietatem præſtas, in re maximè incerta; cũ poſſes ignorare, quod omninò decreuiſti tollere. Anſidæo iſtinc nondum profecto, ferebat iam Puella ventrem, & quidem propinqua partui. Mittam crepundia, cum ſenſero auctum te Nepotulo: cui, precor, faueant Natio & Leuana. Ac tu, quod facimus in plantis, vt, carentes veris & natiuis, amemus inſititias & tranſlatas; hanc ſobolem arctiſsimè complectere: & perinde adopta in familiam, ac, ſi certo coniugio ſuſceptam, poſthumam tibi Frater reliquiſſet, domus columen labantis, ac, te extincto, perituræ. Quod ad Batauum Scriptorem ſpectat, à me tamdiu quæſitum, abs te tam humaniter oblatum, ita nè hominem confinxit ſibi in Ciceroniano ſuo, quem accuſaret, quem irrideret? ò moroſitatem, ò faſtidium! ſi non aliâ ſuperſtitione pulcherrimi cognominis ſplendorem mihi mediter accerſere, ſi non aliâ ratione Tullianus queam euadere; verto ſolum, & indices,

dices, ſchedas, theſauros omnes valere iubeo. Ac prudenter ſanè Noſoponus ludibrio habetur; quemadmodum Zeuxidis Heracleotæ Helena, ad Eloquentiæ ſimulacrum decentiſsimè conformandum adhibetur. Omnia in eo opere præclara; niſi quod de Longolio nimis multa, & aliorum laudes ſæpius frigidæ & ineptæ, præter quas in Sadoletum ac Bembum plena manu confert; vtpote à quorum litteris Floridas ſuas auſpicari voluit. Quid de tota illa Ciceronis imitandi controuerſia, neutiquam ſaluâ Religione conſcriptâ, iudicem; coram tibi diligenter exponam, oſtendamque, nihil minus verum, quàm quod Marius Corradus proferre eſt auſus: nouam ac fœdiſsimam barbariem à Batauo Oratore in Italiam fuiſſe inuectam. Vale. Peruſiæ.

EPIST. XCV. Tuder.

Pompilio Zuccantino Proëpiſcopo.

SCIO, quantoperè Viris, probitate ac doctrina præſtantibus, faueas; quantumque percipias gaudij, ſi tibi eorum opera vti contingat, qui in Vinea Domini norint laborare, vitiorum fibras ex animis hominum reuellere, pietatis inſerere plantaria, & copioſum fructum in Chriſti horrea cõferre. Huic rei mirè idoneum, ſi recordaris, commendaui tibi, pridie quàm huc venirem, M. Innocentium Auguſtinianum, vt ali-

quem ei, si fieri posset, agrum ex Ecclesiæ Tudertinæ latifundijs destinares, quem, non vomere, rastro aut sarculo, sed linguâ per spiritum eruditâ, excoleret, & assiduâ sacri Eloquij irrigatione & subactione, in messem amplissimã proueheret. Annueras, & futuram cordi tibi petitionem nostram, humanissimè receperas. Sed quia nihil dum statuisti, nec fortasse statuendũ quidquam censes, absente me; cumque ego ægrè feram duci à comperendinatoribus; Typographis, neque amici hominis è re sit, diutius pendere: volui iterum per litteras de eo tecum agere, à teque instanter poscere, maturè vt deliberes, &, quod illi Oppidum aut Regiunculam decreueris, in album referas, ac, datâ quasi tessera, suspensas amplius ipsius rationes esse non sinas. Id non tam honoris mei gratia enixè postulo, quàm quia pro comperto habeo fore, vt nonnihil ipse debiturus sis nobis, qui obtulimus, qui laudauimus: tametsi ego tibi debiturus immortaliter sum; si Concionatorem hũc vel in aliorum Rationarium recipias; vel locorum pænuria meliorum exclusum, in annum proximum reijcias. Vale. Perusiæ.

EPSIST. XCVI. Perusiam.

Ludouico Aurelio I. V. C.

TANDEM aliquandò gratulari licebit de constituta Perusiæ Bibliotheca, quæ, dum Podianus vixit, sæpius fluctuauit. Quam enim ille

ille ſanctiſsimo Patriæ Genio olim, Fuluio Corneo Cardinale pronubo, deſponderat, eoque mox repudiato, Monachis modò Caſsinenſibus, modò Auguſtinianis fruſtrà adiungere ſtuduerat; eam ex iure manu conſertam decē viri noſtri vindicarunt, &, extincto Patre, de Filia tam malè merito, decreto iampridem nuptiarum fœderi reſtituerunt. Igitur quem honorem Angelus Rocca Epiſcopus Tagaſtenſis, in percenſendis Europæ Bibliothecis Podianæ habuerat; eūdem poſthac proſperè retinebit, poſthumo titulo, inuito Proſpero, qui ſolidæ exiſtimationi nihil proſpexerat; contentus adumbratis nominibus, pro formoſa Helena, obiecto nobis turpis Hecubæ ſpectro. Nam quis pro vera non accepiſſet, commemoratam inter Vaticanam, Angelicam & Altaëmpſianam Bibliothecas, Podianam? Tibi verò Aureli, qui ei cuſtos es admotus, ſic gratulor; vt referendam eſſe magnam gratiam ijs cenſeam, qui, id vt muneris non reijceres, auctores atque impulſores fuere: non tam priuatæ rei tuæ habita ratione, quàm publicæ, cui præclara tuæ eruditionis atque eloquentiæ face illuſtrandæ ſpecioſa impoſita videtur cura: in tanta præſertim Virorum paucitate, qui ingenij inſtructi opibus pręſtare iſtuc quoquo modo debuiſſent. Profectò, etſi alienæ induſtriæ nihil detractum volo; nemo præter te eſt, qui maiorum noſtrorum Hiſtoriam queat cumulatius & elegantius expedire. Animaduerti in omni æuo extitiſſe ſemper aliquos, qui in eam

rem incumbere statuerint: verum aut hæsisse per initia, aut habuisse satis, voluntatem indicare,& in posteros sarcinam reijcere. Itaque(vide gloriam perlepidi hominis) cogimur Maltempium non improbare, ac Pellino opponere, cuius egregia scripta nulla sunt, quia lucem nō adspexerunt. Vrge, Aureli, si potes, vt edantur; & cude ipse meliora, quod omninò potes. Vale. ex Vrbe.

Scin' verò per hos dies quid hic Libelli quidam ediderit? Etruscas Epistolas sic scripsit, vt proscribi meruerit, & Filijs vix fuit superstes Parens. Irrepserant quædam non ferenda. Quęsitor Pontificius exempla sustulit,&, vel amissâ virilitate non recudi passus, à cunis transferri ad rogum iussit.

EPIST. XCVII. Perusiam.

Dionysio Veliæ Seruitæ.

QVOD coram me facturum in Vrbe, tibi Velia, sum pollicitus; id per otium cumulatè præstiti. Huc vbi perueni nihil habui antiquius, quàm vt Grammaticas Hebræas pœnè omnes, quæ ad hanc diem in lucem prodiere, inspicerem atque excuterem, vocaremque ad calculum,& cum tua conferrem, quam pergis perpolire ac dedolare. Sic planè censeo ne diutius sanctioris linguæ amatores torqueantur, vnde tantum gemmarum & mysteriorum eruitur; iterque longè expeditius, ad apicē progredi volen-

lentibus, præmuniatur, tuam συλλογὴν absoluas tandem, & in manus eruditorum venire quàm primum velis. Enimuerò complures, vt video, in eam curam cum laude, non eo inficias, incubuerunt; ex quibus tamen quantulum vtilitatis petere queamus? Vel enim præceptis tenuiter efflorescunt, dum breuitatis capti studio, obscuritatis scopulos non effugiunt; vel nullo pacto prætermittenda transgredientes, inanibus diffluunt, & in stolida quadam vbertate luxuriant. Nam vt emineat talis scriptor, & in prætura, vt sic dicam, litteraria triumphet; prolixius docens, tædio enecat; angustius atque exilius, effundit tenebras. Porrò Rabi Dauid Michlol, & Rabi Moysis Grammaticos Canones, in Latinum versos, ad Hebræum sermonem perdiscendum adhibeat nemo, cùm peritiorum ingenijs dumtaxat excolendis & saginandis parati videantur. Pingue quiddam ac rotundum sonat Rabi Abraham de Balmis, ab ijs nequaquã terendus, qui sint litteris mediocriter tincti, aut plusculum etiam profecerint: siquidem vix cõmunia & detrita quæpiam decerpserint: idque ipsius, qui Interpretem egit, vitio. Ad sermonis quippè Lautitias Lectorem prouocaturus, præter rem, τὰ ῥητορικὰ ἐγκύκλια congessit: verbũque verbo reddere scrupulosius maluit, quàm ad Hebræam λέξιν conducibilia, castè atque intelligenter proferre. Habemus Nicolaum Clenardum, quem tu omnium maximè hactenus es amplexus, non iniuria: haud tamen nihil de-

est;ac, si dicendum hic sit, emendatius feliciusque tradit Græca, quàm Hebraica. Sanctem Pagninum opulentia quædam non indiligens cõmendat: verum vtpotè immodicū à culpa minus liberat. adeòque illud vero verius esse deprehēdi, quod in ore frequens tibi est, Dionysi: Abrahamum paulò clariorem, & copiosiorem nobis quodã modo fuisse à Pagnino obtrusum; Magistrosq; à legẽdo ipsos; nedũ discipulos, à limine salutãtes, deterreri. Sunt Mercerius, Reuclinus, Quinquerboreus, præstantes profectò Viri; sed qui, huius candidatos linguæ, ac plus quàm modicè callentes, requirant prouehantque: tyrunculorum nullâ ductâ ratione, quos, ad iacienda tantæ rei fundamenta, principiò nihil, quãlibet exiguum, respuere par est; vt paulatim procedat opus, & stabile ædificium construatur. Pari fermè præconio est efferendus Marcus Marinus, qui Grammaticæ rei ἐπιτομὴν confecit, & in tabulas redegit. At enim, vt eius demum cõparatæ laudem ignorantiores assequantur, perspicuitatem ac facilitatem desiderãt maiorem, iique longius arcentur, qui puerilia rudimenta subtilius rimantur. Guilielmus Francus, Vallis-vmbrosæ Monachus, doctè, accuratè, diligẽter scripsit: atqui, prò Cælitum hominumque fidem! quia nam tot προοίμια ad quodque attexãtur caput, tot Philosophici ambitus & emblemata agglutinentur? Poterat limatius contrahere in angustum, & splendidius exornare citra fastidium; nec aduersus eam Libri sarcinam, veluti

Medusæum

Medusæum caput, Persei falcato ense, aut Mineruæ clypeo vti haberemus. Ipsemet Solis nomine nuncupauit. An verò aër est omniquaque purus, & nusquam ab solo exsudante emergunt nebulæ? præterquam quòd Etrusco charactere infuscauit. Quam tradendarum linguarum rationem perindè risi, ac soleo eos, qui Platonem & Aristotelem ad hunc modum loquentes fecerunt, aut ex his præcepta deriuantes, animos, minimè peregrinâ hac subactione excultos, irrigarunt. Superest Benedictus Blancuccius, qui haud ita pridem in isto puluere desudauit: in hanc tamen arenam qui descenderint, illo veluti ceromate, percommodè vtantur, ac fuerint eiusmodi Institutiones scientibus Enchiridij loco, quibus proficiant multò vberius; ingenio autem tardiores ac minus docti, ægrè capiendo sint. Nam cui negotium non facessant tot paraphrases & multiplex adeò Analysis? Qui quidē Commentarij Grammaticorum omnes, plurimum incommodorum ac difficultatum à nobis, vt rudes sumus, habere existimantur. Quamobrem hortor te, Velia, quantum possum, vt florentissima Grammaticæ tuæ præcepta maturè absoluas, & in publicum citius omninò, quàm queat, proferas. quandò in iis (nec in auribus datum volo, qui blandus natura non sum, & amicos moneo æquè libere, atque in oculis fero) eò consilium tuum & industria spectat, vt dilucidè breuiterque eos, qui sunt ignari, doceas; qui percallent, submoneas: vt in primis verborū

venus ac proprietas elucescat; tum splendescat ordo, nec quidquam planè desit, aut inutiliter exuberet. Scholiis insuper aureis Libellus scateat,& pleraque, ab aliis interuersa, candidissimè spectentur expressa & restituta. Quin igitur,mi Velia, maioribus Vigilijs hac vnâ Lucubratiunculâ sapienter proludis? cui ego, inter tam multas Hebræas,eum præcipuè locum fore auguror, quem Aluarus inter Latinos obtinuit, cui primas recentiores omnes meritò detulerunt. Bimestri spatio istic,dixeras, tibi satis esse ad perficiendum, Capitibus duodetriginta ad vmbiculum perductis: nunc quantulum arbitrer ad calcem superesse? Amabo te,Dionysi,ne sis comperendinator, tuæque iniurius gloriæ,ac enitere,vt,Perusiam cum iterum venero(Tuder enim cogitat Cardinalis meus, egoque hîc absens nullas Litteras editurus sum) ac Centuriam prælo subiecero,Institutiones tuas,graphicè descriptas,nobis relegendas tradas,mox vulgaturus Romæ, cum huc mecum redieris: vbi fœtuum tuorum, ni abnuas, minister, adiutor, ac particeps ero. Vale.Romæ.

EPIST. XCVIII. Tuder.

Io. Baptistæ Guazzaronio.

ASSEM para,& nuncium accipe longè optatissimum. Excellentissima Ruuereia Cardinali meo Nepotulum, M. Antonio Marchioni Filiolum incolumis peperit; quo solo anti-

antiquissimæ Familiæ propagatæ laus constat. Quanquam autem præclarissima Femina minus in Naturæ officio claudicarat, non vnâ sui sexus ante datâ sobole: maiore certè præconio modò efferenda est; quòd Vrbem Romam Puero Principe & scitulo felicissimè locupletauit. Propè fuit, vt, ad ætatis iunioris nænias relapsus, positus Siderum ac spatia dimetirer, Cælique καταστήματα describerem. sed nosti nimirum, quàm nunc omnes diuinandi rationes oderim, quàmque ferreo conuicio eos soleam verberare, qui, veluti de tripode, Astrorum decreta nobis obtrudunt, & ad fallacias rerum futurarum tradendas, stylo & linguâ miserè abutuntur. Etsi scio, quàm non iniuria tu in eo me ipsum increpaueris, qui, vt Ptolomæi Mathemata doctissimè calles, ita, quemadmodum sobriè versari in iis quilibet prudens queat, fusè ac sapienter tuo illo Commentario docuisti. sic in præsens sum homo. Quod ex animo precor, tuque iuxtà mecum rogabis Deum; vt auspicatissimum hunc partum, & illustrissimi connubii prouentum benè fortunare velit: tum Patri prospera omnia, Patruo proximum abs se locum, & tardissimum ad se reditum indulgere. Expecto sententiam tuam ad ἐπιγραφὴν, quam in Aedem Marianam, in Foro Boario, ad Hortos Palatinos, nuper extructam, concinnaui. nec enim prius lapicidæ ferrum marmori insculpserit, quàm lima tua interpolarit ac refinxerit. Nam Vibianam alteram, pro meo

erga amplissimos nostrique amantissimos Ciues studio, iam plus decies excussi, planèque tecum sentio, qui talium es iudex acerrimus & enucleator oculatissimus, nullam prorsus erui inde posse Vettonensium Rempublicam: tantũ, Caium Vibium Romani Populi Curatorem, Iudicem iisdem datum, pro Deuoto, legendum puto, defunctum: sic vt in principem vita functum Elogium fuerit meritissimò confectum. Exemplum remitto, vt Iacobo tuo negotium des consulendi iterum Perusiæ lapidem, & nisi sit in Aede S. Angeli ad Portam Angelicam, sicut Mõtifalchius olim indicauit, & nos aliàs frustrà conquisiuimus; haud longulè venari poterit in Hortis elegantibus Viri doctrina præstantis optimique, Io. Pauli Sotij Canonici. Vale. Romæ, XVI. Kalend. Aprilis M.DC.XVII.

Perusiæ in Aede S. Angeli, ad Portam eiusdem nominis.

C. VIBIO. C. F. N̄. TRO
GALLO. PROCVLEIANO
PATRONO. PERVSINORVM
PATRONO. ET. CVRATORI. R. P. VET
TONENSIVM. IVDICI. DE. V. DEC. AEDI
LI. PATRONO. COLLEGI. CENTON.
VIBIVS. VELDVMNIANVS
AVO. KARISSIMO. OB. CVIVS
DEDICATIONEM. DEDIT
DECVRIONIBVS ✱. II. PLEBI. ✱. I
L. D. D. D.

In

In eodem lapide, vetustate attrito atque corroso, à tergo.

DEDIC. IDIBVS. IVL.
IMP. M. AVRELIO ANTONINO
AVG. PIO. FEL. I. II.

EPIST. XCIX. Fauentiam.

* * *

ESTO Superis gratia. vacuus tandem à curis sum, quæ me diu acriter attriuerunt; hærere diutius in vrbe non possum, propediem Rus cogito, mox Aulam, inhioque in primis ad colloquia & complexus tuos, qui iure Gratiarum iampridem in ære meo es, licet ego magis etiam in tuo. Tu verò quamdudum à nobis aberis? nec enim excidit, quod conuenerat inter nos, Roma demigrantes. Tuder, vti scribis quādò te Patriæ iam tædium cœpit, magnis itineribus ès concessurus. indè Perusiam ad nos fac excurras, non vt hanc modò cernas Hetruriæ Regiam Ciuitatem, in ipso Apennino sitam, cuius visendæ miro iampridem teneris desiderio; sed vt Romanorum clade insignem, Lacū Thrasymenum, prominentes in eo Insulas, adiacentes Pagos & vicinum Montem, ab imo per medium, Herculeo pœnè labore, à Brachio Fortebrachio cuniculo transfossum, contempleris. Qui nempè Lacus olim concepto igne conflagrauerit, indicante hic agnosces Plinio, ac propius deprehendes, quæ de illo sunt à Campano non

non minus eloquenter, quàm verè tradita. Monerem pluribus, nisi te satis tua animatum sponte intelligerem, spemq; haberem, longè esse fidem superatura, quæ tenuiter libauimus, & Epistolæ angustiis, citra reprehensionem, committere nequimus. Huc antè quàm proficiscare, Albertum Ciuitellam conuenias volo, qui cum ita agas, vt in dies pauculos mihi commodet GISIPPVM, Boccaccianam Fabulam, à Roberto Nobili Cardinale, per otium in Hortis Boccaccianis, ex Etrusco sermone in latinum feliciter versam, & Iulio III. Pontifici, Magno Auunculo, oblatam. Eam hic cupiam debeo: & cùm ob id facio plurimi; quia Princeps Adolescens inter seria sapienter lusit; tum quia Iulii Pogiani, Viri illa tempestate disertissimi, limam subiit cuius, de Ciceronis imitandi ratione, apud Muretum perelegans extat Epistola. Vale. Perusiæ.

EPIST. C. Romam.

Hieronymo Sinibaldo Doctori Theol.

HAVD tu quidem in officio litterarum cessas, mi Hieronyme, ego potius importunus flagitator sum, non qui sic amorem tuum expensum veniam, quem abundè rependis meo; sed quia, omnia in dies euenire tibi feliciora

per-

percupiens, de nouis accessionibus in horas certior fieri velim; tum de incolumitate Mecœnatis tui, cui deseruis, cuique me iam indè ab acceptis Cardinalatus insignibus ex animo deuoui, vt illorum memoriam temporum omittam, quæ ille vnà cum Lenio Cardinale hic apud nos exegit, ob quæ Perusia laudabili quadam gaudiorum temulentia, etiamnum triumphat, quam tanti custodem atque altricem pignoris sapientissimus Auunculus esse iusserit. Ego enim, vt priuatim de meo in Principem hunc affectu loquar, primùm in Auspicia Burghesiani Pontificatus Poëmatium edidi, mox eundem Nepotem, Cardinalem creatum, Musis non planè dormitantibus, consalutaui, cuius Litteras beneuolentiæ ac patrocinii remissas testes, Gratiarum calamo exaratas, non in aliud è scriniolo meo profero, nisi vt indè symbolum fausti cuiusdam ominis accipiam. Cùm verò non multis post annis ad Vrbem veni, pro ingenii modulo illustriora quæpiam Burghesianorum delibaui; in his Braccianensem aquam in Poëticum Cratera excepi, & Sacellum Exquilinum Musarum coloribus & penicillo, quàm eleganter potui, repinxi. Quæ omnia, addito Centimetro in Cor S. Caroli, ab ipso Antistitum ter maximo in Apotheosin relati, consilium erat iterum typis tradere, quasique Poëticam Legionem cum Epistolari Centuria in campũ educere: verum solutæ orationis fœturã primam in tantũ videri volui adamasse, ac nihil

ac nihil vnquam cum Apolline intercesserit commercii. Quæ etiam fuit caussa, cur à minutioribus Distichis atque Odulis abstinuerim, quas Litteris nonnullis attexere habuissem: vltròque amicos neglexerim adhortantes, vt editos iampridem Libellos refingerem, ac nouatos publicarem. Quamquam à recudendæ Titanopœiæ cura, quæ Episcopo Burghio, aliisque acerrimi iudicii Viris melior è nostris Lucubratio videbatur, liberabit me proximè Philosophus hic insigniter perspicax & disertus, qui (consultò nomen reticeo, vt homini adhuc res sit integra, si fortè vigiliarum pigeat, quas, œstro nescio quo percitus, in ea Scholiis augenda, contriuit) Commentarium confecit luculentum. sic vt Bartholino nostro inuidere iam non queam, cuius Austriadem legimus perpetuo Commentario illustratam: cum interea iaceat Fantotii Feltrias, Cameni Eclogæ migrarint ad Faunos, ægrèque ad posteros non incelebrium Virorum paulò antè vulgata Poëmata transitura videantur. Ceterum ne desipere me credas, Sinibalde, qui tibi, nihil minus, quàm nugacia curanti, significanda hæc duxerim. Feci duntaxat, ne nihil rerum nostrarum, dum Perusiæ sumus, scires: nam alioqui frigere admodum hanc epistolam iudicassem, si à veteribus congerronibus salutationum, vt sic dicam, procellas in te effunderem, quibus assiduè obruor: tum caui maximè, ne tristia adspergerem, longèque alia tuæ hilaritati obiicerem, quam Petrutii ac Gis-

berti,

berti, Theologorum ex nostro grege, infelicem obitum, aut trium Adolescentulorum, repentinâ tabe consumptorum, miserãdum interitum, qui Oradina in Familia educabantur, quæ, bonarum Artium veluti officina, iuuentutis tuæ acerbitatem colendo leniuit, nunc maturioris ætatis fructum à te aliquem reposcit. Iam quid agunt istic hominum candidissimi, eximiaque virtute præstãtes, Nicolaus Alamannus, Gregorius Portius, Lælius Guidiccionus? His si me amicum & cultorem seruaris, plus æstimauero, quam si Adonidis Horti dono dentur: nec Carolum Auunculum tuum prætererieris; quos omnes valere tecum feliciter iubeo: & vestram omnium in clarissimum Principem, communẽ Dominum, obseruantiam atque obnoxium animum æmulatus, eidem diuinum Numen, cum beatissima cælestium Gratiarum copia, adesse continentur precor. Perusiæ XI. Kal. Sextil. M. DC. XVIII.

APPROBATIO.

PRo Reuerendißimo D. Episcopo, Ego Io. Nicolaus Leontius Theologus, vidi has Centurias Epistolarum D. Io. Baptistæ Lauri Theologi Perusini, & cum nihil in ijs sit, quod Fidei, bonisue moribus repugnet, dignæ sunt, vti censeo, ob eruditum quoque; & graue dicendi genus, quæ in aliorum edantur vtilitatem, si placuerit &c.

Imprimantur.

MAVRITIVS RICCIVS
Vicarius Perus.

Fr. HERCVLANVS BARTELLIVS
Vicarius sancti Officij.

FINIS.

A

[illegible]